Domini Ludouici

BVCCAFERREI BONONIENSIS

Philoſophi præclariſsimi

LECTIONES SVPER TRES LIBROS DE ANIMA ARIST.

NVNC RECENS IN LVCEM AEDITAE,

CVM COPIOSISSIMO INDICE TAM rerum notabilium quam quæſtionum quæ in uniuerſo opere continentur.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS,
Ex officina Ioan. Baptiſtæ Somaſchi & fratres.
M D LXVI.

Domini Ludouici

BVCCAFERREI
BONONIENSIS

Philosophi praeclarissimi

LECTIONES SVPER TRES LIBROS DE ANIMA ARIST.

NVNC PRIMVM IN LVCEM AEDITAE.

CVM COPIOSISSIMO INDICE TAM rerum notatu [illegible] quae in uniuerso opere [illegible].

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS,

Ex officina Ioan. Baptistae Somaschi & fratres.

M D L X V I.

OCTAVIO SANCTACRVCIO VIRO ILLVSTRI,

Ioannes Baptista Somascus S. P. D.

IVRE optimo, Octaui clarissime, permulti dubitarunt mortale ne, an immortale; terrenum, an potius cœleste animal homo esset: Nam, cum uiderent ipsum & nascentem, & adultum rerum omnium indigentem in maximis angustijs uersari, duriore eum conditione in lucem susceptum existimarunt; quàm cætera animantia; quibus cum primum orta sunt, Natura ipsa ad uiuendum necessaria suppeditat: cum uero ad humani animi præstantiam se conuerterent, nihil eo diuinius poterant excogitare: solum enim βουλευτικὸν, consultandi uidelicet facultatem habentem hominem ex omnibus animantibus perspiciebant: ut rationis ac liberæ uoluntatis ui innixus, Deo opt. max. modo ipse uellet, similis efficeretur: ad quem, si tanti beneficij memor, quod rectum honestumque esset in omnibus actionibus & consilijs sibi proprium fuisset, euolaturum tandem corporeis uinculis solutum pij & bene morati uiri satis exploratum habuere. In quorum numerum Ludouicus Buccaferreus Bononiensis adscribi potest, qui optimus philosophus & fuit, & habitus est. Is enim, præter multa, quæ egregie de tota philosophia meditata posteris tradidit, subtilem hanc, & perspicuam expositionem librorum Aristotelis de anima conscripsit. Vbi ipsius auctoris de animorum immortalitate sententiam ab eorum errore uindicat, qui nati homines, excellentiam ac præstantiam suam non cognoscentes, quantum in se fuit, iumentis, & reliquis rationis expertibus animalibus similes esse uoluere: in re tanti ponderis elusi, uel peruersa rerum intelligentia, uel etiam inscitia; quòd sapientissimum scriptorem, atticaque suauitate orationis, & elegantia florentem, græce legere non potuerint; sed a barbaris in barbaram linguam praue conuersum praue ipsi quoque, licet ingenio, & mentis acie insignes homines, intellexerint. Quod egregium opus cũ ego, cui nihil unquam antiquius fuit, quàm optime de literatis hominibus mereri, edere constituissem, te unum Octaui clarissime, ex omnibus elegi, in cuius tutela esset. Spero enim satis munitum tuo præsidio fore; qui Romæ ex uetere & illu-

ſtri familia natus es; unde tot egregii uiri Deum pie & religioſe colentes, atque in ſtudiis tàm armorum, quàm liberalium doctrinarum nobiles prodiere. Cui enim uirtus nota non eſt, bonitas, ac rerum maximarum cognitio Proſperi fratris tui Patruelis? qui, cum in Gallia & Luſitania apud reges potentisſimos honeſtisſimo legationis pontificiæ munere fungeretur, eam S. R. E. operam nauauit, ut abſens Patrum omnium conſenſu Cardinalis creatus ſit. Quod præter opinionem ac ſpem nullius boni uiri accidit, in tanta maiorum ueſtrorum gloria, quorum uirtus annalium monimentis celebrata, nunquam eſt intermoritura. inter quos, ut alios innumerabiles omittam, illuſtris uir Onuphrius pater tuus merito recenſetur; qui ob ſcientiam rei militaris ſapientisſimi Senatus Veneti decreto cataphractis equitibus Dux præfectus, tanto in munere ita ſe tractauit, ut maxima rerum a ſe bene ac feliciter geſtarum commoda optima illa Reſp. ceperit, ad cuius proſperitates ſecundasq; res illud quoque accesſit, ut filios haberet te, ac Scipionem Ceruiæ Epiſcopum, quem iuriſconſultum, philoſophum, & Theologum; Græcisq; & Latinis literis doctum, ac ſanctisſimis moribus, & honeſtisſimæ uitæ ſumma integritate, quæ his temporum anguſtiis in ſacroſancto Pontifice præcipue requiritur, inſignem boni omnes admirantur. Tu uero Octaui clarisſime, tametſi ſex hos proximos annos in diuini ac humani iuris ſtudia toto pectore incubueris, matrem tamen bonarum omnium artium ſapientiam ſubciſiuis temporibus ita complexus es, ut & recte perceperis ea omnia, quæ a Naturæ interpretibus tradita ſunt, & memoria teneas: Quamobrem non tantum ij, quos ſtudiorum ſocietas ſimilitudoq; tibi commendat, uerum etiam Philoſophi omnia a te amoris & beneuolentiæ officia expectant. Vale. Kalen. April. M D L X V I. Venetiis.

INDEX, IN QVO CONTINENTVR RES, ET SENTENTIAE, QVAE ANNOTATIONE DIGNAE VIDEBANTVR:

collectæ tam ex D. Ludouici Buccaferrei Lectionibus in libros Aristotelis de Anima, quàm a textu ipsius philosophi. A designante primam in ordine columnam. B secundam. C tertiam. D uero quartam. Primus autem numerus paginam indicat, postremus lineam.

Animæ

Conſuetudo eſt quaſi altera natura 33.e 47

Discursiua

eadem

Theophra-

Voluntas

Index quæstionum.

FINIS.

LVDOVICI BVCCAFERREI

BONONIENSIS, PHILOSOPHI CLARISS.

LECTIONES IN PRIMVM LIBRVM ARIST.

de Anima,

Lectio prima.

VETVS oerbum est, auditores studiosissimi. Nosca te ipsum, ut pote ex hac peritia omnis disciplina, omnis recte uiuendi ratio, unde omnes nirtutes, omnes denique felicitares humanæ, ex eodem ueluti fonte proficiscantur, hanc autem sui ipsius notitiam, nulla ars, uel facultas, melius docere potest, quàm ea quæ aliorum naturam contemplatur; ex hac re pender ferre omnis sapientia, omnis'ue doctrina, ea ipsa autem est quam Diis fauentibus hoc anno exposituri sumus. Proinde Commilitones mei charissimi, si sapientes uultis effici, & euadere ad hanc, toris niribus mecum incumbatis. Ad faciliorem autem dicendorum intelligenriam, prius rres dubitationes pertractandas præponemus. Quarum prima erit qualis nam scientia sit hæc de anima, s. nunquid naturalis an mathemarica. Secunda quæstio erit quænam sit eius intentio siue scopus, ut more græcorum loquamur. Tertia uero quæstio pertractanda, quis nam processus & ordo librorum Aristotelis sit rorius philosophiæ naturalis; Quantum, ad primam quæstionem, scilicet quænam sit scienria, ista scientia de anima, uariæ sunr senrentiæ, & græcorum & latinorum, Simplicius, hic in suo procemio quod est tam desiderarum, dicit quòd scienria de anima neque est naturalis, neque est mathematica, sed est media inter ambas, hoc probat tripliciter, & primo, probat quia omnis scientia specificatur ex rebus, circa quas uersatur, scientia igitur de anima specificari debet ab anima, quia circa ipsam uersatur, sed anima non est forma naturalis, neque mathematica, ergo scientia de anima non est naturalis neque marhematica. Maior est, Aristotelis ubique & profecto uera est. minor probatur, scilicet quòd anima non sit naturalis neque mathematica, & primo, quòd non naturalis quia omnis forma naturalis est terminus & finis corporis naturalis, qua naturale est. declaratur: quia omnis forma naturalis est natura ipsa, & omnis natura est rerminus corporis naturalis qua naturale est: minor propositio, scilicet quòd anima sit, terminus, & finis corporis naturalis qua narurale est: patet ex diffinitione animæ infra ab Arist. Dicir domini ipse, anima est actus corporis physici organici, ergo sequitur quòd anima non est, forma naturalis neque anima est forma mathematica seiuncta a materia, sed partim seiuncta: partim uero, coniuncta materiæ ideo anima non est forma mathematica, sed Simplicios. Secunda ratione probat, quòd anima non sit forma, naturalis quia omnis forma naturalis inquir Simplicius est, principium passiuum motus localis ergo anima non est forma naturalis. Maiorem declarat, Simplicius, scilicet quòd omnis forma naturalis sir principium passiuum morus localis, quia forma naturalis est, natura, & natura non est, nisi quædam aptitudo ad hoc ut res, moueatur & hoc longò processu: declarat Simplicius in secundo physicorum, secundo, quare forma est, principium passiuum morus localis. Maiorem propositionem, scilicer, quòd anima non sit principium passiuum motus localis sed actiuum declarat Arist. 8. physic. quia per hoc seiunguntur animata ab inanimatis quia animata habent in se principium actiuum motus, inanimara autē habent in se, principium passiuum, ergo sequitur quòd anima non est, forma naruralis quia omnis forma naturalis omnino est immersa materiæ non abstracta ergo anima intellectiua non est forma naturalis, neque etiam forma mathemarica, quia est omnino abstracta, sed anima intellectiua non est, omnino abstracta a mareria sed aliquo modo est, ipsi materiæ immersa, & aliquo modo ab ipsa est abstracta, ut dicemus, infra ergo anima non est forma mathematica, sed est forma media inrer ambas, scilicet naturalem & mathematicam tum, secundo, Confirmat Simplicius ex auctoritate Arist. primo de par

tibus animalium cap. ptimo, ubi dicit totum animal & omnes partes animalis tam, organicæ, quàm similares considerantur, a philosopho naturali, sed istæ partes non habent suum esse, nisi ab anima: ut patet, quia postquam anima discedit a corpore manus, pes, & omnes aliæ partes, non dicũtur amplius tales, nisi equiuoce: ut est, manus lapidea uel picta, istæ ergo partes habent esse, per animam, ergo sequitur quòd philosophus naturalis habet considerare de anima: ita arguit, & tantum mouet difficultatem Aristoteles, nunquid philosophus naturalis habeat considerare de omni anima, aut de una parte, non de omnibus animabus: soluit Aristoteles, quòd non de omni anima, habet considerare philosophus naturalis, & probat hoc philosophus tribus rationibus. Primo quia si de omni anima consideraret philosophus naturalis, sequeretur quòd nulla alia esset scientia præter naturalem philosophiam, & sic aliæ erunt frustra: sed repetiuntur aliæ scientiæ ut metaphisica, ergo sequitur quòd philosophus naturalis non considerat de omni anima, a destructione cõsequẽtis ad destructionem antecedentis; quòd autem hoc sequatur: ostendit Arist. quia duæ tantum sunt partes animæ, sensus scilicet, & intellectus: si igitur naturalis agitur, de omni anima agit, ergo de omni sensu, & de omni intellectu, sed si agit de omni sensu & de omni intellectu, agit de omni sensibili, & de omni intelligibili: quia omnia ista correllatiua sunt: Correllatiuorum autem eadem est disciplina, sed si sic est, agit; ergo de omni re naturali quia omne ens in natura aut sensibile aut intelligibile, si autem scientia de anima comprehendit sensum, & intellectum, ergo sensibile & intelligibile omne, quia ut diximus, ista Correllatiua sunt. scientia ergo de anima comprehendit, quare aliæ scientiæ superfluunt, antecedens autem falsum est, ergo id ex quo sequitur: scientia igitur naturalis non considerat de omni anima. Secunda ratio Aristotelis, quia philosophus naturalis, qua naturalis, circa naturam uersatur, sed intellectus non est natura, ergo philosophus naturalis circa intellectum, non uersatur: & quòd intellectus humanus non sit natura, probatur ex diffinitione animæ, quia non est principium motus & quietis &c. Sed intellectus non est principium motus alicuius; ergo non est naturæ. Maior patet, minor probatur inductione, intellectus enim non est principium motus uegetandi, quia hoc pertinet ad animam uegetatiuam: nec est principium augendi, quia hoc pertinet ad animam sensitiuam, nec est principium motus localis ut probatur, quia aliqua bruta, quæ carent intellectu, mouentur localiter: sequitur ergo, quòd intellectus non est natura: ergo intellectus, non consideratur a philosopho naturali. Tertio idem probat quia nulla forma abstracta consideratur, a philosopho naturali: sed intellectus humanus, est forma abstracta a materia ergo philosophus naturalis intellectum non habet considerare, ergo non de omni anima considerat philosophus naturalis, & ita dicit Simplicius: patet quòd scientia de anima non est naturalis neque mathematica, sed est inter utrasque media, & hæc est quæstio Simplicij.

Sed huic opinioni, ego obiicio, quia est contra Aristotelem, & omnino falsa, & primo quia Aristoteles in quamplurimis locis enumerat istam scientiam de anima inter partes philosophiæ naturalis, ut magis ostendemus infra, ergo scientia de anima est considerationis naturalis. Secundo quia de directo ista opinio aduersatur Aristoteli nam, Arist. 6. metaphysices distinxit omnes scientias & reales in tres, uidelicet, in naturalem, mathematicam, & metaphysicã, diuisit enim scientias diuisione entis, quia omne, ens, inquit ipse, aut est oĩno immersum materiæ, & de isto est scientia naturalis, aut omnino separatum a materia, & de isto est scientia, methaphisicalis aut, partim est separatum partim uero immersum materiæ: & de isto habet pertractare mathemathica. Ecce ergo quomodo Aristoteles posuit tres scientias, quomodo ergo uis tu inter has ponere quartam sciẽtiam quæ est partim naturalis partim mathematica scilicet scientia de anima quod est cõtra Arist. Tertio quia Arist. 1. de partibus animalium ubi non plus ostendit, nisi ꝙ philosophus naturalis, non habet considerare de omni anima, Simplicius autem dicit, quòd philosophus naturalis de nulla anima habet considerare, quare &c. Quarto, quia ut dicemus, infra, anima rationalis per se consideratur, a philosopho naturali, de qua minus uidetur, ergo etiam a fortiori uegetatiua, & sensitiua, de qua magis uidetur considerari a philosopho naturali. Assumptum infra probabo, ut dixi: opinio ergo Simplicij, falsa est: & rationes quas adducit nihil cogunt, & primo cum dicit, omnis scientia specificatur, a rebus quas considerat. uerum est hoc, sed scientia de anima uersatur circa animam, non autem circa res naturales, hoc falsum est, Quia tota anima cõiuncta est sensui, & est forma immersa materiæ, si uero per sensum, ergo per accidens ad sensum, quia ista anima indiget organis sensuum, anima enim non potest separari sine sensibus, & sine obiectis sensuum anima ergo uersatur circa res naturales: consideratio ergo philosophi naturalis est, O' cum dicis omnis forma naturalis est terminus & finis corporis naturalis, qua naturale est, anima autem &c. Dico quòd hoc falsum est, falsa enim est ista propositio, ꝙ omnis forma, naturalis sit terminus & finis corporis naturalis, ut patet instantia facta

facta de igne, quia forma substantialis ipsius ignis est forma corporis naturalis, non tamen qua naturale, quia ex quo ipsa reduplicatiua primo priorum infert uniuersalem, sequeretur quòd omnis forma specifica ut puta illa ignis & aliorũ corporũ inesset uniuersaliter corpori naturali, quod est absurdum & impossibile: illud ergo quod assumebat Simplicius, est falsum. Secundo etiam peccat Simplicius in secunda ratione, quia sumit falsum, dicit enim quòd omnis forma naturalis est principium motus naturalis, hoc autem falsum est, quia, Arist. secundo physi. cum definiuit naturam diuisit ipsam in duo, scilicet in materiam, & formam, & dixit quòd uerius dicitur natura, forma, quàm materia, quia natura, uerius dicitur & est principium, actiuum, quàm passiuum, & ideo errat Simplicius quia & dicebat ibi in secundo physicorum quòd nihil aliud est natura, quàm aptitudo quædam ad motum, sed ego alias reprobaui ipsum, dum legerẽ, secundum physicorum librum. De tertia probatione speciali de anima intellectiua, scilicet, cum dicit, anima intellectiua, non est forma naturalis neque consideratur a philosopho naturali, O' cum dicit est aliquo modo abstracta, a materia, Dico quòd non est uerum hoc: immo anima intellectiua est coniuncta materiæ, & si non per se saltem per accidens: scilicet ratione sensus: quẽ requirit: & in essendo, & in operãdo: & ideo quatenus eget sensu & corpore potest considerari, a philosopho naturali. Quod arguit tertio principaliter & uerbis, Arist. primo de partibus animalium capitulo primo, ubi probat ꝙ philosophus naturalis non considerat de omni anima. Dico quòd tota illa disputatio ibi ipsius Aristotelis, est dialectica, & probabilis, & non est demonstratiua, quia procedit ex probabilibus, & non ex ueris: immo multa falsa assumit Arist. ibi in illa disputatione, de ipsa anima, & quòd rationes eius peccent, ostendo, primo cum inquit si de omni anima considerat philosophus naturalis, ergo de omni sensu, & de omni intellectu, uerum est hoc, ergo de sensibili, & intelligibili uerum est: ergo de omnibus rebus, considerabit philosophus naturalis concedo: O' ergo superfluunt omnes aliæ scientiæ excepta philosophia naturali, nego argumentum. Quia eadem res sub alia & alia consideratione consideratur a philosopho naturali, & ab aliis scientiis, nam naturalis considerat hominem quatenus, est, quod sensibile commune & immersum materiæ, eundem considerat mathematicus, sed quatenus, est, quantum: & ideo omnes istæ scientiæ considerãt idem sub diuersa tamen ratione & ita. & si una scientia consideret aliquid generaliter non tamen propter hoc quod idẽ specialiter possit considerari ab alia scientia. Non ergo ualet ista cõsequẽtia, philosophus naturalis cõsiderat omnes res, ergo aliæ scientiæ superfluunt, quare ergo ratio prima Aristotelis est Dialectica, non autem demonstratiua, & secunda ratio etiam non est efficax, quia dicit omnis naturalis consideratio est, circa naturam, sed intellectus non est natura, hoc falsum est. O' probat Simplicius, quia non est principium motus, & quietis, &c. uerum est, sed intellectus ~~non~~ est principium motus localis, nam tertio huius dicit Arist. intellectus cum sensu & appetitu in nobis est principiũ motus localis, ò quod instar quòd in brutis non est principiũ motus localis, non tamen est intellectus. Dico ꝙ uerum est; sed hoc non probat aliud nisi quòd intellectus non est principium motus, cuiuscunque localis adequatum, dico: nec est totale principium, cum hoc tamen stat quòd sit principium alicuius motus localis: & aliquo modo sit principium & ita peccat. Tertio dicit mens & anima humana est seiuncta a materia; non ergo est considerationis naturalis, Dico ꝙ falsum est: quòd anima omnino sit seiuncta semper accidens est; immersa materiæ, quo scilicet; ad sensum & obiectum ut dixi: & ideo hoc modo consideratur a philosopho naturali: quare rationes Aristotelis sunt Dialecticæ, nec uera est expositio Simplicij. Ideo est secunda opinio, quæ est, Io. Gram. non tamen hic in proœmio sed in expositione textus infra, ut uidebitis: dicit, ergo Ioannes Grammaticus, quòd hæc sciẽtia non est naturalis nec methaphysica, sed partim naturalis partim methaphysica, non dico inquit Ioannes Grammaticus, quòd sit media inter ambas, sicut dicit ipse Simplicius, scilicet inter naturalem & mathematicam, sed quo ad unam partem est naturalis, & quo ad aliã est methaphysica: est enim naturalis quo ad animã uegetatiuã, & sensitiuam, est autem methaphysica quo ad animam intellectiuam, & hoc quia uegetatiua, & sensitiua, sunt omnino immersæ materiæ: intellectiua uero omnino separata a materia, quare patet quòd ista scientia, de anima partim est naturalis partim est methaphysica & ideo inquit Ioannes Grammaticus, hoc patet ex uerbis Aristotelis, quia dicit quòd scientia de anima præstat utilitatem & philosopho naturali & methaphisico, propter illam causam. Et hæc est, prima probatio suæ rationis. Secundo probat suã rationem Ioan. Grammaticus, quia infra disputans Aristot. de ipsa anima, & dicens de passionibus animæ, dicit ibi Aristoteles, de omni igitur anima philosophus naturalis habet pertractare aut de huiusce disiunctione ergo & dubitatiue loquitur Aristoteles, quia cum dicit de omni huiusce quod interpretatur, scilicet de animabus quæ habent passiones cum materia ut sensitiua, & uegetatiua, & ita patet quòd illæ animæ quæ non sunt immersæ materiæ, necessario habent passiones, quæ non sunt cum materia: ergo,

nõ cõsiderantur, a philosopho naturali, quia ergo anima intellectiua est huiusmodi, qnia non est immersa materiæ, nec habet pasiones coniunctas cum materia, ideo non consideratur a philosopho naturali, sed a metaphysico, uegetatiua uero & sensitiua, quia sunt cum materia, ideo habent, considerari a philosopho naturali, quod si dicas inquit, Ioannes, immo Aristoteles immiscuit & coniunxit hic sermonem animæ uegetatiuæ, & sensitiuæ, cum ipsa intellectiua, cum anima sensitiua & uegetatiua, pertineant ad philosophum naturalem, intellectiua uero ad metaphisicum, Dico dicit Ioannes quia perfectus philosophus debet ressoluere causas naturales, ad causas separatas, a materia, ut ipse. Diuinus, ita enim fecit, Arist. in libro physicorum Quia cum dixit prius de motu statim subiunxit de motore. Item in libro de generatione & corruptione, ubi cum declarauit causas naturales, in genere actionis & corruptionis, induxit postea illas incausas cælestes ita ergo dicit, quòd fecit hic Aristoteles, quia postquam fecit sermonem de anima uegetatiua & sensitiua, quæ erãt partes naturales animæ, reduxit illam in animam rationalem tanquam in causam superiorem, & ita quasi uolens dicere, Ioannes quòd Arist. ex incidenti & quasi per accidens agit de anima rationali, non quatenus spectat ad philosophum naturalem, sed tanquam in ipsam animam intellectiuam reducitur ipsa anima uegetatiua, & sensitiua. Sed ista opinio falsa est Primo, quia in omni in scientia est unum quoddã genus, quod si ab aliquibus cousideratur ab eisdem omnes suæ artes considerari habent, quia eiusdem scientiæ est. & generis, & ptes, & pasiones, & species omnes, considerare, sed hic Arist. loquitur in genere de anima: de ipsa enim in genere pertractat, ut patet, quia deffinit ipsam animam in omni ratione, ergo agit de anima in genere, ergo de omni eius spetie habet considerare philosophus naturalis, itaque de omni anima habet considerare, tam scilicet de intellectiua quàm de sensitiua & uegetatiua. Secundo ostendo & fortius quia consideratio quidditatiua hominis, qua homo: est philosophi naturalis, sed homo qua homo est: intellectu est, quia per intellectum, homo est homo, ergo intellectus consideratur a philosopho naturali, si autem dimittit considerationem animæ rationalis, ergo nou considerat hominem qua homo est, assumptum scilicet quòd quidditatiua consideratio hominis sit philosophi naturalis, probatur, quia tota quidditas hominis quo ad prædicata essentialia concernit materiam, & ipsam reducit: hoc patet quia sequitur, homo est, animal rationale, ergo mobile, ergo habet corpus. Ecce quòd ista prædicata includunt motum & materiam, ergo tota quidditatiua consideratio hominis est philosophi naturalis, qua anima rationali uiuit. quia omnia quæ sunt immersa materiæ, sunt. considerationis philosophi naturalis, ut dicit Arist. 6. meth. Tum tertio quia naturalis philosophi consideratio, est ultimus finis hominis in eo quòd homo est, ergo homo in eo quòd homo consideratur, a philosopho naturali, assumptum probatur, quia in libris Ethicorum dicit Arist. quòd duplex est, finis hominis; unus est. pertinens ad opus, qui practicus dicitur, ut electio boni, alter est, ultimus finis, ut contemplatio intelligentiarum, ergo homo in eo quòd homo sub ista uotione consideratur a philosopho naturali, ut sic est, intellectus est, ergo intellectus consideratur, a philosopho naturali, quare &c. Tum quarto quia si consideratio animæ est mathematici, imperfectus ergo erit sermo Arist. in lib. metaphisicæ, quia ibi nullam fecit mentionem de anima rationali. O ad hoc respondent aliqui, quòd ideo Arist. ibi nihil dicit de anima rationali, quia dũ componeret illos, fuit morte præuentus, sed quæso ipsos, unde nam habuerunt & a quo autore fide digno, hoc certe ego. Credo quòd nusquam nisi ipsis in somnium reuelatum fuerit. Secundo quia si habendus sermo ab Aristotele erat de anima rationali, erat primo habendus antequam haberetur sermo de ente, & de substantiis abstractis, tamen ibi nihil meminit de ista anima rationali, rationabiliter nec ibi pertractanda erat perhibitio aliqua ipsius; Præterea illi libri metaphisicæ sunt completisimi, quia non poterant plura ostendi de ipsis substantiis abstractis, & tandem omnes in unum redegit, uon ergo potest dici quòd Arist. nou meminerit, ibi de anima rationali, ex eo quòd illi lib. uon sunt completi, ita ut si non fuisset morte preuentus, quòd hoc fecisset, nou enim fecit illud, qu ia consideratio animæ rationalis uon pertinebat ad metaphisicum, sed ad philosophum naturalem.

Ideo est tertia opinio latinorum & quorundum modernorum, & primo istius Snessani, qui fuit, notus in ista opinioue, Dicit igitur iste homo, quòd scientia de anima non est, naturalis, neq; metaphisica, sed mathematica; sed indicio meo istæ uit non poterat parua dicere, ipse adducit rationes, & primo quòd non sit naturalis neque metaphisica, quia dicit ipse, quòd nulla pars alicuius scientiæ & modus procedendi ipsius est, difficultas, & modus procedendi totius scientiæ, ideo ista oportet declarare in procemio, seu in principio, totalis scientiæ, & uon in partiali. Maior igitur propositio uera est, Arist. autem istud facit in ista scientia de anima ut patet, ergo ista scientia uon est pars scientiæ naturalis, Secundo dicit iste, quia in ista scientia sunt, demonstrationes certisime, sed demonstrationes omnium certisime sunt mathematicæ, ergo hæc scientia est mathematica,

Maior

Maior patet ex Ariſt. minor etiam ex Auerroe, ſecundo metaphiſices ubi dicit, tres eſſe demonſtrationes in genere, inter quas certiſsime ſunt mathematicæ. Tertio inquit, iſtæ Sueſſanus, quia omnis ſcientia, quæ partim eſt coniuncta materiæ partim uero ſeparata mathematica eſt, nam mathematicus, conſiderat quantitatem quæ eſt in materia, non tamen conſiderat ipſam materiam, ſed ſubſtantia animæ ita ſe habet, quòd eſt, partim ſeiuncta a materia, partim immerſa materiæ, ergo ſcientia de anima eſt mathematica, & ideo inquit iſtæ uir, recte Themiſtius in procemio primi phyſicorũ explicans omnes ſcientias naturales, non meminit. de ſcientia animæ, quia ipſe uidit quòd erat mathematica non autem naturalis, iſta ergo ſcientia de anima non eſt naturalis neque metaphyſica dicit iſtæ, ſed mathematica, ſed poſtquam non uultis Cras replicabo iſtam opinionem, quia eſt purus error & ueniemus, ad utiliora quia aliquantulum morabimur in hoc procemio, multa enim pulchra & utilia ſunt hic uidenda.

Lectio ſecunda.

DISSOLVEBAMVS primam difficultatem qualis nam ſit ſcientia de anima, nunquid naturalis an metaphyſica, recitaui uobis opinionem Simplicii, quòd ſcilicet anima non eſt naturalis neque metaphyſica ſcientia, ſed media inter utraſque, ſecundo loco dixi uobis opinionem Ioannis Grammatici. qui dicebat quòd anima, ratione unius partis erat naturalis ratione alterius erat metaphyſica, ratione ſcilicet partis uegetatiuæ & ſenſitiuæ erat naturalis, ratione uero intellectus erat metaphyſica, reprobauimus iſtas opiniones, uerum bene eſt, quòd non diſſolui rationes eius quas nunc ſoluemus. Primo quòd dicebat, hæc ſcientia eſt utilis naturali ſcientiæ ſicut dicit, philoſophus in primo tex. ſed non poteſt eſſe ſibi ipſi utile, ergo ſcientia de anima non eſt naturalis. Dico quòd tollitur hoc argumentum ex expoſitione, Auer. quòd ſcilicet ſcientia de anima dat utilitatẽ philoſopho naturali, ſicut pars infert utilitatem ſuo toti, & ita non ſequitur, quòd ſibi ipſi utilitatem ferat, Secundo uero ex Ariſt. 2. huius 15. ubi dicit declarando paſsiones ipſius animæ quia ſubdit, Ariſt. De omni anima, aut de huiuſce eſt ſcientia naturalis exponiturque huiuſmodi anima cuius paſsiones, etiam cum materia ſunt: cum ergo paſsiones animæ rationalis non ſint, cum materia, ergo non de omni anima habet dicere philoſophus naturalis: Sed tantum de illa quæ habent paſsiones cum materia: Dico quòd diſiunctiue loquitur Ariſt. & dubitatiue propter hoc, quia nondum oſtendit an anima rationalis ſit ſeparata, a materia an non ibi ſub dubio loquutus eſt. Ariſt. ſed poſtea in ſecundo huius declarauit & oſtendit quòd anima intellectiua, non eſt, omnino ſeparata a materia, ſed a ſenſibus dependet, & in eſſe, & in conſeruari, & in operando: de alijs autem animabus, ſcilicet de uegetatiua, & ſenſitiua de quibus erat manifeſtum, quòd erant cum materia affirmatiue & abſolute locutus eſt, Ariſt. dicit enim aut de huiuſce &c.

Erat tertia expoſitio & opinio recentiorum in hac re & iſta eſt opinio iſtius Sueſſa. qui dixit quòd hæc ſcientia de anima, nec eſt naturalis neque metaphyſica, ſed mathematica & pars ſcientiæ mathematicæ, & primo probat quòd non eſt naturalis ſcientia, quia nulla pars ſcientiæ debet, habere, tam ſollemne, & amplum procemiũ in quo explicentur nobilitates ſcĩetiæ & difficultes eiuſdem dicit ipſe, hoc patet quia hæc tria ſcilicet nobilitas difficultas & certitudo ſcientiæ ſi conueniunt parti conueniunt etiam toti ratione partis erant ergo declaranda iſta tria in procemio totius philoſophiæ naturalis, Secundo quia demonſtratio huius ſcientiæ certiſsima eſt, ſicut, dicit Ariſt. infra in tex. demonſtrationes, autem, naturales non ſunt certiſsime, neque etiam demonſtrationes metaphyſicæ, ſed ſolum mathematicæ, ergo hæc ſcientia de anima mathematica eſt dicit iſte uir bonus, Tertio quia ſcientia quæ eſt de re partim coniuncta materiæ & partim ſeiuncta a materia mathematica eſt, ſed ſcientia de anima ita ſe habet, eſt enim partim coniuncta materiæ reſpectu. ſcilicet animæ uegetatiuæ, & ſenſitiuæ. partim uero ab ipſa materia ſeiuncta reſpectu, ſcilicet animæ rationalis, ſcientia ergo de anima mathematica eſt, & hoc etiam comprobauit auctoritate Themiſtij in prologo phyſicorum, ubi ipſe enumerans partes philoſophiæ naturalis non enumerauit iſtam ſcientiam de anima, quare &c.

Sed hæc opinio non poteſt ſtare, & eſt purus error, Oſtendo, primo ex uerbis Ariſtotelis, ubi inferius oſtendam quòd Ariſt. manifeſtæ dicit, hanc ſcientiam de anima eſſe partem philoſophiæ naturalis, quare hæc opinio Ariſt. aduerſatur, ſecundo argumento quo paulo ante uſus ſum in alia ſcilicet lectione cum dicebam. Homo qua homo eſt, ſecundum ſui quidditatem, & quia homo eſt animal rationale conſideratur homo qua homo a philoſopho naturali: ergo ſecundum quòd eſt animal rationale conſideratur ipſe homo a philoſopho naturali: quòd autem homo qua homo eſt, conſideretur, a philoſopho naturali, patet, quia omnia prædicata eſſentialia hominis concernunt motum & materiam: ex homine enim qua homo eſt, ſequitur moueri quieſcere, & generare, ſi ergo tota quidditas hominis materiam & motum includit conſide-

ratur, ergo a philosopho naturali, homo qua homo est : ergo &c. Tertio quia scientia mathematica est circa accidentia, est enim scietia mathematica, quæ est circa res discretas, & circa numeros : alia continua, quæ uersatur, circa magnitudines, sed qualibet est circa accidentia quod est propositum nostrum ; sed scientia de anima est circa substantiam, quomodo ergo scientia de anima mathematica est. Ad hoc argumentum respondet ipse Suessanus, quia de facto uidit hoc argumentum facere contra ipsum. Dico dicit ipse, quòd hæc scientia de anima est mathematica, equiuoce, longe alia ab illa quæ in cõmuni usu appellatur mathematica, quia ista scilicet scientia de anima est de substantia, illa autem mathematica est de accidentibus, sed huic opinioni aduersatur Arist. 6. metaphysices, quia ibi ipse diuisit ipsas scientias primas, quæ comprehendunt omnes alias, & ipsas in tres partes distinxit, scilicet in naturalem mathematicam, & metaphysicam, ex ratione entis, quia ens aut omnino est seiunctum a materia, & hoc habet considerare metaphysicus aut omnino coniunctum & immersum materiæ, & ita naturalis hoc habet considerare, aut partim coniunctum est, cum materia partim seiunctum, & hoc habet considerare mathematicus, sed hoc modo scientia mathematica non comprehenditur sub his scientiis sub quibus dixit Arist. omnes alias scientias comprehendi, uel ergo diuisio Arist. non cõprehendit omnes scientias, uel tu male dicis. Secundo mathematica de qua loquitur, partim est separata a materia, & partim coniuncta materiæ, separata ratione, coniuncta uero secundum esse, sed scientia de anima non eadem de re sed de diuersis rebus, scilicet de anima uegetatiua, & sensitiua, & intellectiua, quarum una est, cõiuncta materiæ, scilicet sensitiua, quæ est, secundũ esse & secundum rationem cum materia, alia uero est anima intellectiua, quæ est separata a materia, etiam secundum esse, quare ergo ista scientia de anima est de rebus diuersis, quarũ aliquæ sunt cõiunctæ materiæ secundũ esse, aliquæ sunt seiunctæ a materia etiam secundum esse, non est, ergo dicendum quòd scientia de anima sit mathematica, neque rationes ipsius Suessani cogunt. Primo cum dicit, quòd nulla pars scientiæ præmittit prooemium tam sollemne & generale in quo explicantur nobilitas difficultas, & certitudo, illius scientiæ, negatur : quia hoc conuenit, huic parti, propter sui nobilitatem, quia hæc est nobilissima pars scientiæ naturalis, immo nobilissima omnium scientiarum excepta diuina.

Quod addit quia utilitas & difficultas scientiæ quæ conueniunt parti, conueniunt toti, & etiam scientia partialis sumit, has conditiones, ex toto, ideo hæ conditiones erant declarandæ in prooemio totius philosophiæ naturalis. Dico quòd quantumcunque scientia naturalis sit difficilis, tamẽ hæc pars quæ est de anima difficilior est, & per se inest parti, inest uero toti alia ratione. Quod dicis secundo, quia ceteris scientiis certior est mathematica, demonstratio autem huius scientiæ sicut dicit Arist. certissima est, ergo scientia de anima mathematica est. O' de hoc magis dicemus in expositione uerborum Aristotelis, quia hæ demonstrationes animasticæ non sunt certissime quo ad nos, sed naturã, quia etiam ipsi naturæ profectiora sunt, ideo & eidem notiora, sicut dicit Arist. Entia prima in natura & ipsi naturæ, sunt certissima : nobis autem incertiora propter in proportionem nostri intellectus ad ea, quare ergo non sequitur, quòd ex hoc quòd scientia de anima sit naturæ certissima, dicatur mathematica. Quod autem dicit tertio, quòd omnis scientia quæ est de re partim coniuncta materiæ, partim abstracta, mathematica est : Dico quòd hoc uerum est, si fuerit de eadem re coniuncta secundum rem, seiuncta autem ratione, modo anima non est de eadem re, sed de diuersis rebus & animabus, nec enim materiæ coniuncta secundum rem seiuncta uero secundum rationem, sed est coniuncta re & secundum esse seiuncta, quare ergo non propter hoc mathematica est.

Ideo est quartus modus dicendi Themistij, & Auerrois hic, qui uerus modus est : & est, Them. secundo huius textu octauo, & idem secundo physi. 26. ubi dicit scientiam istam de anima esse partem philosophiæ naturalis, idem etiam dixit Auerroes, ubi dicit quòd consideratio naturalis est ad ultimam formam, appellauit autem Auerrois ultimam formam hominis animam rationalem, duæ enim sunt formæ hominis, scilicet duæ animæ rationalis & sensitiua, quæ rationali contrariatur ut dicit Arist. secundo ethicorum Theologi tamen nostri ponunt, tantum unam animam in homine, dicunt autem sunt duæ potentiæ, nos autem secundum peripateticos dicimus : duæ sunt animæ, scilicet anima sensitiua, & rationalis, & ita dico secundum sententiam Arist. quòd duæ tantum sunt animæ re seiunctæ, scilicet anima sensitiua, & anima intellectiua, uegetatiua autem sub sensitiua comprehenditur : Dico ergo quòd dixit, Auerrois, quòd ultima, forma hominis quæ est anima rationalis, considerationis philosophi naturalis est : quia est coniuncta materiæ & coniuncta sensui, quia non potest operari sine sensu, propter ergo hanc colligantiam cum sensibus est philosophi naturalis considerare : & quòd sit coniuncta materiæ patet ex eius diffinitione quia anima est actus corporis physici organici uitã potentia habentis, ingreditur, ergo potentia in ista diffinitione, quare anima rationalis dependet a sensibus in operan-

operando, per ſe tamen anima rationalis eſt ſeparata a materia, & nullum uerbum habet, Ariſt. in hoc libro, quòd anima rationalis ſit immerſa materiæ, immo ſemper dicit, quòd eſt ſeiuncta a materia, ſicut ego uobis oſtendam, & dicant alij quicquid uelint, & ſemper ego miratus ſum de Alexandro. qui attribuit hanc opinionem Ariſtoteli. quòd anima rationalis ſit generabilis & corruptibilis, quia nullibi poteſt inueniri. ſed potius eſt hoc ex ipſius ſententia, & uſus eſt hoc figmento ut comprobaret. ſuam rationem, Dico ergo quòd anima rationalis eſt per ſe ſeiuncta a materia, ſecundum accidens eſt coniuncta materiæ, quia indiget ſenſibus, & ita in eſſe & in operando, quia Ariſt. non nouit aliũ ſtatum in anima niſi in ſenſibus, ſed tu dices, quia Themiſtius in prologo phyſicorum dicit, quòd intellectus agens eſt conſideratio metaphyſici. diuiditur enim intellectus in intellectum agẽtem & in intellectum potentiæ, quia ponimus duas animas ſeu duas ſubſtantias animæ re ſeiunctas, ſcilicet ſenſitiuam & rationalem, ita etiam ponit nobis Ariſt. ſicut uidebimus: ſi ergo ſic eſt ſubſtantia, ergo intellectus agens eſt methaphyſicæ conſiderationis, intellectus autem agens refertur ad paſſum, ſi ergo agens eſt methaphyſici ergo & patiens, ergo anima ipſa eſt metaphyſicæ conſiderationis, Tum ſecundo. & clarius ex uerbis ipſius Ariſt. 2. phyſic. 26. quia dicit ſi intellectus ſeparabilis ſit, eſt conſiderationis primæ philoſophiæ, non autem naturalis. Tertio quia ibidem ſexto phyſicorum primo. dicit Ariſtoteles quæcunque mouent non mota ſunt conſiderationis philoſophi ſupernaturalis, anima autem rationalis mouet. & non mouetur, quia motus conſideratur circa materiam, anima autem ſeiuncta eſt a materia, ex quo ergo intellectus in mouendo non mouetur. non eſt phyſicæ conſiderationis, Dico ad primum. quia dicis. ex Themiſtio. primo phyſic. in proœmio quia dicit quod intellectus agẽs eſt metaphyſicæ conſiderationis. Dico dupliciter poteſt reſponderi, ſubſtantia intellectus agentis uno modo in eo quòd agens & ita refertur ad intellectum potentiæ, dico quòd eſt huius ſcientiæ naturalis, ſi alio pacto conſideretur intellectus abſolute non qua agens ſed ut eſt actus purus & ſubſtantia ſeparata a materia & ſic metaphyſica eſt conſideratio, & de eo intellectu loquitur Themiſtius in proœmio phy. Quod dicis ſecundo ex uerbis Ariſt. 2. phyſ. 26. quià dicit ſi intellectus ſeparabilis primæ philoſophiæ, ſed dicit ibi D. Thomas quòd Ariſt. loquitur de intellectu humano, non qua eſt coniunctus corpori. ſed qua eſt ſeparatus a corpore, ſcilicet poſt ſeparationem animæ a corpore, & poſt mortem Socratis, Sed hæc expoſitio & ſi uera ſit in ſe, tamen non eſt ad mentem Ariſtotelis. Ariſtoteles enim non cognouit, alium ſtatum rationalis animæ quàm ipſam in ſenſibus eſſe collatam, quia philoſophus non oſtendit niſi quæ proueniunt & habentur ex ſenſibus, ideo non cognouit niſi animam eſſe cum ſenſibus, immo uult Ariſt. quòd anima rationalis ſit coniuncta ſenſui, & habeat eſſe in ſenſibus, ſemper enim dicit, quòd anima iſta dependet in eſſe, & in operari a ſenſibus, debet autem exponi ille locus non de intellectu humano, ſed de ſubſtantiis ſimpliciter abſtractis, & de intellectu ſimpliciter ſeparato, qui nullo pacto dependet a ſenſibus, & hic uere conſideratur a prima philoſophia quo ad quid eſt, & ſi eſt; Quod dicis tertio, quæcunque mouent non mota non ſunt phyſicæ conſiderationis. Dico quòd & ſi intellectus in ſe conſideratus non moueatur, neq; per ſe neq; per accidens, non enim per ſe mouetur neque per accidens, quia nullo pacto cauſatur a materia, ſi ergo per ſe & ſeorſum conſideretur; non mouetur, neque per ſe, neque per accidens, ſi autem conſideretur ſecundum ſenſum cui colligatur ſecundum eſſe & ſecundum operari, ſic in mouendo mouetur, per accidens, quia in mouendo coniungitur imaginationi & ſenſui. qui eſt ſibi ſocius ratione cuius dependet in eſſe & operari, ideo hoc pacto intellectus: ipſe: ſeu anima rationalis mouetur per accidens, & hæc ſufficiant.

Lectio tertia.

OSTENDIMVS in præcedentibus quòd ſcientia de anima erat pars totius philoſophiæ naturalis, auctoritate Themiſtij. & Auerrois, Permanet alia pulcherrima dubitatio, ſcilicet ſi hæc ſcientia eſt pars philoſophiæ naturalis quota pars ſit, & quo loco debeat reponi. Duplex eſt hic modus dicendi, Primus eſt omnium latinorum, uidelicet Alberti Alemani, Diui Thomæ, Egidij. Ganda. ſcilicet quòd hæc eſt ſexta pars in ordine totius philoſophiæ naturalis, ſeptima uero de plantis, octaua & ultima de animalibus, & hoc dicunt auctoritate Auicenæ in de uirtutibus naturalibus primo, & conueniunt omnes expoſitores de primis quinque partibus totius philoſophiæ naturalis, concordant enim omnes quòd ita ſit quòd prima pars ſit de auditu naturali, ſecunda uero pars ſit de principiatis ſimplicibus & æternis, ſcilicet de Cœlo & hoc habetur in primis duobus lib. de Cœlo, Tertia uero pars eſt de generabilibus & corruptibilibus, & hoc habetur in duobus libris ultimis de Cœlo, & quia ibi non erat completa doctrina quam inceperat, quaſi eam complens poſuit librum de generatione & corruptione, quare ergo tertia pars habetur in duobus lib. ultimis de Cœlo & mundo, & in duobus de genera-

generatione & corruptione. Quarto loco ponunt partem quæ est de mixtis imperfectis, & hæc habetur in tribus primis libris metheororũ, quia in quarto libro agit, de mixtis perfectis, & dedit causam in natura mixtorum perfectorum quæ sunt, inanimata, ideo hæc pars debet esse, de metallis quam partim Albertus Alemanus complectit in libris de mineralibus, quia Arist. ipsam non complete, tradidit, & hæc est, secunda pars, & ita omnes expositores latini huc usque conueniunt; id est, de partibus totius philosophiæ naturalis. Hic dicunt, latini modo fere omnes, quòd istas partes, sexta subsequitur, quæ est de anima, ideo sexto loco debet poni liber de anima, septimo liber de plantis, octauo liber de animalibus, probant autem huno ordinem auctoritate Arist. 1. de sensu & sensili ubi dicit. Postquam de anima dictum est, dicendum est de animalibus & uitam habentibus, quod est dictum. idest de plantis consequens est facere sermonem, ideo recte (dicunt isti) ponitur sexto loco liber de anima, Tum etiam alia auctoritate Arist. probant; scilicet in fine de communi motu animalium ubi dicit, Auerroes, postquam de anima dictum est, dicendum de generatione animalium, ergo, sed præter uerba & auctoritates Arist. addunt, isti rationes, quia totum non innotescit nobis nisi prius innotescat partes essentiales illius, quia sciẽtia totius, ordine doctrinæ sumitur ex notitia suarum partium, Dico ordine doctrinæ, quia ordo doctrinæ sumitur, ex ordine naturæ & res debent ordinari in doctrina sicut sunt ordinate in natura, in eo enim ordine quo sunt res ipsæ a materia eo ordine a nobis describi debent, unde dupliciter est ordo doctrinæ, unus inter scientias totales sicut inter naturalem mathematicam quæ sunt scientiæ totales, & alius est ordo doctrinæ inter partes unius scientiæ, ordo enim doctrinæ inter scientias totales est, ex facilioribus, & summitur, ex rebus facilioribus cognitu, quare hoc ordine, scientia facilior debet, præcedere ordine doctrinæ scientiam difficiliorem, ideo quia facilior est mathematica præponenda est, ordine doctrinæ aliis scientiis, inde est, quòd antiqui prius exercebantur in mathematicis antequam ad alias scientias accederent, Secundo uero loco est scientia naturalis, quia facilior est quàm ipsa metaphysica. Tertio uero loco est ipsa methaphysica, & hic est ordo doctrinæ scientiæ totalis ut inter partes philosophiæ naturalis, & dicitur ordo doctrinæ. idest ordo in addiscendo scientias, Iste ergo doctrinæ ordo, inter partes unius sciẽtiæ nõ sumitur ex facilioribus cognitu nobis, immo e contra sumitur ex difficilioribus nobis, quia sumitur, ex ordine naturæ, sumitur enim iste ordo secundum quòd res se habent in natura, quia naturalis est ordo naturæ in istis rebus, tali ordine debent, describi, & ita seruauit, hunc ordinem, Arist. in naturali enim philosophia, primo incepit a principiis communibus, deinde ad corpora simplicia & eterna processit, deinde ad corpora simplicia generabilia & corruptibilia, postea ad mixta imperfecta, Demum ad mixta perfecta & ita uidetur, quòd iste ordo doctrinæ conformis sit ordini naturæ, sequitur, ergo quòd uerum est quod dicebam, quòd scilicet notitia partium ordine doctrinæ præcedit ordinem seu doctrinam totius, ideo cuilibet totius notitia summitur, ex eius partibus ordine doctrinæ, si enim ordo doctrinæ immitatur ordinem naturæ, & non ita procedit, ergo ordine doctrinæ notitia totius summitur ex eius partibus, cum autem anima & corpus sint partes ipsius animalis, ergo ante notitiam plantarum & animalium debet prius haberi notitia animæ, quare recte sexto loco inter partes totius philosophiæ naturalis ponitur liber de anima, Si dicas, O' deceperis quia tu, credis quòd in libro de plantis & de animalibus, Arist. agat, de totis plantis & de toto animali, sed hoc, Arist. minime facit, quia ibi considerat, & solum meminit, de partibus animalium & etiam simpliciter plantarum & fuit hæc sententia Auer. in procemio metaphysicæ, & est uera, quia Arist. in lib. de animalibus agit de parte materiali animalis, ideo falsum supponis nec probas quod intendis Sed adhuc instatur quia si in illis libris agitur, de partibus materialibus animalis in libro de anima agitur, de forma, & parte formali animaliũ, formæ autem notitia præcedit materiam, quia ipsa est actus, actus præcedit, & prior est potentia, ergo & liber de anima in quo tractatur, de forma præcedit librum de animalibus, & librum de plantis in quibus tractatur de materia, & ita non propter hoc effugis dicunt isti.

Sed ista opinio falsa est, & ostendo primo ex uerbis, Arist. in fine de communi motu animalium, ubi dicit, postquam nos egimus de partibus animalium, de anima, de sensu, de memoria, de somno, & uigilia, uidebitis ergo quòd Arist. præponit librum de animalium partibus, libro de anima, & iste est locus in quo dixi me uobis ostensurum esse Arist. numerare librum de anima inter partes philosophiæ naturalis. Secundo Arist. in fine de incessu animaliũ, dicit postquam de partibus animalium diximus, tum aliis tum his quæ ad incessum animalium faciũt, consequens est, ut de anima dicamus, ergo liber de anima sequitur librum de partibus animalium & de incessu animalium, Iste auctoritates sunt fortes & certum est, etiam ex his uerbis quòd lib. de anima conumeratur inter partes philosophiæ naturalis, tum etiã q liber de animalibus, præcedit ordine doctrinæ librum de anima, tum & fortius & ratione arguo, quia ani-

ma

ma innotescit nobis pro corpus animatum, prior ergo habenda est, notitia corporis animati, probatur, ex deffinitione animæ in qua, ponitur corpus, deffinitur enim anima hoc modo. Anima est actus corporis primus physici organici potentia uitam habentis, ponitur ergo corpus in diffinitione animæ, anima ergo notificatur ex corpore, & ita ex quo anima deffinitur per corpus animatum, notitia ergo corporis animati præcedit notitiam animæ, diffinitio enim datur per notiora & per priora. O tu dicis quia corpus animatum quod ponitur in diffinitione animæ, non est, materia & pars materialis ipsius animæ, sed est totum corpus compositum ex corpore, quod est materia & anima, quæ est forma, id est totum aggregatum ex corpore diaphano quod est materia, & luce, quæ est forma, ita etiam hic facit Arist. qui ponit totum aggregatum non autē partem, quæ est materia. Dico quod adhuc argumentum stat in robore suo, quia si corpus positum in diffinitione animæ non est notius quo ad materiam & formam, si uero est, notius quo ad illā partē quæ est, forma quia aliter idem notificaret semetipsum, notificaretur enim anima per animam, est ergo notius ratione corporis quod est materia, si enim corpus ponitur in diffinitione animæ est notius ipsa anima non autem quo ad ipsam formam & animam, si est compositum ex materia & forma quia idem esset notius & ignotius quod est falsum, ergo est notius quo ad illam partem, quæ est materia, quare nihil effugis. Secundo quia substantia animæ innotescit nobis ex potentijs ipsius animæ, potentiæ uero ex organis, organa autem ex operationibus, non ergo possunt cognosci animæ nisi ex potentiarum notitia & organorum, organa autem sunt partes materiales animalis, anima ergo cognoscitur, ex parte materiali animalis, ergo scientia de partibus animalium quæ pertractat de partibus materialibus animalium, præcedit scientiam de anima, & ideo dixit Alexander in principio suæ paraphrasis inquirenti notitiam de anima primo considerandus est, apparatus corporis. Idem Plato in Thim. & Gal. in principio de natura humana, ubi habet quid te puras assequi notitiam animæ, nisi scias & habeas notitiam uniuersi corporis, non possumus autem habere notitiam corporis, nisi habeamus notitiam elementorum, ex quibus componitur, ad cognitionē ergo animæ sequitur cognitio elementorum, ergo & uniuersi, & ita patet quòd hæc opinio uerissima est &c.

Ideo ad rationes eorum, & Primo cum probabas auctoritate Aristotelis in primis uerbis de ensu & sensibili, ideo dixit postquam de anima dictum est, consequens est dicere de plantis, & animalibus. O' tu non exprimis omnia uerba Arist. quia subdit Arist. quòd postquam de anima egimus consequens est dicere de animalibus & uitam habentibus, quæ nam sint communes & proprie operationes eorum, sed animalium & plantarum, Arist. ergo post notitiam de anima uult tradere notitiam de operationibus proprijs & communibus animalinm, & plantarum, non autem, quòd sequantur, libri in quibus tractatur de partibus animalium; sicut tu dicis, sed sequitur ea consideratio, quæ est ad potentias, & operationes communes & proprias animaliū: ita uult dicere Arist. non autem sicut, tu adducis: quare ista auctoritas non facit ad propositum; Quod addis secundo quia Arist. in fine de communi motu animalium dicit, postquam de anima dictum est, dicendum est de generatione animalium. Dico, quòd uerum est, quòd scilicet libro de generatione animalium sequitur liber de anima, nihil minus ante librum de anima est liber de historia animalinm & libri in quibus Arist. tractauit de partibus animalium, omnibus dico & organicis & similaribus, & ita in his libris tradidit notitiam partium animalium, quare ad rationem eorum, qua opinionem suā confirmant, quia cuilibet totius notitiam, præcedit: notitia partium, uerum est hoc, ergo antequam habeamus notitiam animalium & plantarum habenda est prius notitia de anima, uerū est, ergo liber de anima ordine doctrinæ præponendus est his libris scilicet de animalibus, & plantis; nego argumentum, quia sicut dicit Auer. in proœmio metaphysicæ in his libris scilicet de historia animalium Arist. agit de partibus animalium & plantarum materialibus, non autem agit de toto animali. O' tu dicis, ex hoc habetur etiam propositum quia nono metaphysices, actus est prior potentia, sed anima quæ est, forma est actus, ergo prior notitia eius, quàm materiæ quæ se habet, sicut potentia. Dico quòd quantum est per se ordine scilicet naturæ ita deberet esse, quòd scilicet notitia de anima deberet præcedere notitiam partium materialium, ipsorum animalium, & plantarum, si tamen consideremus istum doctrinæ ordinem quo ad nos, tunc necesse est tradere prius posteriorą naturæ quia illa sunt nobis notiora, quia anima non innotescit, nobis nisi ex partibus materialibus animalium, quàm ipsius anima? quòd autem anima non innotescat, nobis nisi ex partibus materialibus animalium iam diximus: quia anima innotescit nobis ex sensibus: sensus autem ex organis, organa ex obiectis, ideo ex partibus materialibus nobis innotescit anima; O' tu dicis causa materialis debet nobis innotescere, ex causa finali: & formali. Dico, quòd peruertit ordinem naturæ Arist. quia anima ex sensibus innotescit nobis, ideo Arist. non potuit hic seruare ordinem naturæ, quia formalis causa hic innotescit, nobis ex causa materiali, ideo peruertimus

ordinem

ordinem, & ipsa notiora non sunt nobis nota, sed innotescunt nobis ex posterioribus naturæ, ita ergo hic licet ordine doctrinæ corrispondente ordini naturæ notiria de anima præcedat notitiam partium animalium, tamen quia ille sunt nobis notiores ex ipsis nobis innotescit anima; peruertimus ordinem, nec hoc est inconueniens.

Sed est secundus modus dicendi Aue. 2. huius qui dicit quòd inter partes philosophiæ naturalis sexto loco ponendus est liber de plantis, cum enim conueniant de quinque partibus primis totius philosophiæ naturalis ita dicit septimo uero loco debet poni liber de animalibus, octauo loco debet poni de anima, & ratio ordinis est inquit Auer. quia anima non innotescit nobis nisi ex partibus materialibus animalium & plantarũ; id eo debet prius tradi notitia de partibus plantarum & animalium, quàm de anima, quia plante sunt natura priores quàm animalia, quia simpliciores, in plantis enim est, sola anima uegetatiua, & quia uegetatiua est natura prior sensitiua, ideo recte libri de plantis præcedunt libros de animalibus; sed Auer. aduersatur Arist. quia dicit Auer. quòd liber de animalibus & liber de plantis præcedunt librum de anima, quia Arist. in locis citatis, scilicet in principio libri de sensu & sensili postquam inquit, de anima, secundum se ipsam determinatum est: & prius de uirtute, & potentia qualibet ex parte ipsius, reliquum est; facere, considerationem de animalibus & uitam habentibus omnibus. Dico &c. quòd postponit & de animalibus & de uitam habentibus hoc est, de plantis ipsi libro de anima, & ita patet, quòd libri de anima ex auctoritate Arist. debet præcedere libros de animalibus & plantis, & ratio etiã hoc conuincit, quia partes plantarum innotescunt nobis ex partibus animalium, & ita partium animalium notitia primo ex auctoritate Arist. secundo de anima ubi habet ista uerba partes plantarum se habent proportione quadam & similitudine cum partibus animalium; sed si habent ex ista proportione & correspondentia ad partes animalium, ergo partes plantarum innotescunt nobis ex partibus animalium, ergo partes animalium debent præcedere: & esse priores Cognitione, partibus plantarum, ergo scientia de animalibus etiam debet præcedere scientiam de plantis, cuius oppositum dixit Auer. quia sexto loco ponit librum de plantis; septimo loco ponit librum de animalibus.

Ideo est, tertius modus dicendi Græcorum, scilicet Themistij, & Simplicij, qui conueniunt in hoc, quòd quinque sunt partes magnæ ipsius philosophiæ naturalis, Prima est de principiis cõmunibus & accidentibus communibus omnium rerum naturalium, & ista habentur in libris physicorum, Secunda pars est de principiatis corporibus, scilicet simplicibus eternis, in generabilibus, & incorruptibilibus, scilicet de Cœlo ipso, & ista habentur in duobus primis lib. de Cœlo: quia autem corpora simplicia, erant duplicia, scilicet in generabilia & incorruptibilia, & generabilia & corruptibilia, scilicet de elementis ipsis, de primis diximus, quòd egit in duobus primis libris de Cœlo: in duobus uero ultimis de Cœlo & mundo, & quatenus, etiam ueniebant in generatione & generabantur & corrumpebantur. In inuicem, egit in duobus libris de generatione & corruptione, & hæc omnia sub secunda parte comprehenduntur totius philosophiæ naturalis. Tertia uero pars est de corporibus mixtis imperfectis & hæc pars habetur in tribus primis lib. methe. quia in quarto libro declarat nobis generationem omnium metallorum in generali, & Communiter, specialiter uero egit de metallorum generatione, in libris de mineralibus, quam partem non perfecit Arist. sed completa fuit ab Alberto Alemano, & hæc est. Quarta pars totius philosophiæ naturalis. Quinta uero pars est, de animalibus plantis, stirpibus hæc autem quinta pars est diuisa, in duas partes, in eam scilicet, quæ appellatur scientia propter quid, & in eam quæ dicitur, scientia quia, in una enim, id est, in illa parte quæ est quia traditur scientia quia tradit nobis Aristoteles scientiam animalium notitiam partium animalium materialium, & etiam plantarum, per demonstrationem quia, per modum rationis & historiæ & hic est liber de historia animalium, in alia uero parte Aristoteles tradit notitiam propter quid eorum scilicet quæ dicta sunt in libris de historia animalium, tradit causam & rationem, & hoc fit in reliquis libris, scilicet de partibus animalium & de generatione animalium, prima pars uero, scilicet in qua tractatur de partibus animalium materialibus, scilicet Simplici narratione, & notitia fit mentio, quia per modum historiæ fit, diuiditur ista pars in quattuor partes, in prima enim parte (est) declarat Arist. substantiam partium animalium, id est, tractat, de animalibus. Quatenus ad eorum substantiam, & quo ad eorum propria opera, quæ sunt, sensus scilicet & motus, opera enim animalium sunt, duo, scilicet sensus, & motus, & ista pars absoluitur; in primis quattuor libris de historia animalium, secunda autem pars est in qua tradit, nobis Arist. generationem omnium animalium, etiam per modum historiæ, & hoc fit in tribus sequentibus lib. de historia animalium. Tertia pars est, in qua tradit nobis Arist. mortem & uitam omnium animalium, & hoc fit in octauo libro de historia animalium, & postea est. Quarta pars in qua agit Arist. de motibus omnium animalium, & hoc facit Arist. in nono libro de historia animalium & ita completur totus liber de historia animalium in nouem libris ubi agitur

tur

tur de animalibus per modum historiæ. Primum autem librum ab his libris abstulit Theodorus Gaza de historia animalium, quia dixit hæc non debere poni, quia Arist. non procedit, per modum historiæ, sed incipit ibi tradere causas sterilitatis, & fertilitatis animalium, in alia uero parte scientiæ animalium, scilicet in scientia propter quid tradit Arist. rationes & causas eorum quæ dicta sunt in libris de historia animalium, & ita hi libri in quibus traditur, notitia propter quid partium animalium, correspondent libris in quibus traditur notitia partium animalium non propter quid sed per modum, quia & per modum etiam historiæ sicut in alia parte, & ita sicuti illi libri de historia animalium diuidebantur, in quattuor partes, & isti in quibus traditur, notitia propter quid diuiduntur, in quartuor partes corrispondentes, illis quartuor de historia animalium, & prima pars sunt quartuor primi libri, qui correspondent, primæ parti de historia animalium, quia sicut in prima parte de historia animalium tradebat nobis Arist. notitiam partium substantialium animalium, scilicet de substantia animalium & eorum opera propria enarrat, per modum simplicis enarrationis, & historiæ, ita & in libris his scilicet de partibus animalium. Primo de incessu animalium secundo, tertio liber de anima. Ita ergo in his libris traditur, notitia de substantia & operationibus propriis animalium, per modum rationis, & propter quid, quæ est doctrina correspondens primæ parti de historia animalium, quare hoc ordine patet, quòd liber de incessu animalium in his libris qui reddunt, rationem eorum quæ dicta sunt, in prima parte de historia animalium connumerandus est; ei uero parti quæ erat de sensu & motu quæ comprehendebatur in tribus sequentibus libris de historia animalium correspondent, libri tres alij, in quibus traditur ipsum propter quid; & causa eorum quæ dicta sunt ibi. Primus est de sensu & sensili. Secundus de memoria & reminiscentia. Tertius de somno & uigilia, & hoc ordine proceditur quia sensus est duplex, interior, scilicet & exterior, & quia sensus exterior prius a nobis cognoscitur sensu interiori, ideo prius posuit librum de sensu & sensili, in quo tractatur de sensu exteriori quàm librum de memoria & reminiscentia, in quo tractatur de sensu interiori; ei uero parti quæ est de motu animalium correspondet, liber qui est, de communi motu animalium; ei uero parti, & hæc erat. Secunda ubi loquebatur de generatione animalium quæ comprehenditur in tribus libris sequentibus de historia animalium, correspondent quinque libri de generatione animalium; ei parti ueto quæ est de morte & uita quæ comprehendebantur in octauo libro de historia animalium, correspondent quinque libri. Primo liber de causis longitudinis, & breuitatis uitæ, quia longitudo uitæ ducit ad senectam, & senectus & iuuentus ducunt ad inspirationem & expirationem; iuuentus enim ducit ad inspirarionem senectus autem ad expirationem inspirario & expiratio ducunt ad mortem & uitam, unde dicit Arist. quòd causæ mortis est, expiratio, quia senectus exsiccat tam membra, & facit tam dura ut non possit inspirare, & ita calor naturalis suffocatur, & animal tandem moritur, recte ergo secundo loco deber poni liber de senectute & iuuentute, quia longitudo uitæ sicut diximus ad senectam ducit breuitas uero non ducit, ideo est expiratio & inspiratio, quia iuuentus bene inspirat sicut senectus male inspirat, quare ergo ei parti quæ est de morte & uita, correspondent, quinque libri. Primo de longitudine & breuitate uitæ. Secundo liber de iuuentute & senectute. Tertio liber de inspiratione & expiratione. Quarto liber de morte & uita. Quinto liber de sanitate & egritudine, quia inspiratio & expiratio ducit ad mortem & uitam.

Lectio Quarta.

OSTENDIMUS quonam loco philosophiæ naturalis ponatur liber de anima & posui prius duos modos dicendi quos etiam in superiori lectione reprobaui, erat unus modus latinorum, alter uero Auer. Tertio posui tertium modum, qui est Græcorum, scilicet Them. & Simp. in proœmio libri physicorum, qui dicunt, quod sunt, quinque partes totius philosophiæ naturalis. Dico quoad principiata est de principiis communibus & accidentibus communibus omnium rerum naturalium, quæ pars habetur in libris de physico auditu. Secunda pars est de principiatis & corporibus simplicibus, & hæc habentur in libris de Cœlo in lib. de generatione & corruptione, & quia ista corpora simplia sunt duplicia, quædam scilicet eterna & quædam generabilia, & corruptibilia, ideo de eternis egit Arist. in duobus primis libris de Cœlo, de generabilibus, autem & corruptibilibus egit in tertio & quarto libro de Cœlo & mundo, & complens scientiam quia ibi non erat completa, egit extra in duobus lib. de generatione & cortuptione. Tertia pars est de corporibus mixtis imperfectis, scilicet de his quæ fiunt in sublimi, & hæc habentur in tribus primis libris metheororum. Quarta uero est, de his quæ fiunt infra Lunam ut de mineris & metallis, & hæc pars completur in libris de mineralibus scilicet, pars autem quæ est de animalibus & plantis & de istis per modũ historiæ egit in libris de historia animalium, per modum uero causæ & rationis, egit in reliquis libris ut puta de partibus animalium; Causam

autem huius ordinis ego dixi, tum ex uerbis Arist. tum etiam quia ubique, ut in principio de sensu & sensili, & in libris metheororum semper præponit libros de animalibus libris de plantis, in principio enim de sensu & sensili dicit Aristoteles, postquam tractauimus de anima, & de omnibus eius partibus, consequens est, de animalibus & uitam habentibus rtactare, tamen quia innotescunt nobis partes plantarum ex partibus animalium, quia proportione quadam corrispondent partes plantarum partibus animalium ut dicit Aristoteles secundo huius, & hac de causa Aristoteles in libris de partibus animalium incepit prius tradere, notitiam animalium quæ habent sanguinem, quia notiora sunt quàm ipsa animalia exanguia, & inter hæc primo de homine quàm de aliis animalibus, quia erat notior, quare ergo partes plantarum innotescunt nobis ex partibus animalium, si tamen partes plantarum essent natura priores partibus animalium, nihil minus prauertimus ordinem, & facimus quòd libri de animalibus præcedant libros de plantis, licet plante sint simpliciores, patet ergo quinque esse partes magnas totius philosophiæ naturalis, secũdum Græcos, Dicebamus postea quòd pars quinta erat de animalibus & plantis, bifariam, diuidebatur, scilicet in quia est, & in propter quid est, & prima comprehendebatur in reliquis libris, & dicebamus etiam ꝙ de libro de historia animalium Aristoteles fecit quattuor partes. primo enim tradebat substantias & opera propria animalium, & hæc completur in quattuor primis libris de historia animalium, primo enim Arist. tradebat notitiam de substantiis Arist. partium animalium. Secunda de propriis operationibus animaliũ, scilicet motus & sensus, & sicut diximus hæc tota prima pars completur in quattuor primis libris de historia animalium. Secunda uero pars erat de generatione omnium animalium, tam terrestrium quàm aquaticorum tam uolatilium quàm gressibilium, & ista pars completur in tribus libris sequentibus de historia animalium, in tertia uero parte Aristoteles agit de uita & morte animalium, & hoc facit in octauo libro, in quarta parte agit de motibus animalium, hoc facit in nono libro. 2. uero librum abstulit Theod. Ga. ab his de historia animalium, quia non spectabat ad illum locum, quia in hoc libro Aristoteles tradit de sterilitate & fertilitate animalium non sub modo historiæ sed assignat rationes, & procedit notitia propter quid non autem notitia quia, diximus etiam quòd in his nouem libris de historia animalium, correspondent, alij libri reddentes causam eorum quæ dicta sunt in libris de historia animalium, & primæ parti quæ est de substantia animalium in libris de historia animalium, correspondent tres libri causam reddentes; primo liber de partibus animalium: Secundo correspondet liber de incessu animalium, post illum. Tertio loco correspondet liber de anima: & ita hoc ordine liber de anima sequitur librum de incessu animalium, quando ergo isti libri, correspondent illi parti primæ partis quæ est de substantia animalium. Alij autem parti quæ est de operationibus animaliũ propriis, scilicet de sensu & motu correspondent alij tres libri. Primus scilicet de sensu & sensili. Secundus de memoria & reminiscentia. Tertius de somno & uigilia, & hoc ordine quia sensus exterior notitia præcedit sensum interiorem, scilicet quo ad nos & ideo liber de sensu & sensili in quo agitur de sensu exteriori præcedit librum de memoria, & reminiscentia in quo agitur de sensu interiori, & ita iste tres partes libri correspondent parti quæ est de sensu, ei parti uero, quæ est de motu animalium correspondent libri de communi motu animalium, & ita habemus libros correspondentes. Primæ parti de historia animalium; & causam eorum reddentes quæ dicta sunt per modum simplicis narrationis & historiæ in illa prima parte. Secundæ uero parti quæ erat de generatione animalium correspondent quinque libri de generatione animalium. Tertiæ uero parti quæ erat de morte & uita animalium, correspondent quinque libri. Primo liber de causis longitudinis & breuitatis uitæ. Secundo liber de iuuentute & senectute. Tertio liber de inspiratione & expiratione. Quarto liber de morte & uita. Quinto de sanitate & egritudine, & hoc ordine debent esse isti libri. Primo quia longitudo uitæ ad senectam ducit, breuitas uero uitæ non ducit ad senectam. Tertio debet sequi liber de inspiratione & respiratione, quia iuuentus, & senectus sunt causæ inspirationis, & respirationis, iuuentus enim bene respirat senectus uero male respirat. Quarto loco debet poni liber de morte & uita, quia inspiratio & respiratio sunt causæ & uitæ & mortis sicut dicit Aristoteles, non enim aliud est mors quàm defectus respirationis, uita uero est ipsius inspirationis potentia, & ita hucusque habemus rationes horum quartuor librorum de quinta parte autem quæ est de sanitate & egritudine non uidetur ratio, quia sanitas & egritudo præcedunt mortem & uitam, non ergo hæc pars ponenda est, post partem de uita & morte. O' postponantur sanitas & egritudo quia hæ passiones non solum nobis non sunt a natura, sed etiam ab arte, ideo quia Aristoteles sequitur hic naturam ideo quia hæ dispositiones non solum a natura, uerum etiam ab arte fiunt post ponuntur, & ita iste est ordo librorum Arist. & hic ordo patet, ex Arist. & hic diximus de partibus animalium, de anima, de sensu & de motu & de somno & uigilia, ergo reliquum est, ut

ut de generatione animalium dicamus; tum etiam in fine de communi motu animalium, dicit, cum egerimus de partibus animalium & etiã de incessu eorum reliquum est, ut de anima dicamus, Theophrastus immitatus est hunc ordinem, Arist. fecit enim primo librum de plantis in quo primo agit de partibus plantarum, in secundo de generatione plantarum, in tertio de uita & morte, in quarto de sanitate & egritudine plantarum in quinto de uita & morte plantarũ, & ita in omnibus sequutus est Aristotelem, nisi, quòd ipse præposuit, sanitatem & egritudinem, plantarum, uitæ & morti ipsarum, & forte hoc fecit quia egritudo & sanitas plantarum est solum a natura, ideo præcedit uitam & mortem.

Sed uos dicetis tu dixisti, quòd in prima parte de historia animalium agit, de substantia animalium, & huic ascribit librum, qui reddit causam eorum, quæ dicta sunt, in illa parte, & ita in reliquis partibus dat, partem & locos contendentes excepta ultima parte quæ est de motibus animalium, cur ergo cum reddiderit Arist. causam omnium librorum de historia animalium omisit, causam partis quæ erat, de motibus animalium. Secundo quia uidetur quòd iste ordo librorum quem nunc assignauimus, non conueniat uerbis Aristotelis, quia Aristoteles in fine libri de partibus animalium dixit, cum egerimus de partibus animalium consequens est, de generatione animalium loqui: & tamen secundũ naturæ ordinem quem supra posuimus mediant multi libri, inter librum de partibus animalium & inter librum, de generatione animalium, mediat enim liber de incessu animalium, liber de sensu & sensato, liber de anima quare &c. Tertio sequitur ex hoc ordine quòd omnes libri numerati debent inscribi, libri de animalibus, quia omnes sunt traditi per notitiam animalium illi alij enim reddentes causam eorum, quæ dicta sunt, in libris de historia animalium & sunt circa notitiam animalium, ergo omnes de animalibus debent inscribi, non autem aliqui de incessu animalium aliqui de anima, aliqui de sensu & sensili, quare &c. Quarto dupliciter quia aliqui sunt libri, qui non comprehenduntur in hoc ordine, non ergo est iste uerus ordo, patet quia non comprehenduntur libri de problematibus Arist. & libri de lineis, non ergo rectus est ordo iste, quia non comprehendit, omnes libros factos ab Arist. quare &c. De primo, Dico quòd Arist. non ascribit librum reddentem causam eorum quæ dicta sunt, in illa parte quæ est, de motibus, quia hoc facit, in libro qui est de partibus animalium nam ex diuersitate sanguinis in crassitie uel tenuitate, dicit aliqua animalia esse ferocissima, aliqua debilia aliqua bona, aliqua mala, De secundo cũ dicis, quòd in fine de partibus animalium, dicit Arist. cum iam diximus de partibus animalium sequitur, ut de generatione animalium dicamus, Dico quòd rectum ordinem posuimus secundum mentem Arist. & ille locus corruptus est, & cum dicit cum iam de partibus animalium diximus recte debet sequi, reliquum est, ut de incessu animalium dicamus, non autem de generatione animalium, quia ita declarauit Arist. in fine de communi motu animalium, De tertio cum dicis, quòd omnes isti libri debent inscribi libri de animalibus, Dico quòd si respiciamus finem remotũ, re uera ita est, quòd omnes illi libri debent inscribi de animalibus si autem respiciamus, finem proximum & subiectum proximum horum librorum, tunc singuli habent, proprias inscriptiones & uarias & hinc patet dictum Plinij secundo de historia animalium, ubi dicit, ꝙ Arist. scripsit fere quinquaginta libros de animalibus, quasi quòd intelligeret ipse Plinius, omnes istos lib. in quibus agitur de diuersis actionibus & partibus animalium proprietatibusque, nos aũt triginta unũ habeamus habemus .n. pri de historia animalium qui sunt nouem de partibus animaliũ quattuor, de generatione animaliũ quinque & sic sunt decem & octauo & tersdecim sunt alij qui omnes faciunt numerũ triginta unus, Diogenes autem addit alios libros Arist. scilicet unum de anathomia tres de anima Duos, alios de qualitatibus animæ, unum de animalibus compositis, alium de fabulosis, alium de sterilitate & fertilitate animalium, & iste est ille quẽ diximus, esse inter libros de historia animalium sed Theod. cum abstulit & ita sunt sexdecim, & ita facimus numerũ quem dixit Plin. quia fecimus hucusque numerũ quadragesimumseptimum, Plin. autem dicit Arist. tradidisse forsam quinquaginta lib. de animalibus, quare &c. Quod dicebas ultimo, quia sunt alij libri Arist. qui non comprehenduntur in hoc ordine quem supra posuimus, Dico quòd isti libri non habent specialẽ locum sed debent, comprehendi sub illis partibus in quibus fit similior rerum pertractatio & de quibus fit aliqua mentio, quia non habent primum nec determinatum locum, & ideo tunc rectus est iste ordo quem assignauimus nunc, quia omnes libros, Arist. comprehendit ordine suo quare &c.

Hæc est, ut mihi uidetur, librorum series Aristotelis.	Hæc est diuisio generalis quinque partium principalium totius philosophiæ naturalis secundum Græcos.
	Prima pars est liber physicorum Secunda est liber de Cœlo & mundo & de generatione & corruptione Tertia est tres primi libri metheororum Quarta liber quartus metheororum & liber de mineralibus Quinta liber de animalibus & plantis
Liber physicorum Liber de Cœlo & mundo Liber de generatione & corruptione Liber metheororum Liber de historia animalium	Et ista pars diuiditur in quattuor partes. Prima pars continet quattuor primos libros in quibus traduntur substantiæ & opera propria animalium, scilicet de sensu & motu. Secunda pars continet tres sequentes libros ubi agitur de generatione animalium. Tertia pars continet octauum librum ubi agitur de uita & morte animalium. Quarta pars habetur in nono libro, ubi agitur de motibus eorundẽ.
Liber de partibus animalium Liber de incessu animalium Liber de anima	Cui parti correspondit primum membrum, primæ partis quod est de substantia animalium.
Liber de sensu & sensili Liber de memoria & reminiscentia Liber de somno & uigilia	Cui correspondit primum membrum, secundi membri, primæ partis quòd est de sensu & sensili, &c.
Liber de communi motu animalium	Cui correspondit secundum membrum, secundæ primæ partis quod est de motu
Liber de generatione animalium	Cui correspondet secunda pars principalis quod est de generatione.
Liber de causis longitudinis & breuitatis uitæ Liber de iuuentute & senectute Liber de inspiratione & respiratione Liber de morte & uita Liber de sanitate & ægritudine Liber de plantis	Cui parti correspondet tertia pars, de morte & uita.

Sed iste discursus ualeat quantum potest, quia non examinaui ipsum pensiculatiue, ideo saniori exactioriq; scrutinio remitto ut ueritas Clarius elucescat &c.

Lectio quinta.

OSTENSVM est a nobis quo nam loco naturalis philosophiæ ponenda erat ista scientia de anima, diximus enim quòd ponenda erat in quarta parte de animalibus, diuisimus enim scientiam de animalibus. In notitiam quia & in notitiam propter quid, & posuimus eam in parte propter quid, & in quarta parte, quinta autem pars erat de plantis & ita non conuenimus cum Auer. quia ipse posuit octauo loco scientiam ipsam de anima, hic modo est, secunda dubitatio, quis nam scopus aut subiectum sit huius libri de anima, Duplex est hic modus dicendi, quidam ex latinis dicunt, quòd subiectum scientiæ de anima est corpus animatum, & dupliciter probant ipsi, primo quia subiectum in scientia debet habere tres conditiones. Prima est quòd sit notissimum. Secunda quòd eius sint per se passiones ex Aristotele primo post decimooctauo, quia scientia fit ex hoc quòd passiones demonstrantur de subiecto. Tertia est, dicunt isti quòd propter ipsum omnia considerata sint in scientia, sed omnes istæ passiones conueniunt corpori animato, non autem animæ, quia animatum qua animatum, est notius, animatum enim est sensibile, anima autem non est sensibilis, quare &c. Tum quia animatum deffinit ipsam animam ergo est notius illa; quia diffinitio est notior diffinito. Secunda conditio etiam conuenit eidem animato, quia eius passiones sunt res considerate in ista scientia de anima, ut sentire, audire negetare &c. quæ sunt passiones animati & non animæ, ut dicit Aristoteles primo huius texto, Tertio dicit quòd hæ passiones sunt totius non autem animæ, ergo passiones conueniunt animato non autem animæ. Tertia etiam conditio ipsi animato conuenit, propter ipsum animatum enim, omnia considerantur in scientia de anima immo & ipsa anima consideratur propter animatum, quia totum innotescit ex partibus essentialibus, notitia enim partium essentialium ordinatur in notitiam totius ex conditionibus subiecti, patet ergo animatum esse subiectum in libris de anima, secundum argumentum ad huc est, ex conditionibus scientiæ, quia sicut pars scientiæ se habet ad totam scientiam ita subiectum partis se debet habere ad totius subiectum, sed ista scientia de anima est, pars philosophiæ naturalis, ergo subiectum huius scientiæ debet esse pars subiecti totius philosophiæ naturalis, hoc autem est corpus naturale, ergo pars eius debet esse corpus animatum non aut anima, quia omne totum est nobilius sua parte, quia totum est actu ens; partes autem sunt potentia, sed animatum est totum, ergo corpus animatum est, hic subiectum; non autem anima. Tertio & ultimo, quia in secundo physicorum unaquaque pars quæ uersatur circa formam alicuius, uersatur, etiam circa materiam illius formæ, ergo circa totum, si ergo hic agitur de anima est scientia de forma, ergo & de materia, & de toto, hoc autem est animatum corpus, ergo ipsum est, subiectum in scientia de anima. Itaque hæ sunt rationes illius opinionis quæ ponit animatum corpus esse subiectum in libro de anima &c.

Sed huic opinioni aduersantur, uerba Arist. in libris de partibus animalium, qui inscribit hanc scientiam de anima & ipsam appellat titulo de anima, titulus autem accipitur ex subiecto, ergo anima est hic subiectum non autem corpus animatum. Tum etiam quia Arist. in primo textu appellat hunc librum de anima, dicit enim historiam de anima in primis ubique ponemus. Item in secundo textu dicit idem; appellat enim hunc librum scientiam de anima, dicens scientia de anima omnibus est utilis. Tum idem in tertio textu, quòd inquirimus considerare naturam, & substantiam ipsius animæ, non auté dicit corporis. Tum in quarto textu, dicit scientia ista est difficilima, quia difficile est accipere fidem de ipsa anima; manifeste ergo patet ex uerbis Arist. quòd anima est subiectum istius libri, non autem corpus animatum, etiam hoc ratione comprobatur quia illud est subiectum primum in scientia aliqua quod primo deffinitur, & in partes suas diuiditur & cuius passiones primo considerantur in ipsa scientia, sed Arist. primo deffiniet animam ipsam & communi deffinitione non autem corpus animatum deffinitur; & eius passiones inquiruntur, si igitur non est corpus animatum hic subiectum ergo anima ipsa est subiectum in hac scientia. Ideo Greci omnes Themistius in prologo physicorum Ioan. Gram. & Simp. hic in procemio suo Auer. etiam hic dicunt animam in genere esse subiectum huius scientiæ quia anima hic consideratur, nulla amissa eius potentia, quia animæ sunt tres scilicet, negetatiua sensitiua & intellectiua.

Sed tu dices. O' nunquid omnis anima consideratur, ita ut etiam celestis anima cadat sub hac consideratione, illa enim rationalis est, ut dicunt, quidam dixerunt, ut præceptor meus quòd cadit sub hac consideratione anima celestis, ideo dicit quòd Arist. hic posuit duplicem deffinitionem animæ, unam quæ competit animabus corruptibilibus & est illa cum dicit. Anima est actus corporis organici potentia uitam habentis, aliam deffinitionem posuit dicens, anima est actus corporis physici organici, solum sine parte illa potentia uitam habentis; & hæc deffinitio dicit ipse, est communis omnibus animabus tam eternis & incorruptibilibus quam corruptibilibus.

Sed

Sed Simplicius, hic in procemio, & Themistius, & Alexander, in principio suæ paraphrasis aduersantur huic opinioni, dicunt enim quòd Aristoteles tantum hic de anima corruptibilium loquitur, non de anima celesti, & duplicem causam reddunt ad hoc probandum, primo dicunt, quòd anima celestis omnino est seiuncta, a corpore, & a materia, non enim est in materia, neque circa sensus, neque per se, neque per accidens, quia tantum se ipsam intelligit operaturque, sine aliquo corporali organo, uel instrumento, anima uero rationalis hominis quæ hic consideratur dependet a sensibus, & si non per se saltem per accidens, quia non potest operari, sine aliquo corporali organo, & sine sensibus, ideo Aristoteles infra queret, tertio huius, cur anima Socratis post mortem non reminiscitur eorum quæ prius nouerat ante generationem Socratis quando scilicet erat in alio indiuiduo Respondit Arist. hoc esse, quia anima ipsa, neque est neq; operatur, siue sensu & phantasia, & quia sensus & phantasia corruptibilia sunt, ideo corrupto sensu & phantasia, corrumpuntur etiam notiones quæ erant in illo indiuiduo, quando abollitur memoria, & sic non reminiscitur post mortem anima rationalis Socratis, anima igitur rationalis si sit separata a materia, per accidens tamen ipsi materiæ congiungitur, ideo cum anima celestis sit omnino separara a materia, & per se, & per accidens, non ergo consideratur, hic. secundo ex eodem Simplicio quòd idem est dicere corpus organicum & corpus potentia uitam habens est enim organicum corpus quod habet partes etharogeneas & hocmodo est corpus potentia uitam habens quia conuertuntur, idem ergo est anima & actus organici solum & addendi hic potentia uitam habens est, ergo eadem deffinitio animæ & deffinitio, corporis corruptibilis, ergo hic habetur solum mentio de anima corruptibilium, quæ est, cum materia, & sic in hoc loco conueniunt omnes Græci quòd Aristoteles loquatur solum de anima corruptibilium, hic & non de celesti.

Sed uos dicetis primo est difficultas quia omne scibile per se, est, per se intelligibile, ergo & per se sensibile, quia simulacra rerum non possunt, intelligi nisi ex sensu, & mediante sensu, & ideo deficiente, sensu deficit scientia, quæ habetur mediante illo sensu, dicit Arist. primo poste. cap. 14. quod ergo non est, per se sensibile neque est per se, intelligibile, sed anima non est per se sensibilis, ergo quia non sensu capit anima, ergo neque per se intelligibilis, ergo, neq; per se sensibilis. Secundo quia Arist. cur non ita processit in notitia aliarum formarum ut puta mixtorum imperfectorum & elementorum, & omnium inanimatorum, sicut fecit in animalibus perfectis, in mixtis enim imperfectis non tradit notitiam ipsarum formarum seorsum a materia, sed simul dat notitiam formæ cum materia, in animalibus, autē dat, notitiam formæ seorsum a materia, quare ergo non ita facit in animalibus ut simul det notitiam, formæ cum materia. Tum tertio quia tu dixisti ex sententia Auerrois quòd in libris de historia animalium sit sermo non de toto animali, sed de partibus materialibus animalium, hic autem agit de anima, scilicet de parte illa quæ est forma, ubi igitur agitur de toto animali nusquam certe uidetur, quarto & ultimo, quia si anima hic est subiectum primum, ergo quiditatiue anima hic consideratur & substantifice hoc autem uidetur falsum, quia omnis consideratio, animæ hic est cum motu & cum materia, quia considerantur solummodo prædicata quæ sunt cum motu & cum materia, sed quiditas eius est sine motu & sine materia, ergo si quiditas eius debet considerari, sine motu & sine materia etiam considerari debet, quid autem sit quidditas credo uos scire ex Aristotele, quòd quiditas est quòd exponitur primo per deffinitionem illius, & quid sit hæc aliqui dixerūt ꝙ quiditas est deffinitio hominis, nos dicimus ꝙ nihil aliud est q̄ humanitas. Auerroes autem dicit quòd quiditas est solum forma. De primo cum dicis quòd anima non est per se intelligibilis, quia non est per se sensibilis, dico. quòd uerum est, quia ipsa non per se sed per accidens sentitur: & non habet simulacrum per se, sed per accidens, ideo etiam non est per se sed per accidens intelligibilis, quod autem addis, ergo non est per se scibilis, nego argumentum, non enim omne per se scibile est per se intelligibile, satis est enim quòd de eadem possit haberi notitia per accidens, & possit intelligi, quod dicis secundo, quia Aristoteles facit specialem notitiam de ipsa anima non autem ita facit de mixtis imperfectis, in ipsis enim tātum tradidit notitiam formæ & materiæ. Dico quòd hoc Aristoteles facit, propter præsentiam eius, ad reliquas formas, aliorum corporum, quia ipsa ex sui natura habet, plures passiones, seu ut melius dicam potentias, quæ requirunt, diuersa organa, non autem est, sic de aliis rebus, naturalibus, aliæ enim formæ. Solum in materia potentiam habent, quod dicis, tertio quia si iste liber est de historia animalium sicut, dicis Auerroes tradit notitiam partium materialium, dico, scilicet in libro de historia animaliū, hic autem tradit notitiam, partium formalium id est, agit de ipsa anima, in quo igitur, loco tradit notitiam de toto animali. Dico quòd nullibi tradit notitiam ipsius animalis totius. Sed uos dicetis cur fecit hoc Aristoteles. Dico quia notitia totius hic habetur perfecte ex notitia partium essentialium alicuius habetur, & perfecta notitia totius sed hic habetur perfecta notitia

titia partium animalium & plantarum corporis scilicet & animæ, non enim amplius indigemus notitia separata & per se ipsius totius, quod addis quarto, quia si hic anima quidditatiuæ con siderantur deffinietur, ergo per proprium genus & propriam differentiam, ista est enim eius propria quidditas quæ est separata a materia & motu, quomodo ergo hic deffinitur anima cum motu & cum materia? Dico quòd bifariam potest considerari ipsa anima, unomodo relatiuæ ad ipsum corpus, scilicet relata & hoc modo deffinitur cum materia, quia omnis relatio fundatur in absoluto, secundomodo consideratur anima excepta relatione, & ut est aliquid absolutum, si modo consideretur anima quoad prædicata essentialia seu substantialia quæ includunt materiam & motum, tunc est consideratio materialis horum prædicatorum, si uero consideretur absolute quo ad prædicata transendentia, sicut substantia aut ens, tunc est metaphysici considera-tio, quia ista non includunt motum neq; materiam, non ergo sequitur anima est substantia, ergo anima mouetur. His omissis, quia dixit Simplicius, quòd hic consideratur anima nulla omissa eius potentia, ideo Ioannes Grammaticus, hic in proœmio suo ponit primo quotupliciter dicatur potentia animæ & quæ nam proprie sint uniuscuinsq; potentiæ, secundo ponit quid sentiant antiqui de his potentiis animæ. tertio quæ sententia eorum sit ueriot, De primo dicit Io. quòd potentia animæ bifariam diuiditur, primo est potentia rationalis, secundo est potentia sensitiua quam dicunt irrationalem, tertio est uegetatiua, si autem loquamur de potentiis rationalibus, id est, de potentiis animæ rationalis, Dico quòd sunt tantum duæ, quædam enim est potentia comprehensiua, quædam uero appetitiua, comprehensiua rursus bifariam diuiditur, quædam sunt speculatiuæ siue Theoricæ, quædam practicæ, Theoricæ iterum sunt tres, scilicet opinio, cogitatio, & mens, & appellatur ista secunda potentia de anima, id est, cogitatio ipsa discursus siue sententia, sed proprie discursus appellatur potentia, practicæ autem sunt duæ, scilicet uoluntas & electio, & differunt istæ potentiæ ex obiectis ipsis, quæ ergo est operatio opinionis est uniuersalis, id est, propositio uniuersalis, quæ est tam de rebus sensibilibus quàm de rebus speculatiuis, operatio autē ipsius discursus est procedere ex notioribus propositionibus ad consequens ignotius, & ista dicitur Diania, tertia potentia quæ est mens. Simplex apprehensio per se intelligere substantiarum abstractarum, hoc pacto mens est solum in his quæ intelligunt sine sensu, & phantasia, & ista non inest uulgaribus, tamen inest quoddam uestigium mentis ut pote illa potentia animæ quæ apprehendit propositiones per se notas, ut quòd omne totum est maius sua parte, & de ista potentia dixit Aristoteles primo post, cum dicit quòd principia cognoscimus quo, id est quatenus, terminos cognoscimus, id est quatenus sola simplici apprehensione terminos, id est, ipsamet principia cognoscimus, & hoc quia discursus est a propositionibus manifestis, ad consequens immanifestum & ideo assentimus principiis ipsis quatenus terminos, id est illa axiomata cognoscimus, id est substantias puras & abstractas quæ substantiæ appellantur termini omnium rerum, quoniam omnia ista inferiora reducuntur ad illas; Et quæ est perfectior his tribus dictis uos. O' dicit ipse Ioannes est imperfectior ipsa opinio. intellectus est perfectissimus, discursus autem medio modo si habet. Sed dubitat statim Ioannes Grammaticus, quia dictum est quòd operatio opinionis est apprehendere propositionem uniuersalem, sed tunc quætit quomodo in opinione habentur cognitio naturalis, non enim potest haberi ex inductione singularium, ad ostendendū ipsum uniuersale, quia si ostendit quædam non sufficit, si omnia non potest, quia sunt infinita, non ergo potest haberi ista cognitio, secundo unde simulacra rerum sensibilium, aut intelligibilium insunt nobis. Iste sunt duæ dubitationes ipsius Ioannis Grammatici, Ioannes dicit de primo quòd opinio adheret propositioni uniuersali ex inductione. O' tu dices, aut omnia inducit aut aliqua. Dico quòd inducit aliqua, & sciatis Domini quòd multoties ex paucis singularibus infertur uniuersale, ut dicit Arist. infra, quia dicit ipse, luna est sphericæ figuræ & ita ex luna tantum & uno singulari inducit propositionem uniuersalem, quia omnia illa astra celestia sunt eiusdem naturæ quare &c.

Lectio sexta.

REMANSERVNT quædam dubitationes circa illud principale secundum, quòd scilicet erat de scopo seu subiecto huius scientiæ, Dixerat prima opinio, quòd scopus siue subiectum huius scientiæ erat corpus animatum, non autem anima, quam opinionem, ut uidistis reprobauimus, tum auctoritatibus tum rationibus, erant tamen argumenta huius opinionis quæ sunt soluenda, Arguebant primo isti ex conditionibus subiecti, nam subiectum debet esse notissimum, sed animatum corpus est notius anima, ergo corpus animatum est subiectum; tum quia sensibile est, tum quia deffinit animam, tum ex alia conditione, quia scilicet subiectum debet habere per se passiones, sed passiones hæ considerate ut sentire & uegetare &c. sunt passiones totius, non autem ipsius animæ tantum ex Aristotele ipso infra, ergo sequitur quòd anima tum corpus est hic subiectum, non autam ani

ma ipsa. Tum tertio quia propter subiectum debent considerari omnia in scientia, sed propter animatum corpus considerantur omnia hic in scientia de anima, ergo &c. Maior patet, minor etiam quòd anima ipsa consideratur propter animatum corpus tum autem corpus animatum consideratur propter animam, ergo animatum corpus est hic subiectum quare &c.

Ad hæc argumenta, & primo dico ad primum quòd est uerũ quòd de ratione subiecti sit quòd esse eius sit per se manifestum & notum non tamen adeo notum, quòd nihil aliud notius sit eo, quia corpus naturale est, subiectum in tota philosophia naturali, & tamen non est notissimum, quia esse in loco esse quantum, & cetera accidentia sunt notiora illo, & tamen illud est subiectum in philosophia naturali, & sic patet, quòd non est de ratione subiecti quòd sit notissimum, sed solum quòd sit per se notum, quoad eius scilicet esse, & si aliquid sit eo notius nihil obstat. Et ideo sicut corpus animatum sit notius anima, ob hoc non tollitur quòd anima non sit subiectũ in hoc libro quare &c.

De secundo dico quòd arguis ex secunda conditione subiecti. Quia subiectum debet habere passiones, sed passiones iste de quibus hoc in libro agetur non per se primo conueniunt animæ sed corpori animato, ut sentire, uegetare, & huiusmodi. Dico quòd utrisque conueniunt per se Primo conueniunt animæ quo ad originem & efficientiam. Quo uero ad denominationem per se. Primo conueniunt toti, id est corpori animato, & hoc intelligitur infra cum dicit, siquis dixerit animam sentire & uegetare eam dicit texere uel filare &c. Et ita quo ad originem primo & per se insunt iste passiones animæ, licet etiam per se denominent totum & primo, ut V.G. albedo per se primo denominat cõpositum, tamen quo ad originem denotat illud accidens & ipsum primo inest materiæ. Dico ergo quòd passiones hic consideratæ, quo ad earum originem, per se primo insunt seu conueniunt animæ, licet etiam quo ad denominationem primo, & per se, conueniant toti, & corpori animato, quare &c.

De tertio cum dicis anima consideratur propter corpus animatum, & non animatum corpus propter ipsam animam, ergo animatum corpus & subiectum debet se habere, ut subiectum partis sit pars subiecti totius scientiæ, sed corpus animatum est pars subiectiua corporis naturalis quod est subiectum totius philosophiæ naturalis non autem anima ergo &c. Dico quòd subiectum hic est pars essentialis subiecti totius, non autem pars subiectiua animalis. Et ideo dico quòd satis est quòd subiectum hic essentiale sit subiectũ totius philosophiæ naturalis, licet non sit pars intelligibilis, est tamen pars essentialis corporis naturalis quare &c.

De alio quod dicis ista scientia est nobilissima omnium scientiarum, ergo debet habere subiectum nobilissimum. Concedo sed omne totũ est nobilius sua parte, ergo corpus animatum est, hic subiectum, non autem anima ipsa. Quia si anima esset, hic subiectum, alia esset scientia, quæ esset nobilior ista, illa scilicet cuius subiectum esset totum, ut puta corpus animatum, & quòd corpus animatum esset nobilius anima ostẽdebat. Quia totum est actus eius, seu est actu ens, & partes sunt potentia in toto, anima, ergo cum sit pars corporis animati, est in potentia, ergo est ignobilior illo. Quia actus omnis est nobilior omni potentia. Dico ad hoc, cum dicis, Ista scientia est nobilissima, ergo subiectum debet esse nobilissimum. Verum est, ergo corpus animatum est, hic subiectum. Nego argumentum. O' animatum est nobilius anima, quia animatum est totum, anima aut est pars, omne aut totum est, nobilius sua parte, quia ipsum est in actu, pars aut est in potentia. Dico quòd falsum est, quòd omne totum sit, nobilius parte, nam anima quæ est pars est nobilior corpore animato. O' cum dicis, omnis nobilitas partis est, etiam nobilitas totius. Dico uerum est perfectior tamen est nobilitas partis quæ est anima, quàm sit totius corporis, quia in anima sunt ille nobilitates impendenter in toto uero dependenter. Et ita omnis forma corporis naturalis est nobilior composito ipso. Quia forma est actu ens: etiã compositum est, actu ens: sed perfectiori modo forma est actu ens quàm sit compositum, forma enim est actu ens, per se & independenter: compositum uero est actu ens mediante ipsa forma. Et ita anima rationalis, est nobilior corpore animato. O' quid ad argumentum, cum dicitur ꝙ totum est, nobilius sua parte, uerum est, intelligendo quatum est totum, & actu ens, per se, ut si consideremus formam, & materiam quatenus sunt partes in toto, simpliciter tamen, forma est nobilior ipso toto, & ideo non inconuenit quòd totum sit nobilius una ratione, & uno respectu, & alio respectu ignobilius sit aliqua sui parte, ita de anima dico quòd anima simpliciter est nobilior corpore animato, licet corpus animatum quatenus est actu ens, sit nobilius anima. De alio cum dicis, quia considerans formam considerat & materiam ergo ista scientia considerans animam considerare debet totum animatum corpus uerum est, quòd scientia ista considerat corpus animatum, sed dependenter, scilicet propter notitiam animæ, simpliciter tamen considerat animam ipsam & ita solutis omnibus argumentis, Restat quòd anima ipsa sit subiectum primum huius scientiæ & non corpus animatum, ut dicunt isti, quia anima consideratur nulla potentia eius omissa quare &c.

Ideo fuit secunda dubitatio Ioannis Grammatici

matici, quia diximus quod anima quo ad fui omnes potentias erat hic fubiectum Dubitabat, Ioannes, quot nam effent potentiæ ipfius animæ Secunda dubitatio fuit, quæ nam opinio prifcorum effet, de potentiis animæ, Tertia dubitatio, quæ nam harum opinionum fit uerior. Hæc funt tria problemata quæ Ioannes, propofuit quærenda, Dicit ergo primo Ioannes, quòd tres erant potentiæ animæ in genere. Prima potentia erat rationalis, Secunda potentia erat irrationalis, fcilicet fenfitiua, Tertia erat potentia uegetatiua, Sed loquamur de anima rationali. Dico quòd huius funt due potentiæ dicit Ioannes, fcilicet comprehenfiua & appetitiua. Omnis enim uirtus comprehendens habet proprium appetibile, de appetitiuis nihil dicit Ioannes, cõprehenfiue funt duplices Theoricæ, fcilicet & Practicæ, Theoricæ funt tres, Opinio, Mens, fiue intellectus, & Difcurfus, & hæ potentiæ dicuntur operatio & in operando, Opinionis autem erat apprenhendere uniuerfalem propofitionem, tum in fenfibus, tum in intelligibilibus. Difcurfiuæ aũt potẽtiæ operatio eft inferre ex propofitionibus per fe notis confequens ignotũ tertie aũt, potentiæ mentis.f.ipfius eft operatio per fe primo apprehẽdere fubftantias feparatas, & prius intelligẽtias, abfque aliquo difcurfu, & ifta uirtus non ineft uulgaribus, fed folum eft in hominibus fcientificis. Vulgares tamen habent ueftigium huius. Quia aprehendunt propofitiones per fe notas, & ifte dicitur intellectus, & ideo notitiam axiomatum feu dignitatum uocauit Arift. intellectum primo pofteriorum. Et ideo dicit Ariftoteles principia cognofcimus, quo terminos cognofcimus, quod dictum exponitur a Ioã. Grã. quo cognofcimus ipfa principia, quatenus, Scilicet uel quo terminos cognofcimus, ideft quo fubftantias abftractas cognofcimus, & appellat illas fubftãtias abftractas, fubftantiæ.n. abftractæ eft terminus noftre confiderationis. Hic Ioan. addebat duplicem dubitationẽ, Prima unde noftra opinio habeat cognitionem propofitionis uniuerfalis, quòd omnis homo, fit lapis, fecunda unde nam in nobis effent fimulacra rerum fenfibilium, & intelligibilium. De primo, dicit Ioannes, quòd propofitio uniuerfalis eft in opinione ex cogitatione, Quia cogitatio ex fingularibus infert uniuerfalæ, quia autem omnia oftendunt fingularia & hæc non poffunt induci quia funt infinita; fi autem aliqua inducimus non debet inferri, uniuerfale, quia uniuerfale conftat, ex omnibus fingularibus, Dico quòd in aliquibus fingularibus inducemus uniuerfale ipfum, O' tu dicis non femper uerum eft fed aliquando, Et quando eft, hoc diceris uos, O' Dico eft, quando prædicatio effentialis eft, ibi tunc fequitur ex uno fingulari uniuerfale, ficut fecit Arift. fecundo huius, ubi oftendit omnes ftellas effe fphericæ figuræ ex luna fcilicet, & ita ex uno fingulari infert ibi Arift. uniuerfale quia omnes ftellæ funt eiufdem naturæ & ita quando eft, effentialis prædicatio in aliquibus fufficiunt tot fingularia in inductione ad hoc quòd propofitió uniuerfalis fit & uniuerfaliter fe habeat, ideft. Ad hoc, quòd prædicatio illa fit uniuerfalis, & uera, De fecundo unde nam fint fimulacra, rerum fenfibilium, & intelligibilium in nobis, O' dicit Ioannes, quòd in funt illa fimulacra in nobis a primo opifice, fed occultantur propter coniunctionem animæ cum corpore, ficut enim ignis occultatus fub cineribus eft, quia non apparet, fed excitatus & remotis ipfis cineribus apparet ita etiam fimulacra non apparent in noftro intellectu, nifi excitatur ab ipfis fenfibus. Et ob hoc præceptores noftri non dant nobis nouam fcientiam fed faciunt apparere ea quæ in nobis occulta erant & ideo fcientia dicit Ioannes fit ex quædam reminifcentia. Et fi hæc non effet inquit ipfe. Quomodo fcirem, quòd ifte perperam fillogizat, fcilicet quòd omnis anima fit immortalis, & ille optime fillogizet quòd omnis anima fit mortalis, & hæc dicta de potentiis Theoricis ipfius animæ, quæ circa ueritatem uerfantur. Aliæ funt potentiæ practicæ, fcilicet uoluntas & Electio, & differunt ifte quia uoluntas per fe competit animæ rationali, & eft folum bona uel apparens bona, femper enim elligimus, uel quæ bona funt, uel apparenter bona, Electio uero eft coniuncta fenfui, & ideo bona eft, uel mala, ideft eft obiecti boni uel mali, indifferenter. Aliæ funt potentiæ animæ rationalis, ideft animæ fenfitiuæ, & ifte funt duplices, Comprehenfiua, fcilicet & appetitiua, comprehenfiuæ duæ funt, fcilicet immaginatio, feu phantafia, & fenfus, & ifte differunt & conueniunt, conueniunt quidem, quia operantur circa fenfibilia ambo, differunt uero tripliciter. Quia nomine fenfus apud Arift. femper intelligimus, fenfum exteriorem, cum autem Arift. uult intelligere interiores, femper addit uel primus, uel aliquid aliud, Differunt ergo primo quia fenfus exterior imediãte recipit imagines a fenfibilibus rebus, imaginatiua uero habet fimulacra non a fenfibilibus rebus, ut imaginatio caloris in fenfu interiori nõ habetur a caloribus, fed a fenfu exteriori, fenfus interior non apprehendit, fenfibilia ut caloris, nifi in abfentia caloris, immaginatiua etiam apprehendit, in abfentia illos, Tertio differunt quia fenfus exteriores, non apprehendunt, nifi propria fenfibilia. Vt uifus. Solum colores. Auditus folum fonos, imaginatiua uero omnia fenfibilia, indifferenter apprehendit, & ifta appellatur phantafia, quafi phandon, ftafis, ideft quies apparentium omnium fenfibilium, quia omnia, quæ apparent fenfibus exterioribus in ea quiefcunt, & iftam uirtutem appellauit, Arift. intellectum pafsiuum & hoc merito, quia

sicut intellectus non habet simulacra rerum a rebus ipsis, sed a sensu exteriori, ideo dicitur intellectus, quia sicut intellectus triplici intuitu ipsa sensibilia apprehendit, & ita & ipsa. Aliæ autem sunt potentiæ quæ his correspondent, & istæ sunt appetitiua & sensitiua, & istæ sunt duplices, scilicet, concupiscentia & ira. Et differunt istæ potentiæ penes obiecta, ex hoc quia cum prouidentia diuina fecit naturam humanam, fecit illam corruptibilem, corruptibilitas uero huiusmodi & aliis potest esse, ex extrinseco uim inferente, alio modo ex fluxu naturæ potest esse, corruptibilitas, quia a natura factus fuit calor innatus qui agit in humidum radicale & illud resoluit, & nisi restauraretur a cibo statim corrumperetur animal ipsum. Quia humidũ radicale est, nutrimentum ipsius animalis, ut dicit Gal. quia tamen cibus non ita bene instaurat, sicut resoluitur, humidum ipsum, ideo indiuiduum non potest, eterno tempore permanere, quare natura uoluit facere ista, animalia eterna in specie. Vittus ergo quæ dicitur, ira ut redeam, eo unde digrediebamus respicit ea quæ extrinsecus inferunt corruptionem, homini concupiscentia uero respicit ea quæ inferunt intrinsecæ corruptioné ipsi homini ex fluxu naturæ, & ideo concupiscentia uult, & accipit, cibum, & potum, ut conseruetur animal & actus generationis: & cõseruetur species animalis & hoc modo differunt inter sed istæ uirtutes seu potentiæ &c.

Lectio septima.

DIXIMVS de potentiis animæ sensitiuæ, quòd erant duæ, scilicet sensus exterior & phantasia. Et diximus multa de istis. Dicebamus etiam de his, quòd scilicet his ambabus uirtutibus correspondent duæ aliæ potentiæ, una erat ira, alia erat, concupiscentia, & dicebamus quòd differunt istæ uirtutes ex obiectis. Nam natura humana animalis necessario erat corruptibilis. Hæc autem corruptio fieri potest uel ab extrinsecus, occurentibus ipsis animalibus, ut ex nimio calore uel frigore. Aut fieri potest ex fluxu naturæ, propter scilicet consumptionem humidi radicalis, ideo opus fuit nutritiua uirtute, & quia per calorem non poterat conseruari animal in indiuiduo, quia non est æque bonum illud ꝙ restauratur sicut est illud quod deperditur, ideo natura, uoluit ipsum animal in specie conseruare, per regenerationem ut patet. Diximus, iram, principaliter, esse datam animalibus, ut respiciant & expellant extrinsecus occurentia, in ipsis inferentia & occurrentia ad corruptionem animalium, concupiscentia uero respicit ea quæ per fluxũ naturæ, corruptionem inferebant, & ideo quia ista corruptio, propter consumptionem humidi radicalis est, ideo respiciebat cibum & potum. Et quia ista non poterant, facere, quòd indiuiduũ non corrumperetur, quia & si per cibum restauraretur animal, non tamen tantum restauratur quantum corrumpitur & deperditur in ipso animali, ideo natura fecit ut etiã ista concupiscentia respiceret generationem ut animal saltem fieret eternum in specie, ex quo in indiuiduo haud fieri poterat, & hoc modo differunt ira & concupiscentia.

Sed obiicitur, hic a Ioanne quomodo, scilicet ira ex opposito, distinguatur ab ipsa concupiscentia. Nam confunduntur ira & concupiscentia; quia qui irascitur concupiscit tristitiam in eo, quòd intulit iniuriam, quare confunduntur ira & concupiscentia, non ergo differunt. Tum secundo, quia dicis, quòd istæ sole uirtutes sunt appetitiuæ. Sed contra quia etiam ratio & intellectus appetit ut puta scientias ipsas. Non ergo concupiscentia solum est, ipsius appetitus sensitiui, sed etiã rationalis & intellectus, quare &c.

De primo dicit Ioannes, quòd ira est, de ira & concupiscentia, sicut dixit Arist. de habitu & dispositione in prædicamẽtis. Nã dispositio latius sumpta est genus ipsius habitus, strictius uero sumpta, opponitur ipsi habitui nã nos dicemus si latius accipiamus, concupiscentiam commiscetur cum ira, & est genus ad iram, conuenit enim iræ & animæ rationali. Si autem accipiamus ipsam concupiscentiam strictius specialiter, & proprie, ita sumpta opponitur ipsi ire quare &c.

De secundo autẽ cadem met. est solutio. Quia si distinguantur præstius & latius, quia & si intellectus desiderat scientias, non tamen eas concupiscit accipiendo scilicet propriæ concupiscentiam inter has uirtutes sensitiuas.

Sunt etiam aliæ potentiæ animæ uegetatiuæ quæ sunt tres, quæ insunt ipsis plantis. Nutritiua auctiua, & generatiua, quarum uirtutum naturalissima, & perfectissima est generatiua, ut dicit Aristoteles infra & exponit Ioannes, naturalissimam esse istam uirtutem, quia maxime intenta est a natura, & quia etiam est, finis aliarum uirtutum. Aliæ enim uirtutes ordinantur in istam, & ista est post uirtutem nutritiuam & auctiuam, quia non generat animal sibi simile nisi cum est nutritum, & iam est auctum. Ad hoc autem ut augeatur, indiget cibo & nutritiua potentia. Quare ergo generatiua potentia præsupponit auctiuam, & nutritiuam. Sed tu dices inquit Ioannes. Quia si in plantis sunt tres uirtutes, scilicet nutritiua, auctiua & generatiua, ergo in plantis est, etiam concupiscentia, quia concupiscentia est, circa nutritionem & generationem, non ergo est, hæc uirtus solum in anima sensitiua, sed etiam in uegetatiua. Secundo & difficilius, quia si tres sunt animæ, scilicet uegetatiua sensitiua & rationalis, cum omnes nos uegetamur sentimus, & ratiocina-

ratiocinamus, quia habemus tres animas, sed si sic est cum ergo homo est unum animal & est, unū per se ens, quia unum per se ens dicitur esse per unam formam, ergo unusquisq; homo erant tres homines quod uidetur falsum & contra sensum quare &c.

De primo, cum dicis in plantis sunt illę tres uirtutes ergo in plantis est, concupiscentia, Dico negando argumentum, O probabas, quia concupiscentia est circa nutritionem, & generationem, uerum est, in ipsis animalibus, dicit Ioannes, non autem in plantis. Sed in plantis est appetitus ad generationem & ad nutritionem, & sciatis, Domini, quòd differt appetitus iste in animalibus, & plantis, nam in animalibus appetitus dicitur concupiscentia, quia est appetitus cum sensu, plantæ autem carent sensu ideo in eis, est solum appetitus, non autem concupiscentia, Secundo dicit, Ioannes, quia in animalibus concupiscentia non est solum ad nutritionem & generationem, sed ad delectationem etiam quæ fit, ex illis, cuius signum est, quia nos homines possumus fieri temperatiores, plantæ autem quia in ipsis est solum appetitus ad nutritionem, & generationem non autem ad delectationem. Tertio quia in animalibus præsertim, in homine, obedit ille appetitus rationi, in plantis autem non obedit rationi, quod patet, inquit Ioannes, quòd si præcipias ipsis plantis, quòd non nutriantur non obediunt, sed tantum concupiscentia obedit rationi & ideo homo potest se facere temperatiorem castigando delectationem, quæ fit ex cibo & generatione, Et ideo dicebat Plotinus est periculum ne homo transeat in plantam, quādo, scilicet nimis indulget, istis rebus, scilicet uenereis & sensibus & actui generatiuis & nutritiuis, Ex his ergo tribus differunt appetitus isti in animalibus & plantis. Si tu dicas inquit Ioannes si ergo nos castigando nutritiuam & generatiuam, uirtutem, efficimur temperatiores, ergo istę uirtutes sunt cum cognitione & obediunt rationi ergo ipsi substant, Dico non castigamus ipsas uirtutes, sed castigamus, delectationem, illam quam apprehendimus &c.

De secundo, cum dicis in homine sunt tres animæ, scilicet uegetatiua, sensitiua, & Rationalis, sed quomodo potest esse hoc, quia homo est, tantum unum animal, Dico, quòd istę tres animæ in homine habent rationem unius quia ita colligantur & oriuntur quòd uidetur tantum unam esse animam quare &c.

Et hæc sunt quæ dicit, Ioannes de potentiis ipsius animæ in communi, Sed super his dictis multa sunt ponderanda. Primo quia Ioannes uidetur discedere a doctrina Peripatetica, & primo, quia faciens sermonem de potentiis animæ rationalis dixit, quòd erant due scilicet. Comprehensiua & appetitiua, de primo errat Ioannes, quia opinio mens & intellectus, ex sententia Arist. 6. ethi. non sunt potentiæ, sed habitus animæ rationalis, differunt autem habitus & potentia, sicut sciris ex prædicamentis in prima specie qualitatis quare &c. Tum secundo quia Ioannes dicit, quòd prima operatio mentis est, simplex intuitus substantiarum abstractarum sine sensu. Sed hæc repugnat, Aristoteli, quia Arist. dicit infra. Omnis intellectus est, cum imaginatione & phantasia, ideo dicit, Arist. cur non reminiscimur, post mortem eorum quæ nouimus in uita & hoc dicit Arist. quia omnis intellectus, seu intellectio est cum sensu, sed sensus corrumpitur, ideo memoria deletur, quomodo dicit Ioannes, quòd operatio mentis est, simplex intuitus sine sensu. Tum etiam quia dicit, quòd hominibus uulgaribus inest uestigium mentis, licet nō proprie sit mens ut quòd omne totū est maius sua parte cognoscitur ab unoquoque etiam idiota & sic de aliis axiomatibus, & ideo dicit Ioannes, quòd Arist. primo posteriorum recte dicit, principia cognoscimus quo terminos cognoscimus. Quod dictum exponit Ioannes dupliciter hoc esse dictum ab Arist. primo quia cognoscimus, illa principia, prima cognitione, idest cognitione rerum, secundo dicit, quia cognoscimus, substātias abstractas quo terminos simplici intuitu ex quo adheremus principiis sed ista expositio non est uera, & longe extorta est, quia simplicior est, Arist. intellectus, nam ibi Arist. intellectus quòd principia cognoscimus, idest q̄ notitia axiomatum generatur in nobis ex simplici notitia subiecti, cum prædicato & iste est sensus uerborum Arist. nam statim quòd scimus, quod nam sit totum & quod sit pars, scimus quòd omne totum est maius sua parte. Tum etiam quia fungitur Ioannes officio mali expositoris, quia exponens uerba, Arist. dixit simulacra rerum insunt nobis a natura, sed occultantur sicut ignis sub cineribus & si cinis excitetur ignis apparet, similiter de intellectu nostro, quòd si excitetur a præceptoribus statim, simulacra in ipso emergunt & consequenter, quòd nostrum scire etat reminisci sicut Plato dicebat, sed ista opinio est, Platonica ut dixi, neque est secundum mentem, Arist. quia Arist. ubiq; contradicit Platoni in hac opinione, ut primo posteriorum probat Arist. quòd nostrum scire non est reminisci, sed de nouo ut omnis doctrina & omnis disciplina ex præexistenti fit cognitione contradicit ergo opinioni Arist. ipse Ioan. quare &c.

Errat & in alio Ioannes quia dicit, quòd uoluntas & electio differunt, quia electio est indifferenter & boni & mali, uoluntas autem solum bonis, sed quia electio est operatio uoluntatis, sed, uoluntas est, semper circa bonum, quia ab eo, quod nō est, bonum, abest, dicebat uoluntas Arist., ergo etiā electio est semper circa bonū quare &c.

Septimo circa potentias animæ sensitiuæ quia tantum duas ponit Ioannes Arist. autem longe plures sensus, posuit. Quia ponit sensum rationem imaginatiuam cogitatiuam & memoriam. Nunquid autem iste uirtutes sint distinctæ, ideo nos dicemus infra quia sola ratione differunt, & re & subiecto sunt una, ut infra uidebimus; quare &c.

Tum ultimo errat Ioannes in Ethimologia phātasiæ, dicit enim quòd est uestesis phanendon uero dicitur, phantasia, stasis quid eorum quæ appareant. Sed Aristoteles, secundo huius declarans istam ethimologiam dicit, quòd phantasia dicitur hapotaphatos, id est a luce, quia cum ista accipiat simulacra rerum a sensibus exterioribus quorum præcipuus est uisus quia uersatur circa lumen, ideo dicitur phantasia a luca quare longe abijt Ioannes a peripateticis, quia dicit Aristotelem appellare istam uirtutem intellectum, quia sicut intellectus recipit simulacra a phantasia ita ipsa recepit simulacra a sensibus exterioribus, & ob hoc inquit Aristoteles illam appellauit, intellectum &c. Sed in hoc etiam errat Ioannes, quia non hac ratione appellatur illa uirtus ab Aristotele intellectus quomodo dicit Ioannes. Sed ideo dicitur intellectus, quia imaginatiua in omni sua operatione deseruit intellectui & ipsum semper imitatur. Quia si intellectus intelligit simplicia ita etiam imaginatiua phantasia circa simplicia; si intellectiua discurit, discurit etiam phantasia; si diuidit, phantasia etiam diuidit: Sed iste duæ uirtutes differunt quia considerant omnia in uniuersali phantasia autem circa eadem in particulari uersatur, & appellatur, ista uirtus passibilis, ab Aristotele ad differentiam ueri intellectus agētis, quia uere est intellectus, neque ipse patitur, neque corrumpitur, sicuti corrumpitur, ista uirtus &c.

Tum ulterius dicit Ioannes de uirtutibus appetitiuis & de cōcupiscentia & de ira, dicit enim quòd differunt concupiscentia, & ira si concupiscentia præssins sumatur si uero capiatur latius tunc confunduntur & sunt idem sicut habitus & dispositio, sed contra, quia iste uirtutes animæ sunt omnino seiunctæ ab operibus, siue & obiectis, quia uersantur circa diuersa nam ira respicit, ea quæ extrinsecus occurrunt ad ostendendum & corrumpendum animal, ut ea profugiat. Concupiscentia uero respicit ea quæ possunt intrinsece inferre corruptionem animali, ut circa nutritionem & generationem, non ergo confunduntur iste uirtutes. O tu dicis illæ qui irascitur concupiscit uendicari & concupiscit malum in aliquo, ergo &c. Dico, quòd illa non est, concupiscentia, nec ille concupiscit, sed appetit ulsci iniuriam; differunt autem appetitus & concupiscentia, quare &c. de alio etiam quod dicis, quòd ratio & intellectus concupiscit scientiam, Dico quòd falsum est, quòd scilicet illa sit concupiscentia, quia ipse intellectus desiderat non autem concupiscit scientiam. Et ideo decipitur multum ipse Ioannes quia differt appetitus desiderium, & concupiscentia. Concupiscentia enim est principaliter propter delectationem uel nutrimenti uel generationis quod non est appetitus neque desiderium &c. Vltimo etiam errat Io. ponendo potentias uegetatiuas esse. Quia posuit tres animas in homine, scilicet rationalem uegetatiuam & sensitiuam, sed contra, quia si homo habet tres animas & tres formas quomodo homo est unus, & unum per se ens, quia unum per se ens est unum per unam formam quare &c. Tum etiam secundo huius dicit Arist. quòd anima uegetatiua continet sensitiuam, sicut quadratum continet triangulum, ergo non oportet ponere animam uegetatiuam in ipso homine, quia sensitiua suplet operationes ipsius animæ uegetatiue quare &c.

Sed uos dicetis quot ergo animas ponemus in homine. Dico quòd in hoc sunt, uarij doctores. Ipse Simplicius dicit quòd in homine est tantum una anima quæ est, anima rationalis & hoc idem dicunt Theologi nostri, Alexander, autem & Themistius dicunt in homine esse duas animas, scilicet rationalem & sensitiuam Ioannes uero Grammaticus posuit eas esse tres, scilicet uegetatiuam sensitiuam & rationalem sed Alexander & Themistius conformiter loquuntur quòd Aristoteles posuit tantum duas animas esse in ipso homine, & hoc quia anima rationalis, cum sit uirtus, omnino separata a materia, non potest uti organo corporali neque ergo potest facere, operationes sensitiuas & corporales, ideo necesse est, quòd in homine sit alia uirtus quæ faciat istas operationes, ut scilicet utatur organo corporali, & hoc facit anima sensitiua; quæ habet organa distincta per quocunque sensu & ista sensitiua supplet, operationes animæ uegetatiuæ. Et ideo isti posuerunt duas animas tantum in homine, & non plures, nec pauciores, & de facto ista opinio, est magis peripatetica quàm sit ulla alia supra dictorū quare &c.

Sed tu dices contra quia si homo habet duas animas quomodo ergo est unum animal & unum per se ens, quia unum per se ens est ab una forma tantum substantiali, si igitur in homine sunt duæ animæ seu formæ, ergo homo non est unum ens. Ad hoc Domini argumentum respondent Simplicius & Themistius & omnes Græci & inter latinos Ioannes Gandauensis solus, quòd forma & actus duplex est, unum est principium essendi alius est, principium operandi. Ita etiam anima dupliciter potest considerari ut est, actus. Vno enim modo potest esse actus corporis pro quanto est principium essendi. Aliomodo pro quanto est principium operandi, tunc non est nisi

unus

unus actus in uno corpore; Quando autem est, principium operandi est unus etiam actus: & hic actus stat, simul cum illo, in eodem corpore. exemplum in naui est, forma substantialis nauis, quæ est figura eius & ista est actus uel forma, quæ est, principium essendi deinde in naui est nauta qui est eius actus quatenus est principium mouendi & operandi, & ita non inconuenit quòd unius entis sint duo actus siue duæ formæ quarum una sit principium essendi, alia uero sit principium, operandi ita modo in proposito dicunt ipsi, in homine est anima sensitiua quæ est principium essendi, quia per istam animam homo est animal quia omne animal est animal, per sensum, deinde in homine est anima rationalis quæ est, principium operandi in homine. nec ob hoc tollitur quòd homo non sit unum ens. O tu dices quomodo ergo rationalis est ultima differentia essentialis hominis. O respondent quòd non dicitur rationalis anima ultima differentia hominis quia dat esse homini, quo ad eius operationem. Sensitiua uero non dat esse proprie ipsi homini quo ad eius operationem: sed animali, & corpori in quo est, anima rationalis quare &c.

Lectio octaua.

EXPEDIVIMVS primam partem procemij Ioannis Grammarici, quæ pars erat de potentiis trium animarum rationalis, scilicet sensitiuæ & uegetatiuæ & dixi uobis in quibus mihi uidebatur Ioannem recedere a mente Aristotelis, sequitur modo, secunda pars procemij Ioannis, quæ est, scilicet quid nam senserint antiqui de potentiis animæ & hic declarat Ioannes multas opiniones ex mente & ex uerbis Aristotelis primo huius, & ideo si nos declarauerimus ea quæ dicit hic Ioannes manifesta erit nobis tota prima pars huius primi libri de anima de ipsis opinionibus antiquorum quæ non solent legi ab aliis ideo tunc poterimus breuiter pertransire ad secundum librum de anima. Dicit ergo Ioannes, quòd quidam dixerunt animam esse corpus, & quid corporum, & alij dixerunt esse quid incorporeum, & illorum qui dixerunt, animam esse corpus. Quidam dixerunt esse corpus mixtum, & quidam corpus simplex, Et illorum qui posuerunt esse corpus mixtum, quidã dixerunt tale corpus esse mixtum, ex elementis incontinuis & seiunctis ut dixerunt Democritus & Leucipus qui posuerunt omnia fieri ex athomis intercedente uacuo, inter illa. Aliqui dixerunt illam esse mixtam ex elementis continuis ut Crisippus, qui dicebat animam esse sanguinem hominis qui sanguis est circa cor. Eorum qui dixerunt animã esse corpus simplex, quidam dixerunt quòd ipsa erat ether sine celesta corpus, sicut Hercules ponticus, quidam dixerunt animam esse ignem propter aptitudinem & uelocitatem sui motus, ut Heraclitus fecit. Quidam alij posuerunt animam esse æream corpus, ut Anaximenes & quidam alij stoicorum, quiddam alij dixerunt animam esse aqueum corpus, ut Thales qui posuit omnia fieri ex aqua, isti omnes dixerunt animam esse quid incorporeum & horum aliqui dixerunt, animam esse separabilem a corpore, aliqui uero inseparabilem, & eorum qui dixerunt, animam esse inseparabilem a corpore, aliqui etiam dixerunt esse qualitatem & temperaturam sicut Galenus, & in hoc ipse recedit a peripateticis, nam temperatura est, qualitas & accidens, ergo non potest esse principium substantiæ, ergo non est qualitas & temperatura anima ipsa. Aliqui alij dixerunt animam esse quandam proportionem, ut si duplum ignis sit, ad mixtum uni parti aquæ tunc ista proportio appellatur anima. Alij posuerunt ipsam esse numerum, ut Plato qui dixit, animam esse numerum se ipsum mouentem. Alij dixerunt animam esse substantiam ut ipse Aristoteles & etiam Plato qui dixerunt animam esse substantiam incorpoream, & quòd in genere sunt tres animæ, quarum una est, omnino separata a materia, & non utitur organo corporali in operationibus ipsarum. Eorum uero qui posuerunt animam esse separabilem a corpore: quidam dixerunt omnem animam esse separabilem a corpore, ut puta sensitiuam uegetatiuam & rationalem deceptis uerbis Platonis in Phedro dicentis, omnem animam esse immortalem, sed sciatis Domini, quòd Plato loquitur de anima rationali tantum, & non de aliis, &c. Quidam uero dixerunt omnem animam esse coniunctam materiæ, & ab ipsa inseparabilem, & ipsa corrumpi corruptione materiæ in qua est & istã opinionem etiam tenuit (ut uidebitis) Alexander Aphrodiseus, uidelicet animam rationalem esse mortalem, qui uoluit etiam trahere secum Arist. in hanc suam opinionem, cum tamen in rei ueritate Arist. aliter sentiat, quidam uero dixerunt ut dicit Ioannes sicut Arist. & Plato, qui sunt medii, inter has opiniones qui dixerunt & recte quòd duæ partes animæ sunt coniunctæ corpori & quòd sunt generabiles & corruptibiles & omnino inseparabiles à corpore, ut sensitiua, & uegetatiua. Tertia uero est, anima rationalis quæ est omnino separata a materia, ingenerabilis & incorruptibilis. Addit Ioannes quòd est differentia inter animam sensitiuam & uegetatiuam quia anima uegetatiua est inseparabilis ab isto corpore Crasso & terreno quod uidemus & tangimus, sensitiua uero ab isto quidem corpore Crasso separatur & terreno, sed est postea inseparabilis a corpore quodam spirituoso. Et quod nam est tale corpus dicetis. O dicit Ioannes, quòd est corpus constans ex quattuor elementis a prædominio tamen est aereum, & istud nil aliud

aliud est, quàm species & calor naturalis genitus ex puriori parte sanguinis, & ideo cum homo moritur anima ipsa uegetatiua corrumpitur, sen sitiua, uero anima migrat cum isto corpore spirituoso a corpore illo Crasso, Rationalis uero anima dicit, Ioannes, quòd est etiam omnino seiuncta & abstracta a materia. Et ita dicit Ioannes, conueniunt Arist. & Plato, in his omnibus, scilicet quòd anima sit substantia & incorporea, & quòd illæ duæ animæ sint inseparabiles a corpore, rationalis uero quòd sit separabilis ab omni corpore. Hæc omnia probat uerbis satis claris Ioannes, & primo probat & recte quòd omnis anima uniuersaliter, sit substantia & incorporea, & quòd illæ duæ animæ sint inseparabiles, a corpore, rationalis uero anima quòd sit substantia, & quòd sit incorporea & separabilis ab omni corpore. Et primo quòd omnis anima uniuersaliter sit, substantia, quia anima est pars totius animalis, quod est substantia, ergo anima est substantia, sed dicetis, quomodo ualet, hæc consequentia, O' Domini ualet. Quia omnis pars est prior suo toto, & totum est substantia, ergo sequitur quòd etiã partes eius sint substantia, quia si non esset substantia, ergo esset accidens, ergo ipsum accidens esset prius substantia, quod est inconueniens, immo omne accidens fundatur in substantia, immo anima est actus corporis uiuentis, idest animalis, ergo anima est substantia. Secundo probat Ioannes, quòd anima est substãtia incorporea, & hæc probatio conuenit & probat de omni forma substantiali respectu eius cuius est forma. Et probat, sic, Omne corpus sublunare, uel naturale, est diuisibile in infinitum, & ex sui natura, dessolubile, ergo eget alio quod contineat ipsum ne dissoluatur. Ad hoc ergo ut sit permanens in esse indiget aliquo continente ipsum, Tunc quæro istud continens aut erit corporeum aut incorporeum, si dicas ꝙ erit corpus, tunc ipsum egebit alio continente, etiam ne ipsum dissoluatur & tunc quæro de illo alio & ita erit procedere in infinitum, Sed hoc est absurdum, quia semper oportet quòd stemus ad aliquem terminum, ideo ne detur iste processus in infinitum, necesse est, quòd illud continens sit incorporeũ, sed anima ipsa continet corpus, nostrum, ne dissoluatur, ut patet, quia statim cum anima discedit ab ipso dissoluitur, & corrumpitur, ipsum corpus, ergo anima est, quod incorporeum, & sicut hæc ratio probat de anima ita etiam potest probare de quacunque forma substantiali ipsius mixti, quòd scilicet sit incorporea quare &c.

Secunda ratio Ioannis ad idem est ex ostensis quarto physicorum. Quia duo corporea non possunt esse simul loco, alioquin daretur penetratio dimẽsionum uel daretur uacuum, quæ ambo sunt absurda, Et sciatis Domini, quòd naturaliter loquor non autem, miraculose bene enim scio quòd Christus Dominus ueniebat ad suos discipulos clausis ianuis, naturaliter tamen loquẽdo est impossibile, & ideo est impossibile illud ex quo hoc sequitur, scilicet quòd duo corpora sint simul loco, sed anima est, simul cum corpore & præcise est, simul loco, cum illo; quia ipsa est actus, & cum corpus animatum sit quantum & sit corpus, ergo sequitur quòd anima nõ potest esse corpus, est ergo anima ipsa incorporea, & ita etiam se habet quælibet alia forma substantialis, cuiusque mixti.

Tertio specialius probat, Ioannes de anima uegetatiua, Scilicet qòd ista sit; incorporea quia omnes potentiæ & uirtutes huius animæ sunt in qualibet parte plantæ & sunt, in loco, cũ corpore ipso uiuente, ergo &c. Et quòd hoc sit uerum, patet quia quælibet pars plantæ nutritur augetur & generat sibi simile, ut patet. Quia si abscindatur qualibet pars rami, a planta, uiret, figatur in terra ipsa, augebitur, nutrietur; & emittet folia, sed iste sunt operationes animæ uegetatiuæ, ergo anima uegetatiua est, simul loco, & tempore, & inest cum parte qualibet plantæ, sed partes plantarum sunt quante & corpore, ergo sequitur, quòd anima uegatatiua non est, quanta & corporea.

Si dicas, inquit Ioannes, tu dicis, quòd hæ potentiæ sunt animæ ipsius uegetatiuæ, & quòd sunt simul, qualibet parte plantæ, cur ergo cortex plantæ qui est illius pars, si figatur in terra ipse non nutrietur nec augebitur nec emittet folia, sicut ipse ramus facit, & qualibet pars eius, O' respondit, quòd non potest negari quòd etiam in cortice non sint istæ met. uirtutes & etiam in ipso sit anima uegetatiua, tamen propter ineptitudinem suæ materiæ, quia scilicet cortex non est instrumentum conueniens, huic generationi, foliorum &c. Ideo accidit quòd cortex plantarum in terra non generet sicuti ramus quare &c.

Quarto Ioannes ostendit, idem simpliciter, etiam, scilicet de anima sensitiua, quòd scilicet sit uirtus incorporea, quia si ista uirtus esset quid corporeum, Corporaliter, ergo reciperet, simulacra rerum sensibilium, sicuti ignis recipit, ligna, hoc autem est impossibile, quia simul sic reciperet, contraria, quia ipsa simul reciperet, simulacra contrariorum, sicut patet in oculo, simul recipitur simulacrum albedinis, & simulacrum nigredinis, ergo non est possibile quòd illa uirtus sit corporea & quòd corporaliter recipiat ista simulacra, quia nullum corpus secundum eandem partem potest esse, simul album, & nigrum, in eodem tempore, Dico, ut cum digitus meus, non potest esse simul & eodem tempore secundum eandem participare albedinem, & nigredinem, quia contraria non se compatiuntur, in eodem subiecto simul, & in eadem parte,

re, & eodem tempore, ergo sequitur, quòd illa uirtus,non est corporea, O' tu dices inquit Ioannes album & nigrum sunt simul in oculo, non tamen secundum eandem partem oculi. Debetis, intelligere, Et ideo non est inconueniens quòd uirtus illa sit incorporea & recipiat simulacra corporea contraria in diuersa parte oculi. Sed hoc non potest dici, quia illud quod diiudicat, & discernit inter album,& nigrum, quæ sunt duo oportet quod sit unum, sed oculus discernit, inter album, & nigrum, ergo secundum unam eandem sui partem, hoc facit, Quia si essent diuersæ partes non posset hoc facere. Quia quod uidetur, uni non apparet alteri, si ergo unus oculus debet discernere inter album, & nigrum, oportet ut simul ipsa, secundum sui partem, eandem apprehendat, aliter esset, sicut si duo homines & unus uidet tantum rem albam, & alius rem nigram, illi duo homines, non poterunt discernere, inter album, & nigrum, quia non cognoscunt & non apprehendunt ambo contraria, sed unum tantum,sed uirtus discernit inter album & nigrum, ergo recipit simulacrum albedinis & nigredinis secundum eandem sui partem, hæc autem sunt contraria, ergo si uirtus sensitiua sit corporea, & recipit, hæc simulacra contraria, sequitur quòd recipiet contraria simul, hoc autem est impossibile, ergo illud ex quo sequitur, quare ut hoc euitemus, debemus dicere, quòd uirtus sensitiua sit incorporea quare &c.

Quinto quia omne corpus corporaliter recipiens simulacra diuersa, in se habet, quòd adueniente secundo simulacro, scilicet posteriori, corrumpitur & aboletur primum simulacrum,sicut uidemus de simulacro ceræ, adueniente enim, secundo simulacro, & secunda impressione, uel secunda figura aboletur prima. Ita modo,se haberent, simulacra aduenientia ipsi animæ sensitiuæ, quòd adueniente secundo, & posteriori simulacro, aboletur primum, sed uidemus, quòd hoc quia, in sensitiua uirtute apprehenditur simulacrum albedinis & adueniente simulacro nigredinis, primum albedinis aboletur minime, immo ambo simulacra, remanent, simul in anima, sensitiua uirtus ergo illa, non recipit hæc corporaliter, neque ergo est corpus, Probat, tertio Ioannes & recte de aliis duobus dicendis,primo scilicet, quòd anima rationalis, est separabilis omnino, & abstracta a materia, & quòd est ingenerabilis & incorporalis non communicata a materia, & probat hoc, secundo quòd aliæ animæ, scilicet uegetatiua & sensitiua, sunt immersæ materiæ, & quòd sunt corporales tum ex uerbis ipsius Platonis, tum etiam ex multis auctoritatibus, Arist. & recte iudicio meo, Primo dicit, quòd anima rationalis est, incorruptibilis & abstracta a materia, & quòd de hoc non oporret, dubitare, ut patet, in omnibus libris Platonis, similiter quòd aliæ duæ animæ sunt, cum materia,& quòd sint corruptibilis & citat, Platonem, in Thimeo ubi habet, Postquam conditor uniuersi omnem diuinam naturam perfecit, Dixit,opus est facere tria, reliquum corporum genera mortalia ad ornamenta totius,ut puta terrenum aereum, & aqueum, quia si non faceremus hæc,mundus esset imperfectus hæc autem si a me facta sint & uita participent, essent similia, ipsis Diis, ut ergo sint mortalia, accedite uos ad creationem animalium imitantes me, circa istam generationem, & pro quanto ipsius debet esse aliquid immortale, ego eis hoc dabo & ista est anima rationalis, huic uero uos adiungetis alias animas, scilicet uegetatiuam sensitiuam, & creabitis, animalia, & ita ponit Plato; animam rationalem in animalibus esse immortalem, Alias uero animas, esse ~~immortales~~ mortales, scilicet sensitiuam & uegetatiuam & ideo istæ sunt immersæ materiæ, Rationalis uero omnino abstracta a materia, Tum etiam ostendit idem, Ioannes, ex uerbis, Arist. in procemio huius libri, ubi ponit tres regulas ad cognoscendum quando uirtus est separabilis a materia, & quando non est, & prima est, quòd omnis uirtus, quæ nullam operationem habet facere sine corpore, illa nunquam est separata a corpore, & est generabilis & corruptubilis, Corruptione ipsius corporis, secunda regula est, omnis uirtus, quæ habet, aliquam operationem separatam a corpore, ista est etiam separata a corpore, & est ingenerabilis, & incorruptibilis. Sed modo arguo sic, uirtus uegetatiua, & similiter sensitiua, nullam potest facere operationem separatam a corpore, & sine corpore, ut patet,primo de ipsa uegetatiua, quia non possumus nutriri, augeri, neque generari, sine materia, ergo uegetatiua est inseparabilis a materia, ergo est mortalis & corruptibilis, & et sensitiua, nullam habet uel potest facere, operationem sine corpore, quia si ita habet fieri oportet, quòd moueatur sanguis, circa cor, si concupiscentia, circa epar quare patet quòd ambæ istæ animæ non possunt, operari sine corpore & sine materia, ergo ab ipso corpore, & materia, inseparabiles sunt, quare &c.

De rationali autem anima dicitur, quòd huius animæ duplex est operatio, una est coniuncta corpori, quæ est scilicet intelligere, quia anima non potest intelligere, sine sensu, quia intelligit sensibilia, & tunc indiget sensu, & pro hoc, potest dici operari, cum materia, in ipsa operatione uero etiam, anima utitur organis corporalibus & corpore per accidens, scilicet inquantum intellectus dependet a sensu, sensus autem dependet ab organo corporali, & a corpore ipso, quia ergo ipsa intelligendo indiget sensu, qui sensus est, cum organis corporalibus, ideo & anima in

intelligendo, dicitur per accidens dependere a materia, & ab organis corporalibus. Alia postea est operatio animæ rationalis, & ista est speculatio rerum abstractarum, quæ nullo modo dependet a corpore, & in hac speculatione, anima rationalis nullo modo utitur sensu, neque in hoc pendet, a corpore, ergo anima rationalis habet operationem sine materia, ergo & ipsa anima est sine materia, & ingenerabilis & incorrupti bilis, & hoc Clarius expressit infra Arist. primo huius ubi dicit, ex senio enim non corrumpitur, neque hebescit, anima rationalis, immo in processu temporis magis perficitur in intelligendo: Quia est seiuncta ab organis corporalibus, & a materia, sensus uero hebescit, dicit Arist. quia est in corpore & in materia & ideo cum corpus hebescit, hebescit & sensus, unde uidemus, ꝙ senes habent omnes fere sensus corruptos, intellectus uero illis est melior, quare &c.

Secundo huius etiam dicit Arist. intellectus se paratur a corpore, sicut perpetuum a corruptibili, sed omnis uirtus perpetua, est separata a materia, ergo & intellectus erit separatus a materia quare &c. Tum tertio huius a principio, dicit Arist. quòd intellectus humanus est in mixtus materiæ, impassibilis, separabilis a materia, Tum in eodem libro, quærit Aristoteles, si anima rationalis, perpetua est, cur ergo non reminiscitur post mortem, eorum quæ prius in uita nouit, Respondet, quia memoria, illa erat in sensu, sensus autem corrumpitur, ideo aboletur memoria, intellectus autem sine materia est, ideo non aboletur, quare &c. Tum in eodem libro, in fine di cit Arist. differenter se habet sensus & intellectus. Quia sensus cum apprehendit sensibilia, excellentia, non potest postmodum apprehendere, minus, excellentia, intellectus uero cum intelligibilia, sunt difficilima & ipsa apprehendit, & eo facilius apprehendit facilia, & hoc est, quia sensus, est cum corpore, neque potest sine corpore, aliquid operari. Et quoniam organum, corporeum ab excellenti sensibili, & oculus a luce magna leditur, ut non possit postea uidere minora sensibilia, & ita si gustu ualde dulcia, apprehendimus, postea minus dulcia apprehendere nequimus, intellectus uero, quia est separatus a materia, & a corpore, cum difficiliora intelligit & facilia magis apprehendit, Tum etiam dicit Ioannes, idem habetur ab Arist. tertio de partibus animalium, ubi dicit, quòd anima rationalis, est seiuncta a materia, ideo non est possibile eam corrumpi, Disputans enim Arist. ibi, quærit an de omni anima, sit philosophi naturalis dispu tare & considerare, & dicit, quòd non de omni anima, quia anima rationalis est separata a materia, ideo de ea philosophus naturalis non habet considerare, Tum in secundo de generatione animalium capitulo tertio dicit, Sola mens ex reliquis animalibus, extrinsecus aduenit homini ideo illa sola diuina est, & separata a materia aliæ uero potentiæ sunt inseparabiles a materia & sunt corruptibiles, ex uerbis ergo, Arist. patet, quòd anima rationalis est omnino separata a materia, ingenerabilis & incorruptibilis. Quomodo ergo Alexander uult trahere Arist. in suam opinionem, ipsum scilicet posuisse animam rationalem esse generabilem, & corruptibilē, & corrumpi corruptione corporis, & generari generatione eius quia ubiq;, dicit Arist. ꝙ anima rationalis est ingenerabilis & incorruptibilis, & nullum est uerbum Arist. quod ei faueat, ut uidebimus Clarius in sequentibus. Quare male opinatus fuit in hac re iudicio meo, Alexander ipse.

Lectio nona.

OSTENDIMVS hucusque ex Ioan. Gram. primo, quòd omnis anima est, substantia, quia omne principium, substantiæ est substantia, & non potest esse accidens, secundo, quòd omnis anima est incorporea, quia corpus animatum, & animal simul sunt loco, & quia corpus est quantum ideo anima non est quanta, quia duo corpora non possunt simul esse loco, nō enim datur penetrario dimensionum. Tertio ostendimus, quòd duæ partes animæ scilicet sensitiua & uegetatiua erant coniunctæ materiæ, quia omnes ipsarum potentiæ & operationes sunt, cum materia, & simul cum corpore, quia ipsæ utuntur organis corporalibus in suis operationibus. De rationali autem probauimus oppositum, quòd scilicet erat omnino separata a materia, & abstracta, Tum etiam, quia ipsa habet operationes aliquas sine materia. Tum etiam probauit Ioannes, ex multis auctoritatibus ipsius Aristotelis & recte ubi uult ipse Arist. animam rationalem esse omnino separatam a materia, & immortalem & ostendimus, quòd in nullis suis operationibus per se utitur organis corporalibus, & si intelligendo utatur, per accidens est, & ideo post multas auctoritates adductas a Ioanne, ad probandum separationem animæ rationalis a corpore, & quòd anima nō sit causata a materia, & quòd non diuidatur diuisione materiæ & corporis neque ipsa corrumpatur, corruptione eius, & si tamen sit, in corpore dicitur separata a materia, quia non est ab ipsa materia causata, ita enim intellectus formas celestes causatas a materia, non quidem secundum situm, quia essent in loco, sed secundum causalitatem, quia non causatur a materia, ideo Ioannes præter auctoritates addit rationes. Et prima est quia nulla uirtus causata a materia apprehendit se ipsam, quia uisus non uidet se uidere neque cognoscit, sed est alia uirtus quæ apprehendit

uisum

uiſum ipſum, & iſta uirtus eſt ſenſus interior, nulla ergo uirtus coniuncta materiæ comprehendit ſe ipſam ut patet de uiſu ſed intellectus apprehendit ſeipſum in ſui inrtellectione, ergo intellectus non eſt coniunctus materiæ. Secundo & hæc fuit ratio Ariſt. quia omnis uirtus coniuncta materiæ, ſeneſcit & hebeſcit, & defatigatur ſeneſciente & defatigato corpore, intellectus autem non ſeneſcit ſeneſcente corpore, neque defatigatur, immo magis excitatur, & uiget ſeneſcente corpore, ergo intellectus non eſt, uirtus cauſata a materia. Vt dixi iſta eſt ratio Ariſt. ubique. Tum tertio probat Ioannes, quia nulla uirtus coniuncta materiæ negligit, eſſe ſui ſubiecti, quia habet eſſe in materia & eſſe quod eſt, appetit eſſe, non ergo, uirtus coniuncta, materiæ ſeu corpori, negligit eſſe ſubiecti, quia habet eſſe, Illins & conſeruatur illius conſetuatione, & deſtruitur, deſtructione illius, ſed intellectus negligit corpus ſibi ſubiectũ, quia domat ipſum caſtigat ipſum laboribus, & uigiliis & ſtudiis, ut acquirat ſuam perfectionem atque ſcientiam, ergo intellectus non eſt uirtus coniuncta corpori & materiæ, ergo eſt ſeparabilis a materia, ergo ingenitus & incorruptibilis, & ſic ſecundum peripatheticos, anima rationalis erit, ingenita & a parte ante & a parte poſt erit incorruptibilis, & ſua ratio eſt iſta. Quia omne illnd quod generatur, poterat prius generari, aliter non generatum eſſet, ſed omnis potentia eſt ad eſſendum & non ad eſſendum & habet ortum ex materia ptima, uirtus ergo, quæ eſt ſenſitiua a materia prima eſt ſeiuncta a potentia eſſendi, & non eſſendi, ergo eſt ſeinncta a generatione & corruptione, ergo iſta anima rationalis eſt ingenita & incorruptibilis, & ita eſt, perpetua a parte ante & a parte poſt, & intelligamus ipſam eſſe perpetuam a parte ante ſecundum Ariſt. quia Plaro ponit ipſam animam rationalem eſſe creatam a Deo & ab ipſo dependere, ita dicit Ioannes, & recte dicit, quia dicimus animiam rationalem eſſe ingenitam ſecundũ tempus, quare quarto loco, dicit Ioãnes, quòd licet anima uegetatiua, & ſenſitiua eſſent inſeparabiles a materia, alio tamen modo eſt de uegetatiua, & de ſenſitiua alio modo. Nam uegetatiua anima eſt inſeparabilis a corpore ipſo terreno, & craſſo quod uidemus, & tangimus & ab omni corpore. Senſitiua uero anima ſeparabilis eſt, quidem ab hoc corpore terreno & craſſo, ſed eſt inſeparabilis a quodam corpore ſpirituoſo compoſito, ex quattuor elementis a prædominio tamen aereiis, quem diximus, eſſe ſpiritum & calorem innatum.

De primo probat, quòd anima uegetatiua, ſit inſeparabilis a corpore, terreno & craſſo, quia ſimul cum ipſo corrumpuntur & illo augumentato angetur illa & ipſo uigente uigeſcit illa, & ipſo ſeneſcente, ipſa ſeneſcit, ergo inſeparabilis eſt ab ipſo corpore terreno, & craſſo. Tum ſecundo probat, quia in plantis non eſt corpus ſpirituoſum cui inhereat anima uegetatiua, ſicut eſt in animalibus quibus inherret anima ſenſitiua quare. Sed tu dices, O' quid dicemus de cadauere recenti ungues & capillos augeri & animalia & uermes in ipſo generari, ergo ibi eſt uirtus uegetatiua, quia ibi ſit auctio, ergo nutritio ſit generatio, quare ergo uidetur, quòd uirtus uegetatiua ſeparatur a corpore terreno & craſſo & ſtet, in cadauere, ſub ſequenti, ſcilicet diſſoluto priori corpore, Dico dicit Ioannes (ſed decipitur in hoc) O' dicit Ioannes, ego concedo quòd in cadauere reſtat aliquod ueſtigium animæ uegetatiuæ, non autem perfectæ remanet ipſa anima uegetatiua. Et ego credo ipſum uelle dicere, quòd reſtat anima uegetatiua, imperfecta, ideſt quòd habet operationes imperfectas quia ſit generatio, in ipſo, ex putri materia, non autem uera generatio, ſimiliter nutritrio illa ſit exputredine nec propter hoc habetur, quòd ibi ſit perfecta anima uegetatiua, quia ipſa eſt, corrupta, corruptione corporis, ſed in cadauere, remanſit, quoddam ueſtigium animæ uegetatiuæ, ſed de facto errat Ioan. ut dicemus infra.

Secundum dictum a Ioanne erat, quòd anima ſenſitiua eſt ſeparabilis ab ipſo corpore terreno & craſſo, inſeparabilis tamen ab illo corpore ſpirituoſo, & probabat, hoc dupliciter Ioannes, & hic accipit opinionem Platonis in Thimeo ubi Plato, multa docuit propter uulgares, licet ipſe forſitan ſentiret aliter, & iſta opinio eſt, accepta a Pithag. eſt ergo opinio iſta, quòd anima ſenſitiua eſt inſeparabilis ab iſto corpore ſpirituoſo quod conſtat ex quattuor elementis, a prædominio tamen aeris & iſte eſt, ſpiritus genitus ex puriori parte ſanguinis & probat hoc dupliciter Ioannes, Primo ex communi conſenſu uulgarium, quia dicunt uulgares, quòd poſt receſſum animæ a corpore ſtatim uadit ad inferos indices ut habeat pœnam malorum quæ hic egit, & hoc quia prouidentia diuina proſpexit, & curauit ut non tantum nos ſcimus, ſed ut boni ſcimus, & ideo cum mala agimus, uult quòd puniamur, & ſicut anima in delectatione actus concupiſcentiæ & uitij peccauit, ita etiam debeat puniri triſtitia concupiſcentiæ, ſed anima rationalis non poteſt puniri & recipere triſtitiam & dolorem ſine ipſo corpore, quia dolor eſt paſsio corporis, & ideo ſi debet puniri & affligi modo ex uehementi calore, modo ex nehementi frigore oportuit quòd ſicut habuit delectationem concupiſcentiæ cum corpore, etiam habeat ſecum corpus, cum quo pariatur dolorem & affligatur neceſſe eſt ergo quòd cum hæc anima recedit a corpore, anima ſcilicet rationalis habeat ſecum animam ſenſitiuam, ſi debeat pati, quia ipſius ſenſitiuæ eſt pati, & triſtari quæ ſenſitiua habet

ſibi corpus coniunctum ut poſſit ſentire, & affici, dolore. Et quia tale corpus eſt iam corruptum & diſſolutum in quatuor elementa, non poteſt aliud corpus eſſe quàm ſpirituoſum, ergo anima ſenſitiua non poteſt ſeparari, ab hoc corpore ſpirituoſo, Anima autē rationalis dicit Ioannes, cum eſt purgata a ſuis uitiis & peccatis, tunc deponit animam ſenſitiuam cum illo corpore & aſſumit corpus celeſte quod fulgidum eſt ſicut ſtella.

Secundo probat Ioannes quòd non poteſt ſenſitiua anima ſeparari ab iſto corpore ſpirituoſo, Quia fatentur omnes homines qui uident phantaſmata & ſpiritus circa ſepulchra mortuorum, quod non poteſt eſſe aliud niſi anima ſenſitiua, quæ habet ſecum illud corpus ſpirituoſum unde diuerſa apparent phantaſmata, Sed dubitat Io. quia iſtæ uidentur nugæ. Primo quòd anima ſenſitiua ſeparatur a corpore terreno & craſſo & quòd ſit inſeparabilis ab illo corpore ſpirituoſo non ergo illud corpus terrenum eſt ſubiectum ipſius animæ ſenſitiuæ, ſed eſt, iſtud corpus ſpirituoſum quod eſt eius ſubiectum, ſed ſi ſic eſt, quomodo ergo corpus terrenum habet organa ſentiendi, & quomodo ſentit ſi non habet animam ſenſitiuam.

Reſpondet Ioannes, & rectæ, ſecundum uiam iſtam Platonis, & dicit, quòd licet anima ſenſitiua non ſit in hoc corpore terreno tanquam in ſubiecto ſed eſt in corpore ſpirituoſo, tamen hoc corpus terrenum habet ſenſum, & ſentit. Quia radij animæ ſenſitiuæ permiſcentur in corpore terreno, quia influuntur radij animæ ſenſitiuæ, uirtus enim, ſenſitiua mittit radios ad iſtud corpus terrenum, quibus ſentit propter iſtum influxum, ſcilicet radiorum, unde in ira ſanguis circa cor feruet, in concupiſcentia uero feruet circa epar, quare ergo actus ſentiendi, uirtutis motiuæ tranſmittitur ei a cerebro, Sequitur opinio Galeni, quia dicit Galenus, quòd uirtus ſenſitiua tranſmittitur a cerebro ad organa ſenſus uel per uenas & arterias uel per neruos, & ita refulget, a uirtute ſenſitiua quædam ad organa ſenſus &c.

Secunda dubitatio quia ſi dicas niſi anima rationalis eſt coniuncta huic corpori, ſpirituoſo, cum quo dicis animam ſenſitiuā eſſe, & rationale ſimpliciter. Nunquid etiam anima uegetatiua ibi ſit, & uidetur, quòd ſic. Quia dicit Ariſt. infra, ubi eſt anima rationalis, ibi etiam aliæ animæ, quare &c. Dico dicit Ioannes quòd ibi ſunt etiam aliæ potentiæ animæ uegetatiuæ, ſicut ſunt, potentiæ animæ ſenſitiuæ, & rationalis, aliter tamen, in hoc terreno corpore potentiæ diuerſæ ſunt ſentiendi ſecundum diuerſas, partes ſecundum diuerſa organa, in oculo enim fit uiſus in aure auditus, & ſic de aliis, ſunt enim diuerſe partes & determinatæ. In hoc corpore craſſo harum uirtutum: Nutritiua enim uirtus eſt in epate. Senſitiua in cerebro, uitalis uero in corde, ſed in corpore ſpirituoſo non ſunt iſte partes diſtinctæ, in quarum una ſit auditus in alia uiſus. Non enim in ipſa eſt diſtinctio operum ſecundum diuerſas partes organicas, ſed confunduntur iſtæ potentiæ in hoc corpore ſpirituoſo, & non ſunt in eo diſtinctæ partes, pro iſtis operibus ut dixi ſicut ſunt diſtinctæ in illo corpore terreno, ſed ex omni ſui parte ſentit iſtud corpus, nutritur etiam, ſed ex quo dicetis, non ex rebus ipſis ex quibus nutritur corpus terrenum, ſed ex uaporoſo corpore, ſicut (inquit Ioannes) dicimus de ſpongia quæ ex omni ſui parte ſentit, & ex omni ſui parte nutritur &c. Tertio quærit Io. ex quo iſta phantaſmata, quæ uidentur circa ſepulchra, ſint, ut dicis anima ſenſitiua cum corpore ſpirituoſo, unde eſt, quòd habent tot figuras, quia aliquando apparent in figura quæ eſt ſimilis aliis animalibus & brutis. Dico dicit Io. quòd hoc prouenit, ex imaginatione animæ illius, qui uidet phantaſmata, ſicut enim illa anima imaginatur diuerſa animalia, ita apparet, in figura diuerſorum animalium. Aliquando apparet, illud phantaſma, & ſtatim diſparet quidam uero conſiderat, eius corpus; ſed certe domini ego riderem de his nugis, niſi ſcirem hanc opinionem eſſe Platonis, qui fuit magnus uir, & diuinus nuncupatus.

Quarto dubitat Ioannes nunquid iſtæ animæ ita uagentur circa ſepulchra ſponte ſua. an quia cogantur ita a uoluntate diuina, Si primum, ſcilicet ſponte ſua uagentur, tunc ſequitur quòd perpetuo uagabuntur hæc corpora circa ſepulchra, quia nunquam ibunt ad pœnas infernales ne patiantur. Si autem hoc fiat quia cogantur a uoluntate diuina, quod erat ſecundum, ergo coguntur, & tunc quæ maiora mala poſſunt facere animæ in corpore ſpirituoſo quàm in terreno, Ioannes domini, non ſoluit iſtam dubitationem, & ego etiam neſcio ſoluere quia non ſum ita peritus in iſta doctrina ut ſciam ſoluere ea quæ neſcit Ioannes, qui erat in hoc peritiſſimus quare &c.

Omiſi unum, quia dicit Ioannes, quòd iſta eſt, ſententia Ariſtotelis quòd confunduntur omnes ſenſus in corpore ſpirituoſo, & non eſt magis unus ſenſus in una parte, quàm in alia, ſed in toto corpore illo ſunt omnes ſenſus; & ſecundum omnem ſui partem accipit ſenſibilia & ob hoc inquit etiam Ariſtoteles in metaphyſica, ſenſus proprie eſt unus. Et proprium ſenſorium, & per ſenſorium, intelligens iſtud corpus ſpirituoſum quod habet ſenſitiuam uirtutem in qualibet ſui parte, Sed hic errat Ioannes ut dicemus infra.

Vt autem intelligatis domini opinionem iſtam Platonis. Sciatis quòd Plato poſuit hunc mundum perpetuum eſſe, dixit tamen quòd erat creatus

tus & quia erat factus a deo, dixit, sicut exemplar eternum, ita exemplatum eternum. Pari modo posuit animam rationalem creatam a deo & ob hoc esse perpetuam, & inmortalem, & ob hoc anima rationalis est multiplicabilis, secundum infinitum numerum sicut uolunt Theologi nostri. Nam uolunt, ut a deo tot sint animæ rationales create, quot sunt hominum indiuidua, sed eadem anima dicit Plato, quæ nunc est in Socrate post eius mortem migrabit a corpore Socratis, & ibit in corpus, Platonis. Et ita ponit animam rationalem migrare de corpore in corpus, intelligẽdo de corporibus hnmanis, quod uero in Thimeo dixit Plato, quòd etiam migrat de corporibus brutorum, in alia corpora humana, hoc non dixit, secundum ueritatem, sed ut deterreret uulgus ne peccarent. Et quanto tempore posuit Plato istas animas rationales migrare, de corpore in corpus. O' dico, quòd posuit, illas ita facere, per decem millia annorum, animæ uero illorum qui recte philosofati fuere posuit tantum per tria millia annorum migrarẽ de corpore in corpus, postea ad cœlum ascendere & ibi quiescere,

Lectio decima.

SVPER his dictis Ioannis Grammatici multæ accidunt dubitationes, circa scilicet ea quæ dixit de potentiis animæ, tum rationalis tum sensitiuæ, tum uegetatiuæ, & primo de anima uegetatiua. Quia dubitauit quòd anima uegetatiua sit separabilis, ab isto corpore, crasso & terreno, nam post eius corruptionem remanent potentiæ animæ uegetatiuæ. In cadauere ipso scilicet, uidemus enim quòd in ipso augentur ungues & capilli & ex ipso generantur uermes & animalia quare &c.

Respondet Ioannes, quòd uerum est, quòd augentur ungues & capilli & quòd remanent quædam potentiæ animæ uegetatiuæ in ipso cadauere, sed diminute. Primum dictum falsum est, quia secundum Aristotelem, secundo de generatione, & corruptione, & etiam secundum omnes, & etiam est rei ueritas, augumentatio fit uirtute animæ quæ est, uera augumentatio, sed ungues & capilli carent anima, nulla ergo eorum auctio, est ab anima, quia sunt corpora nimium terrena & si crescunt & augentur, ista augumentatio fit a calorata putredinali, qui ex illo calore putredinali, materia concoquitur, & expellitur ideo in extramitendo, ungues augentur & capilli. Et ex illa putrefactione &, Calore putredinali, aliquo modo concoquitur materia., & reducitur ad generationem istorum uermium, Quare ergo errat, magnopere Io. quia credit in cadauere rem: nere aliquas uirtutes, & potentias animæ uegeta: iuæ & si diminute sint, ut dicit ipse &c. Secundo errat Ioannes circa ea quæ dixit de anima rationali, & sensitiua. Quia dicit, quòd anima rationalis cum discedit a corpore humano trahit, secum animam sensitiuam, cum qua sensitiua est illud corpus spirituosum ratione cuius, anima rationalis, per consensum illius, habet pati & affligi.

Sed iste multipliciter errat, ut dixi, quia ponit alium statum animæ, tum rationalis tum sensitiuæ quem tamen nec sensus nec ratio philosophiæ demonstrat, nec est secundum mentem Aristotelis, quia ipse Ioannes putat se loqui ad mentem Aristotelis, Aristoteles tamen non posuit alium statum animæ rationalis, quia philosophus non debet ponere ea quæ non possunt haberi ex sensu, neque ex demonstratione. Et, ideo ipse Ioannes errat quamplutimum; quia dicit non solum hanc esse opinionem Platonis, sed etiã Aristotelis, & ideo non dicit, quòd Aristoteles etiam posuit illud corpus spirituosum cum tamen uidetis, quòd est contra argumentum, quia ponit ipse Ioannes alium statum animæ rationalis quem tamen Aristoteles non posuit. Quòd autem sit opinio Platonis de hoc nobis non contendimus. Quia Marsilius Ficinus & alij expositores Platonis, dicunt hanc fuisse mentem Platonis, & ita paret quòd primo errat iste uir scilicet Ioannes quia ponit istam esse opinionem Aristotelis quæ tamen est, potius contra ipsum Aristotelem, secundo errat ut dixi quia ipse non loquitur philosophicæ. Quia ponit alium statum animæ rationalis, quem tamen neque sensus neque ratio ostendit, ut pluries dixi, & quòd nullus sensus ostendat ipsum, patet, quia quo sensu percipimus illum statum. Certe nullo, ego domini, non uideo, neque scio, si uos scitis dicatis quia libenter accipiam, Quòd etiam, nulla ratio sit, quæ hunc statum demonstret, patet, quia si aliqua esset ratio ad ponendum illum statum maxime esset hoc, ut scilicet anima ipsa recipiat præmium operationum suorum, quæ fecit, in hoc mundo, & similiter ut reciperet pænam malorum, quæ egit hic, sed propter hoc non est ponendus alius status animæ, quia secundum Aristotelem omnis actus moraliter bonus est sibi bonum præmium & ille qui hic bene agit etiã hic ex illa bona actione accipit præmium quatenus, scilicet ad talem bonam actionem non sequitur delectatio, & ita qui bene, agit præmiatur in hoc mundo secundum Aristotelem. Similiter omnis actus moraliter malus secundum Aristotelem est sibi ipsi pœna, qui enim hic male agit ex ista actione mala accipit pœnam quatenus, scilicet ex ipsa sequitur tristitia & ipse tristatur in illa mala actione, neque est, aliquid aliud expetendum secundum Aristotelis sententiam. Quare propter istam rationem non oportet ponere aliũ statum animæ rationalis, ergo nullo pacto est po-

ſententiarum, ſed tu dices quomodo igitnr patitur, anima ipſa. O dicunt Theologi, quòd duplex eſt afflictio, uel pena unomodo, appellatur dolor, aliomodo appellatur triſtitia. Dolor enim eſt paſsio quæ conſequitur impresſionem obiecti materialiter imprimentis, & ſubito, in organũ tactus, & ex iſta apprehenſione, ſeqnitur paſsio qnæ appellatur dolor. Quotieſcunq; ſcilicet in obiectum materialiter & ſubito imprimitur in organo ſenſus tactus, licet dolor ſit paſsio ſolius tactus, proportionaliter, cum in aliis ſenſibus eſt dolor aliquis, id eſt, proportionale dolori ut in ſenſu uiſus, anditus &c. Dicunt ergo Theologi, quando quæris quomodo anima patiatur, dicunt, ſi loqueris, de paſsione quæ eſt dolor tunc hæc paſsio non poteſt, ineſſe animæ & etiam eſt ſeparata a corpore, quia dolor eſt ipſi animæ ratione ſenſus, bene animæ damnatorum poſt diẽ iudicij uniuerſalis, quia tunc iterum aſſument corpus omnes, animæ inerit dolor merentibus pœnas quia hæc paſsio, quæ dicitur dolor, non poteſt, ineſſe animæ ſine corpore, alia eſt paſsio quæ dicitur triſtitia, quæ poteſt competere animæ ſine corpore, & iſta eſt, paſsio apprehendens, ſcilicet obiectum nolitum & ipſum triſte & hæc eſt, paſsio animæ ſeiunctæ a corpore. Et hoc pacto anima rationalis ſeparata a corpore poteſt affligi ab iſta præſentia obiecti noliti, quòd eſt; ignis, quia ignis infernalis detinens animam rationalem ad intenſam ſui conſiderationem & apprehenſionem, quam ipſa anima nollet ipſam affligit, & contriſtat quare ſequitur triſtitia in ipſa anima, & hoc patet experientia, qnia cum accidit aliquid quod nolis, ex eius præſentia, triſtaris, ita etiam anima noſtra triſtatur, ex præſentia ignis infernalis, quia ipſum nollet. Et ſic habetis quomodo ipſum patiatur, anima rationalis, apud inferos, Sed tu dices. O uellem ſcire, cur ipſa anima nollet detineri ad iſtam intenſam conſiderationem ignis; Dico, quia ex ſui natura anima rationalis eſt capax cognitionis cuiuſcunque obiecti & non magis habet apprehendere unum obiectum quam aliud. Cum ergo ipſa detinetur ad iſtam intenſam continuam conſiderationem ignis, ad quam prouidentia diuina tranſmittit & detinet propter eius opera, ex iſta ergo nolitione præſentis obiecti ſequitur triſtitia in ipſa anima, & ideo dicunt Theologi, quòd ignis infernalis eſt inſtrumentum diuinæ uoluntatis ad purgandum & cruciandum, animas damnatorum conſtitutum a deo, neque ille ignis ex ſui natura, & ex ſui uirtute, & ex ſe, poteſt cauſare hanc nolitionem & actum nolendi in anima ipſa, ſed hoc prouenit ex uoluntate diuina quare &c.

Sed ſtatim hic inſurgit dubitatio, quia ex iſto quod dicis, ſequitur, quòd omnes animæ damnatorum equaliter punientur, quia per ſe omnes patiuntur triſtitiam ex determinatione ſui ipſius in intenſa conſideratione huius obiecti, ſcilicet ignis, quod nollet, cuius oppoſitum dicunt omnes ſancti, & prophetæ dicunt ipſi animas damnatorũ puniri ſecundum magis, & minus & quæ magis peccauit, magiori pœna punitur quæ autem minus minore, quare falſum uidetur quod dixiſti &c.

Secundo & difficilius, quia uoluntas humana, libera eſt, & includit libertatem in ſui notione ſicut enim homo in ſui notione includit rationale, ita uoluntas includit libertatem, in ſui notione; quid ultra ſi uoluntas libera eſt, ergo poteſt ſuſpendere ſe, ab omni ſui actu, & liberare ſe ab omni ſui actu, ergo poteſt liberare ſe a conſideratione cuiuſcunque obiecti, & liberare ſe ab omni actu uolendi, & nolendi, ergo poteſt detinere ſe a conſideratione intenſa huius obiecti, ſcilicet ignis infernalis, cur ergo affligitur & non liberatur, Tertio quia poteſt deus eam punire in apprehenſione cuiuſcunque obiecti, hocmodo, ſcilicet, detinendo ipſam in triſtitia, & in intenſa conſideratione illius obiecti, ut in apprehenſione Solis, & Lunæ, & ita non poterit ſolum punire, eas ſub terra, id eſt, ad inferos, uerum etiam in cœlo; quia anima libera eſt, in apprehenſione cuiuſcunque obiecti, quare ergo pœnit eas ſub terra, non autem in cœlo, & in conſideratione ignis infernalis, non autem in conſideratione Solis, & Lunæ &c. Quarto & ultimo quia ex ſententia philoſophorum, in anima ipſa ad omnem delectationem ſequitur delectatio, quia intellectio proprie eſt, ipſius animæ perfectio, in omni ergo delectatione delectatur, quomodo ergo anima ipſa intellectione huius obiecti, ſcilicet ignis infernalis triſtatur. Et dico domini de primo, cum dicitis equalis eſt detentio omnium animarum dãnatarum in conſideratione, ſcilicet ignis infernalis, obiecti ſcilicet nolliti, ergo omnes animæ equaliter punientur. Dico quòd eſt uerum, quia equalis eſt detentio omnium animarum in conſideratione huius obiecti, ergo ęqualis eſt, pœna illis, nego argumentum, quia ex equali detentione in conſideratione, non ſequitur, ergo eſt equalis triſtitia in ipſis, quia iſta triſtitia ſequitur ex actu nolendi, in conſideratione autem hnius obiecti poteſt ſequi, maior & minor, actus nolendi, quo magis & minus animæ puniuntur & triſtantur quare &c.

Sed dices unde eſt quòd aliquæ magis aliquæ minus habent, hunc actum nolendi. O dico ꝙ hoc habent, ex uoluntate diuina cooperante, quia uoluntas diuina concnrrit cum illo obiecto ad conſiderandum illum actum nollendi magis uel minus, ergo ęqnalis ſit detentio animæ in conſideratione huius obiecti, non tamen ſequitur equalis triſtitia & equalis pœna, quare &c. De ſecundo & hoc argumentum difficilius eſt, primo&

mo & est argumentum, in quarta quarti, quod tamen ipse Scotus non bene soluit, solùo, tamen ego dicendo, eum, dicis uoluntas est libera, ergo potest cessare, & suspendere ab omni sui actu,& ita ab omni odio, & omni tristitia, quia in potestate sua est, uelle & nolle,& ita uelle tristari, ergo potest se liberare ab ista nollitione & tristitia in consideratione ignis infernalis, quare &c. Dico, quòd non concurrit Deus, ad istam suspensionem, ideo non potest se suspendere, ab ista consideratione, ex quo enim omnes actus & omnes uoluntatis actiones dependent a uoluntate diuina; non tamen ipsa concurrit ad istam actionem. Sed uos dicetis hoc non potest fieri, quin ipse deus concurrat, si enim non concurrit uoluntas diuina ad actionem ignis & in comburendo, ignis non comburet, ita nec ego legerem, nisi concurreret uoluntas diuina & hoc etiam concedunt philosophi omnes, quia ipsi omnia reducunt, in causam principalem, omnes enim causæ particulares dependent a causa prima, neque possunt aliquem effectum facere, nisi concurrat, prima causa, quare &c. Sed contra hoc est dubitatio, quia bene uerum, & etiam concedo, quòd nullus sit actus positiuus, quin ad ipsum concurrat uoluntas diuina, sed hic non est actus positiuus, sed potius est negatio actus, qui negat & non uult considerare, istum ignem igitur non sequitur, quòd uoluntas diuina, interueniat ibi, quia ipsa non concurrit, nisi in actibus positiuis. Exemplum dicunt Theo. nostri, quod peccatum prouenit a Deo, & ad ipsum concurrit Deus, & etiam quòd non concurrit quia duplex est peccatum, materiale, scilicet & formale, materiale peccatum est, actus, ut interficere, hominem furari, actus enim isti sunt peccatum materiale, & tale peccatum non potest fieri nisi concurrente uoluntate diuina. Aliud est, formale peccatum, scilicet negatio actus, id est negatio conformitatis cum lege diuina, id est, cum aliquis non uult facere quod præcipit uoluntas diuina ut V. G. præcepit lex diuina quòd tu non sis homicida, si occidis hominem, hoc est formale peccatum, & etiam materiale, materiale enim est, actus occidendi hominem, & ad hoc peccatum dicunt Theologi, quòd concurrit, deus & uoluntas diuina, quia sine ipsa non posset, interficere hominem, est postea formale peccatum, id est negatio legis diuinæ, quæ præcepit, ut non interficias hominem, & huic peccato non concurrit, uoluntas diuina, quia tale peccatum, non est actus, positiuus, sed est, negatio actus, scilicet obseruationis ipsius legis diuinæ; solum autem in hoc peccato concurrit uoluntas humana; Ita ergo sicut uoluntas diuina, non concurrit ad committendum formale peccatum, quia non est actus positinus, sed negatio actus. Ita etiam uoluntas eadem diuina, non concurrit ad finiendam, istam suspensionẽ a consideratione ignis infernalis, quia non est, actus positiuus, sed negatio actus, Dico ad hoc primo, quòd illa suspensio nolendi est, actus positiuus quia est, permutatio de esse ad non esse, quæ permutatio est, actus positiuus, & ideo oporret quòd non concurrat deus. Secundo dico, quòd & si sit negatio actus, non potest tamen fieri, sine uoluntate diuina, quia deus sui determinatione confirmat hunc actum nollendi, & ipsum continuat, quare non potest uoluntas liberare se ab illo actu nollendi: quare &c.

Sed tu dices, si uoluntas humana, ex sui ratione est libera, quomodo ergo cogitur, in confirmatione & continuitate huius actus, quia sic non esset libera, uel si dicas, quòd est libera, ergo non potest cogi, ergo potest se suspendere, ab ista nollitione, Remanet, ergo difficultas, in robore suo, quid igitur dicendum.

Domini ut sciatis. Ego alias perturbaui, quosdam fratres, his argumentis, & ipsi nullo modo sciebant soluere ipsum, attamen ego soluo dicendo, quòd argumentum non cogit, quia continuat Deus istum actum nollendi in uoluntate, ita qnòd semper continuatur in ipsa nollitio quædam, quare &c.

O' tu dices, ergo ista uoluntas, non est libera, quia ipsa nollet, continuari in isto actu, dico, quòd ita est de actione uoluntatis, sicut de aliis actionibus, Dicunt enim omnes, quòd causæ secundæ, quæ hic agunt, sine cognitione agunt necessario, non autem simpliciter, ut ignis, necessario comburrit apposito combustibili, sed non simpliciter, quia etiam coucurrit uoluntas diuina, ideo simpliciter contingenter agunt, ex se tamen necessario, & sic ignis non combureret nisi cum ipso uoluntas diuina concurreret, & ideo illi, Tres pueri in Camino ignis ardentis, scilicet Misach Sidrach & Abdenago non comburebantur, quia uoluntas diuina, non concurrebat tunc cum illo maximo igne, cum causa secunda sit ipse ignis ad illum actum, scilicet conburendi. Dico ergo quòd uoluntas simpliciter non est libera; sed ex se bene esser libera, & sic constat, quòd a Deo, benedicto potest cogi, & si in proprio genere libera sit, Sed tum statim, dices, si sic est, ergo non recte, In ratione formali ipsius uoluntatis ponitur libertas, quia quod conuenit alicui secundum suam diffinitionem,& etiã simpliciter deberet conuenire, ideo uoluntas uel est libera simpliciter, uel male posita, libertas in ipsa seu in diffinitione, & in ratione formali, Dico, quòd defectio ita est, scilicet, quòd uoluntas simpliciter est libera, si intelligas simpliciter, idest in suo genere & ex sui natura, si uero intelligas, quòd sit simpliciter libera, scilicet, quòd non possit cogi a uoluntate diuina, tunc non est simpliciter libera, & ita ressolute, dico

quòd

quòd libertas, quæ ponitur in diffinitione nolun tatis non est libertas simpliciter, sed est libertas, in suo genere, quia certe uoluntas in suo genere est libera, quare &c.

De alio quod dicis, quòd Deus poterat alio obiecto quàm igne affligere animas damnatorum, ex quo uoluntas libera est in apprehensione, cuiuscunque, obiecti, Dico uerum est, quòd poterat Deus hoc facere, & punire etiam animas damnatorum in cœlo, & in consideratione solis, & Lunæ. Sed ita dicimus, quòd animæ damnatorum affliguntur sub terra, quia ita sacræ scripturæ ferunt, & ita est, quia ipsi Deo omnipotenti placuit, quare &c.

De ultimo quod dicis, ad omnem apprehensionem, sequitur delectatio, ita etiam in apprehensione ignis infernalis, sequitur delectatio, Dico quòd hoc uerum est, inquantum est ex par te ipsius apprehensionis, quia omne agens delectatur suo opere, sed tamen tristatur uoluntas, ipsa propter sequentem nollitionem, quæ nollitio est sibi maxima tristitia, & sic ex ipsa tollitur delectatio apprehendendi, quare &c. O' dicis, quòd etiam & si sit maxima tristitia, tamen stat etiam delectatio, quia dicunt Theologi quòd in anima Christi erant duæ passiones, scilicet tristitia & ex hac tristabatur, quia erat maxima, & etiam sume delectabatur cum scilicet erat, in patibulo crucis, O' dicunt Theologi, quòd in anima Christi erant duæ, passiones terra scilicet, & ex hac tristabatur & diuina portio, qua gaudebat, & ita non est inconueniens, quòd in anima Christi respectu diuersorum esset & summa letitia & summa tristitia, quia respectu diuersorum, hæc inerant ipsi Christo, nam quatenus in eo erat portio humana cruciabatur, qua tenus autem erat diuina portio, cognoscens, scilicet, quòd faciebat obiectum sui patris, summa letitia afficiebatur, quare &c.

Lectio undecima.

Erat secundum principale expediendum. Quæ nam scilicet, esset summaria series dicendorum in hoc libro, de anima, & ideo pro pter hoc facienda est diuisio librorum in tres partes, scilicet in tres libros, & primus liber diuiditur in partes, quia primo exprimit, nobis Aristoteles, intentionem suam de substantia animæ, Secundo ostendit problemata quædam quæ necessario discutienda sunt, ad notitiam substantiæ animæ, Tertio docet nos Aristoteles modum procedendi in hac scientia, quia primo dicendum est, de sensibili, secundo de actu, & ui sentiendi, Tertio de operationibus, quarto Arist. inducit opiniones antiquorum, de substantia ipsius animæ, & nunquid anima sit, quid corporeum aut quid incorporeum. Et in hoc toto examine, colligit ea, quæ dicta sunt, ab antiquis, & reprehendit illos, qui perperam dixerunt. Et ponit Aristoteles primam oppositionem, & hic finitur totus primus liber de anima, in secundo libro, supponens Arist. ex his, quæ dixerat in primo libro, quòd anima est principium, cogitationis, & principium uitæ, & est substantia, nec est substantia composita, sed forma & actus, hoc supponens, ex disputatione facta contra antiquos tunc Aristoteles tradit nobis diffinitionem comixtam animæ, tum scilicet rationalis, cum sensitiuæ, tum uegetatiuæ, secundo loco declarat speciatim, & descendit ad potentias speciales, animæ tum uegetatiuæ tum sensitiuæ, & tum rationalis. Et incipiens a uegetatiua, dixit, quòd sunt tres potentiæ animæ uegetatiuæ, scilicet augumentatiua generatiua & nutritiua, postea loquitur de aliis potentiis, scilicet animæ sensitiuæ & quia duplex est sensus, interior, scilicet & exterior, ideo tertio loco ponit sermonẽ de sensu exteriori. Postea de interiori, & sic completur secundus liber, unde patet, quòd mixtim loquitur ut in secundo libro, de sensu & intellectu.

In tertio libro loquitur Arist. de anima rationali, quo ad eius opera, quæ scilicet sunt tria, Mox distinguit intellectum, in duas potentias, in speculatiuam, scilicet & practicam, & ex his inuenit principium mouendi, quia practicam distinguit in cognoscitiuam & appetitiuam & tamen eligit principium mouendi, ex appetitiua, scilicet addunt Ioannes, & Simplicius ad Arist. quòd Theorica potentia, diuiditur in potentiam duplicem, scilicet in imperfectam, quæ speculatur ista sensibilia, & aliam perfectam, quæ speculatur primam substantiam, in hac cognitione inquiunt isti, anima non eget sensu, sed hoc est potius platonicæ, quàm peripateticæ dictum, quia secundum Arist. cooperatur intellectui phantasia, & cogitatio animæ rationalis uenit ex sensu, & phantasia, nec etiam uerum est, quòd intellectus humanus, per se cognoscat suam substantiã, sed per accidens, secundũ mentẽ Aristotelis, sicut dicimus de cognitione primæ materiæ, quia materia prima non est actu ens, sed potentia tãtum, ideo non habemus eius apprehensionem per se, sed per accidens, ex formis, idest quas recipit, ideo ex quadam similitudine etiam ipsam cognoscimus, ita intellectus humanus, qui est sicut materia prima, per se enim caret omni forma, est tamen in potentia ad omnes formas, & ita intellectus a nobis cognoscitur sicut materia prima, quia est potentia quædam ad omnem cognitionem, sicut materia prima, ad omnem for mam, & ita intellectus non potest se ipsum intueri & simplici apprehensione apprehendere, sicut dicunt isti, sed omnis eius cognitio, habet ortum ex sensibus, quare ergo expositio Ioannis, & Simplicij potius est Platonica, quàm peripatetica, & ita completur tertius liber de anima &c.

Textus primus.

***B**onorum honorabilium notitiam opinantes. Magisa utem alteram altera, aut secundum certitudinem, aut ex eo quòd meliorum quidem & mirabiliorum est: propter utraque hæc animæ historiam rationabiliter utique in primis ponemus.*

De primo ergo libro *bonorum honorabilium*. Primo ut diximus Aristoteles in hoc libro, ponit prooemium, in quo quartuor declarat, Primo nobilitatem, secundo uniuersalitatem, tertio difficultatem, quarto intentionem, & ex difficultate, sicut Aristoteles, hortatur studiosos ad scientiam istam capescendam, ita dehortatur ignauos, & rudes, ab ipsa scientia animastica, & in hoc procemio Aristoteles primo ostendit nobilitatem scientiæ de anima, quia dicit hanc scientiam esse ceteris nobiliorem, & probat hoc, quia omnis cognitio est perfectio, & est nobilis, sed una cognitio est altera nobilior, aut quia certior est. Hic disputant isti legistæ bestiæ nunquid scientia philosophiæ supponatur suis legibus an econtra, Domini, qualibet pars philosophiæ & si minima sit nobilior est suis legibus, leges enim est philosophia practica, quæ subalternatur philosophiæ, & quicquid boni habent, habent a philosophia, reuertamur modo ad propositum, nostrum. quia primo dicit Aristoteles, quòd omnis scientia est bona & honorabilis, patet inquit Simplicius, quia omnis notitia est perfectio intellectus, & omnis perfectio intellectus est laudabilis, & nobilis, ergo &c. Secundo dicit, altera etiam cognitio altera nobilior, dupliciter aut scilicet, quia est certior, aut quia nobilior, accipit autem, hoc Aristoteles, ex communi consensu quia opinantes, ita enim est consuetudo apud ipsum cum scilicet, uult demonstrare aliquid ex communi consensu utitur, his terminis, ideſt opinamut, aut arbitramur ut primo posterior fecit, cum dicit, scire arbitramur unum quodque cum &c.

Dicit ergo una scientia altera est nobilior, aut quia est certior, aut quia nobilioris subiecti, sicut geometria nobilior est astrologia, in certitudine demonstrationis, astronomia autem, nobilior est geometria ex parte rei, & subiecti nobilioris, quia astronomia uersatur circa cælestia geometria uero circa terrena abstracta a materia, & ita etiam astronomia est nobilior medicina, utroque modo, scilicet quia certiori utitur demonstratione, tum quia uersatur circa subiectum nobilius, medicina utitur demonstratione minus certa & uersatur circa corpora humana. astronomia circa cælestia, eodem pacto geometria est nobilior omnibus artibus mechanicis, utroque modo, quia certior & de rebus nobilioribus est, est enim certior, quia ostendit principia illarum. Nobilior est etiam, quia de rebus nobilioribus, illæ non sunt de rebus concretis materiæ, Arithmetica, excedit musicam, utroque modo, scilicet quia est certior, & quia est de rebus abstractis Musica, uero de rebus concretis, & inductione patet, quia altera scientia alteram superat & excedit, aut quia est certior, aut quia est nobilior, sed ista scientia habet has duas conditiones, quia excedit alias, & certitudine demonstrationis, ut dicemus, infra & etiam est, rei & subiecti nobilioris, quia considerat animam & inter animas etiam rationalem, ergo nobilior, quare uidetur exteris scientiis ista scientia de anima debet anteponi, O' ad terminos, quia multe sunt dictiones ponderandæ in textu primo, quia Arist. dicit, *bonorum honorabilium*, aduertatis, quòd philosophus non utitur nominibus synonimis, quia philosophus debet imitari naturam, habemus autem a natura, quòd frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora quare &c. Dicit Postea Arist. *notitiam opinantes*, dicit Ioan. Gram. quòd notitia sumitur tripliciter, aliquando sumitur pro imperfecta notitia, & confusa, & est cum apprehendimus aliquid primo aspectu, sine distinctione partium, & hoc habetur a latinis. Alio modo, sumitur notitia, quæ est perfecta notitia, & completa, & hoc appellatur scientia, & est cum distinctione partium, sicut, dicit Arist primo physicorum, cum dicit, intelligere & scire per intelligere intelligit, notitiam confusam, & imperfectam, pro scire intelligit notitiam perfectam, quæ est scientia, tertio modo sumitur notitia, ut est genus, ad notitiam perfectam & imperfectã, & utrique communis, & hic Aristoteles intelligit de hac notitia, quæ est genus, ad utranque, scilicet cum dicit, omnis notitia bona & honorabilis, quia est perfectio intellectus, sed tu dicis, O' notitia mali, & scientia illius, non uidetur honorabilis, & bona, quia scientiæ specificantur ab obiectis, & sumunt suam perfectionem ab ipsis, si ergo obiectum malum est, & ignobile, ergo scientia mala & ignobilis, & non honorabilis, ergo non omnis notitia, sicut dicit, Arist. bona & honorabilis est. Dico dicit Ioannes, quòd notitia mali etiam bona est, & quando, dicitis uos, O' dicit ipse, quia auertit nos a malo, ne scilicet in ipsum incidamus, sicut ignorantia boni est mala, quia auertit nos a bono, quare ergo omnis cognitio, intellectus quatenus cognitio bona est, & laudabilis, concedo autem, quòd quo ad obiecta est mala, & ignobilis, Dixit secundo Arist. in textu. Opinamur notitiam bonam esse & honorabilem dicit enim. *bonorum honorabilium notitiam opinantes*, sed bonum, ut declarauit, Aristoteles primo ethicorum, & septimo metaphysices est id quod omnia appetũt, & conuertitur, cum ente, quia unum bonum,

uerum

uerum sunt passiones entis priui & sunt idem, cum ente re, sed differunt sola ratione, & si multi litigent quid addat bonum enti, Dico tamen ego nihil aliud addit enti, nisi profectionem, profectio autem quid addit duo autem est, id quod habet rationem finis, aut quia ordinatur in finem, ideo est bonum quare a mathematicis, & a quantitate aufertur omnis bonitas, ut dicit Auerroes tertio met. quia entia mathematica, non habent eundem finem, neque etiam ordinantur ad finem, & ideo non habent rationem boni, ideo materia prima est bona, quia ordinatur, ad finem, idest in formam. Dubit autem Theologi de relatione, scilicet de generatione patris actiua & passiua filij, quia paternitas & filiatio sunt entia formalia, & tamen non habent, ullam perfectionem, & bonitatem, quia in nullum finem ordinatur, & ideo dicunt ista entia originalia nullam habere perfectionem, hac ratione, scilicet ne ponamus unam perfectionem, uni personae, quae non insit aliis, sed sophistica est ratio istorum, quicquid sit de ueritate, quia illa entia habent perfectionem, & licet ponatur perfectio enti, quae non insit aliis seu alteri, non inconuenit hoc, quia una perfectio uno modo sit in uno, alio modo sit in altero, sed omitto istos nunc ego loquor cum philosophis dicentibus, ꝙ omne ens bonum, uel quia habeat rationem finis uel quia ordinatur in finem. Bonum hoc pacto tripliciter diuiditur ab Aristotele secundo ethicorum, nam aliud est bonum, appetibile aliud est bonum delectabile, & aliud est bonum utile, & bonum appetibile, est duplex, scilicet honestum & ratione appetibile, aut sensu, & ita scientiae omnes quia sunt per se appetibiles, & recta ratione, ideo dicuntur bone, & honorabiles, & haec sunt appetibiles, per se ipsas a ratione, non sunt per se perfecte, aliud est appetibile, per se ipsum a sensu & non a recta ratione, & hoc est propter delectationem, & dicitur bonum delectabile, Aliud est bonum utile non propter se ipsum appetibile, sed propter aliud, sicut sunt scientiae morales, & quodlibet horum trium bonorum diuiditur, nam bonum utile, aut est uere utile aut apparenter, & ita de reliquis ut de honorabile, & delectabile, dicit ergo Aristoteles, Omnis notitia est quid bonum, & honorabile, quia omnis notitia, per se ipsam desideratur, & recta ratione &c. De tertio autem quia est meliorum & mirabiliorum, dicit Ioannes, quòd idem sunt bonum, & mirabile, sed differunt sola ratione, appellatur enim bonum quo ad sui naturam, appellatur uero res admirabilis quatenus comparatur, iuditio nostro, nam dicit Albertus, mirabile est illud, quod habet causam occultam, nobis quam uos quaerimus, & ideo miramur Albertus dicit, admiratio est suspensio animae in re uisa cuius causam ignoramus & quaerimus, & scias, quòd differt mirabile a miraculo quia miraculum non potest fieri ab agente naturali, sed excedit facultatem naturae, mirabile autem non excedit facultatem naturae, quia mirabile fit a natura, & habet causam naturalem, sed illa causa est latens quo ad nos & etiam est praeter communem cursum naturae.

Addit postea Aristoteles in tex. *propter utraque*, haec particula dupliciter exponitur, Alexander secundum Plutarchum exponit propter utraque haec est, quia ista notitia est bona, & honorabilis, ideo debet poni in primo loco inter reliquas & dicit Alexander, & quòd totum hoc fuit adiectum, scilicet magis alteram altera secundum certitudinem, aut quia mirabiliorum, ita quòd uult continuare ista uerba hoc modo, bonorum honorabilium notitiam oppinantes propter enim utraque haec, scilicet quia est notitia bona, & honorabilis ponimus ipsam historiam animae rationabiliter in primis, & quare hoc dicit Alexander, O' dicit Ioannes, ut euitaret argumentum contra suam oppositionem, quia solus Alexander dicit animam rationalem esse mortalem & hoc est contra mentem Aristotelis, ut supra diximus latius, immo ut ibi diximus etiam nullum uerbum Aristotelis ei fauet, cur autem ita ipse existimauerit nescio, nisi quia ipsi ita placuit, ut ergo (redeundo, ad propositum) Alexander euitaret argumentũ dicit Ioannes contra suam opinionem, extorsit textum Aristotelis, quia iam dixerat Aristoteles, primo posteriorum, quòd una scientia est certior alia dupliciter, primo, quia demonstrat principia, alterius scientiae, ut diuina, secundo quia est, de re abstracta sic, ergo dicit Aristoteles, quòd haec scientia, debet anteponi ceteris scientiis, quia certior, idest quia probat principia aliarum sciẽtiarum, aut quia est de abstractis a materia, scientia autem ista, non est, certior aliis, quia probat, earum principia, quia hoc solum facit, metaphysica, non ergo propter istam conditionem, ista scientia de anima, erit certior aliis, scientiis, quia est de rebus abstractis & ita anima erit magis abstracta aliis formis, sed si anima esset abstracta & separata a materia, sequitur ergo ꝙ anima erit immortalis quod est contra opinione ipsius Alex. sed profecto hoc argumentum Ioannis parum cogit aduersum Alexan. quia Arist. primo post dicit, illa scientia est certior alia, quae probat principia alterius scientiae, & quae est de rebus abstractis, seu natura de rebus prioribus, sicut ea quae est de magis abstractis, respectu eius quae est, de minus abstractis sicut astronomia est certior geometria, & arithmetica est certior rausica quia est, de re natura priori ita ergo uult dicere Aristoteles, quòd scientia una, est certior altera his causis. Nihil ergo plus habet ex auctoritate Aristotelis nisi quòd illa scientia est

certior aliis & eſt, certior, aut quia eſt, de re natura priori quàm ſint ceteræ ſcientiæ, aut quia probat principia aliarum ſcientiarum, ſed non probat earum principia, ergo quia eſt, de re natura priori & ita licet opinio Alexandri ſit falſa nec uolumus ipſum tueri, quia de facto falſa eſt, ſua opinio, tamen argumentum quod adiecit Ioannes nihil cogit aduerſum ipſum Alexandrum, ſicut dictum eſt, quia Ariſt. ibi non dicit. quòd una ſcientia ſit dignior altera ex eo quòd ſit de re magis abſtracta, ſicut uidetur ei imponere Ioannes, ſed ex hoc quia eſt de re natura priori. Et ob hoc dicimus quòd metaphyſica eſt ſcientia digniſsima. Inter omnes alias ſcientias quia ipſa eſt certior, & etiam quia eſt, de re nobiliori, eſt certior, & rei nobilioris, ipſa ſcientia, quæ non mutantur unquam ſecundum ſui ſubſtantiam, ſed ſemper eodem modo ſe habent, & ſi per debilitatem noſtri intellectus non poſſumus illa attingere, ſicut ueſpertilio non attingit radios ſolares propter debilitatem oculorum ſuorum, id eſt, uirtutis uiſiuæ, cum tamen ſint ita Clari ſicut aliorum ſcientia, illa eſt de diuinis rebus quæ & omnino natura priores ſunt ideo, ſcientia metaphyſica eſt nobiliſsima, omnium ſcientiarum quare &c.

Lectio duodecima.

EXPONEBAT Ioannes Grammaticus, hoc dictum Ariſtotelis, *propter utraque hæc*. ſecundum opinionem Alexandri, id eſt, quia bona & honorabilis, non autem quia ſit, certior, & rei nobilioris, ipſa ſcientia, de anima eſt in principiis ponenda, & ita dicit Alexander (dicit Ioannes) ut euaderet argumentum, quod poſſet eſſe contra ſuam opinionem, quia primo poſt. dixit Ariſtoteles, quod una ſcientia eſt nobilior altera aut quia demonſtrat principia alterius, aut quia eſt, de re abſtracta, altera uero de re concreta, ſed ſcientia de anima ex uerbis Ariſtotelis propter utraque, hæc eſt anteponenda aliis ſcientiis quare &c. Si exponeretur aut quia demonſtrat principia aliarum ſcientiarum, quod non poteſt, dici, quia non eſt uerum, ergo quia eſt, de re abſtracta, ergo anima erit abſtracta, ergo immortalis, quod eſt contra opinionem Alexandri, itaque ergo ita expoſuit Alexander ut euitaret hoc argumentum, ex quo ſequitur animam eſſe immortalem, dicit Ioannes ſed ut dixi nobis teuera Alexander extorquet opinionem Ariſtotelis, quia nullibi dixit Ariſtoteles, animam eſſe mortalem, tamen hoc argumentum, quod dicit Ioannes, non cogit contra Alexandrum & nullius eſt momenti, quia Ariſtoteles in libris poſteriorũ cap. 17. dicit quòd quattuor modis, una ſcientia eſt nobilior ſeu certior ut melius dicamus, alia eſt, ſecundum diuiſionem Linconienſis, quem omnes hodie communiter inſequuntur, primo dicit, quia eſt, de re natura priori & hoc modo metaphyſica eſt certior reliquis ſcientiis, quia in eis declarantur res natura priores, ſecundo loco eſt ſcientia de anima quia eſt de anima, quia eſt natura prior reliquis formis naturalibus, ſecundo modo, una ſcientia eſt certior alia, ſecundum Ariſtotelem, quia dicit quia, & propter quid unius concluſionis, & talis enim ſcientia eſt certior ea, quæ dicit uel tantum quid uel tantum quia, hoc eſt, dictum, illa ſcientia eſt certior alia, quæ oſtendit ueritatem alicuius concluſionis, & cauſam illius, ex quo loco habetur quòd apud Ariſtotelem datur demonſtratio cauſæ tantum, ſicut etiam dicit Auerroes, neque id quod dicit Auerroes eſt figmentum, ſed eſt opinio Ariſtotelis, & rei ueritas certe. Tertio modo una ſcientia eſt certior alia quæ ſit de re abſtracta & alia ſit de re concreta ut in exẽplo, Arithmetica eſt certior quàm ſit muſica quia illa eſt, de numero ſimpliciter, & abſtracto a materia, muſica uero eſt de numero ſonoro, qui cõcernit materiam, ut puta cordas & inſtrumẽta, quarto modo eſt, una ſcientia certior alia, quando & ſi ambæ ſunt de re abſtracta una tamen ſit de re ſimplici, ſicut una ſcientia eſt de unitate alia eſt, de puncto, utraque enim ſunt indiuiſibilia, & abſtracta ſcilicet unitas & punctus, certior tamen eſt, illa ſcientia, quæ eſt de unitate, quia unitas eſt forma ſimplicior quàm ſit punctus, quia punctus addit ſitum, quia ſuper addit punctum indiuiſibile utraque quæ abſtracta ſunt ſed una eſt ſimplicior alia ideo certior etiam, Ariſtoteles ergo non dicit id quod dicit Ioannes, quòd ſcilicet bifariam tantum una ſcientia ſit certior alia, ſed dicit Ariſtoteles quattuor modis, quare argumentum Ioannis parum cogit aduerſus Alexandrum. Tertio loco eſt illud uerbum in tex. *hiſtoriam animæ*, eſt enim dubitatio quid uoluerit ſibi Ariſtoteles per hiſtoriam, Quia hiſtoria nihil aliud eſt, quàm ſimplex enarratio ſine aliqua cauſa. Vnde liber de hiſtoria animalium ita dicitur, quia ibi declarantur partes & naturæ animalium & mores diſertione quadam non autem præponit cauſam, ideo hiſtoria eſt ut dixi, ſimplex rei enarratio, ſine cauſa, notitia uero tradita hic de anima eſt uere cauſa, & eſt, per demonſtrationem, quomodo ergo appellat Ariſtoteles hiſtoriam iſtam notitiam, Latini expoſitores uarie hoc dictum ſunt interpretati, D. Thomas dicit, quòd ideo Ariſtoteles, appellauit hanc ſcientiam hiſtoriam, quia hæc ſcientia incompleta eſt, & ipſam incomplete tradidit Ariſtoteles. Completur uero in libris de uita & morte in lib. de paruis naturalibus, Sed eadem ratione libri de phyſico auditu debent dici de hiſtoria, quia illa etiam notitia incompleta eſt, quia eſt ſolum de principiis rerum naturalium, in uniuerſali,

uersali, & tamen Aristoteles non appellat illam scientiam historiam. Alij, ut Egidius qui fuit discipulus D. Thomæ dicit istam scientiam, ideo dici historiam ab Aristotele, quia ipsa utitur demonstratione quia, & non demonstratione, propter quid, seu per causam, quæ demonstrario quia non facit scire, quia scientia uera est per causam &c. O' si tu dicas, eodem modo supra dictum fuit lib. naturales debebunt appellari de historia & præcipue liber de physico auditu, quia illi libri utunrur demonstratione quia, quare &c.

Dicit ipse Egidius uerum est, quòd libri de physico auditu possunt inscribi, quid tum, sed quid de metaphysica, utitur enim demõstratione, quia ergo debebit inscribi nomine historiæ quod tamen non est dicendum. Quia illa est una scientia & est prima omnium quare &c. Alij dicunt quòd ideo appellauit Aristoteles istam scientiam historiam siue de historia propter dicta antiquorum, quia ex quo falsa narrarunt antiqui de anima ipsa, ideo ipse ennarans uera, ipsam appellauit historiam quasi uera sint ipsius dicta, respectu eorum quæ dicta fuerunt, ab antiquis quare &c. Sed Domini ego nunquam inueni in Aristotele quòd ipse soleat uti tali arrogantia & ita immodeste loquatur sicut ista opinio sibi imponit ideo hoc nullo pacto est dicendum, tum etiam quia eodem pacto reliqui libri naturales debent inscribi ab Aristotele de historia, quia quæ accipit Aristoteles ab antiquis, ostendit omnia falsa esse, & ipsorum opiniones penitus refellit quæ sunt falsæ, dico ponens, scilicet suam ueram: non tamen propter hoc ipsos appellat de historia. Ideo aliter Ioannes, & Simplicius dicunt & recte, quòd scilicet Aristoteles ideo appellauit istam scienriam de anima histotiam, id est, scienriam, & quòd Arist. abutitur nomine historiæ non autem quia hic utatur simplici ennarratione, sine causa, sed propter hoc, quia Græci appellant scientias ipsas historias ideo in primo, cœli, ad principium dicit Aristoteles, historia de natura fere plurima est &c. Et ita conuenit Arist. loco scientiæ uti hoc nomine historia quia Aristoteles Græcus fuit quare &c. Ista expositio mihi multum placet, sexto & ultimo dicit Arist. in Tex. *in primis ponendam est*, dicit Ioannes illud uerbum est aduertendum & etiam positiuæ, non autem comparatiuæ est sumendum illud uerbum, non autẽ superlatiuæ ita quòd sit sensus, historia de anima in primis ponenda est hoc est inter primas, non autem primum simpliciter, quia primum simpliciter est metaphysica, ipsa, secundo uero loco est, scientia de anima, quare exponemus non in primo loco simpliciter est ponenda inter primas, dicunt Græci emprotis, non autem emprotistis, id est, inter primas etiam dixit Auerroes hic hæc scientia, ponenda est, in primo loco excepta diuina, quia credit, quòd illud uerbum in primis teneri deberet superlatiuæ non autẽ positiuæ, positiuum illud erit partis quare &c. Verba autem Auerroes ego omitto quia sunt potius obseruationes quàm expositiones, sed duntaxat Grecos ipsos sequar qui sensere mentem Arist. &c.

Sed super his uerbis sunt dubitationes maxime, quæ ab omnibus latinis diuersimode pertractantur. Prima dubitatio est, quia dicit Arist. bonorum honorabilium &c. Dicit quòd omnis scientia est bona & honorabilis. Dubitatur primo quia non uidetur uerum quòd omnis scientia sit bona, quòd sexto metaph. 28. dicit bonum & malum sunt in rebus, uerum & falsum sunt in intellectu, sed scientia est in intellectu non in rebus, ergo non porest dici bona quare, secundo ut declarauimus heri ex Auer. tertio met. tertio, quòd scientiæ mathematicæ carent bonitate, quia carent ratione finis & ratione ordinati in finem, non enim habent existentiam, sed solum sunt in intellectu, quia quantitas a mathematico considerata non habet esse in re tanquam in materia, ideo caret ratione finis & ratione ordinari in finem, non ergo bona est quare &c. Tum tertio ex uerbis Aristotelis primo polit. cap. 2. dicit Arist. sæuissima est iniustitia tenens arma per innatam prouidentiam & uirtutem, hoc est dictum hominum omnium seuissimus est, homo prudens si sit iniustus, & ita ex argumento sequitur quo maior est prudentia eo maior est iniustitia & seuitia & sic ex Aristotele prudentia augetur malitia, ergo scientia in homine habet rationem mali, non autem rationem boni, ergo non omnis scientia est bona, ut dicit Aristoteles quare &c. Et confirmatur, quia aliqua scientia ut puta sophistica ordinatur in malum ut puta in deceptionem, non ergo bona est, iterum artes diabolicæ & artes diuinandi sunt male quare &c.

Tum secundo & principaliter, quia non uidetur quòd omnis scientia sit honorabilis quia ex Arist. primo Ethi. habemus, quòd soli uirtuti morali debetur honor, non ergo scientiis quia scientiæ speculatiuæ seiunguntur a uirtute morali, quia ille uirtutes morales sunt in appetitiuo, & sensitiuo, scientiæ uero ipse sunt in intellectu, non ergo scientia de anima honorabilis. Tum tertio, quia scientiæ rationales diuiduntur. Quædam enim sunt sermocinales ut logica Grammatica, & Rhetorica, quædam sunt reales, sermocinales ordinantur in reales, ideo sunt illis bonum utile, scientiæ autem reales sunt duplices quædam enim sunt practicæ, quædam uero speculatiuæ, & practicæ in speculatiuas & sic ipsis sunt bonum utile & ita recte secundum Aristotelem omnis scientia speculatiua est nobilior omni practica, quia scientiæ practicæ ordinantur in speculatiuas, speculatiuæ uero ordinantur in aliquid & sunt bonum utile, quia scientiæ sermocinales ordinantur

dinantur in reales & sunt bonum utile & practicæ, ideo sunt bonum utile, quia ordinantur in speculatiuas, & ita speculatiuæ erunt bonum utile, quia ordinantur in ultimum finem hominis secundum Aristotelem, & Auerroem, omnes ergo scientiæ sunt sub bono utili, non ergo sub bono honorabili, non ergo scientiæ honorabiles, quia bonum utile & bonum honorabile sunt membra distincta, per Aristotelem primo Ethi. diuiditur enim bonum ipsum in triplex bonum, scilicet in bonum delectabile, in bonum utile, & in bonum honorabile, quæ membra ultima sunt opposita, si ergo scientiæ sunt bonum utile non ergo sunt bonum honorabile ergo &c.

Ad hæc omnia domini debetis dicere & primo ad primum. Cum dicis sexto metaphysices seiungitur bonum & malum a uero & falso, quia illa sunt in rebus ista uero in intellectu. Dico quòd seiungit ibi Aristoteles considerationem metaphysicam & reddit causam quare metaphysica uersatur circa bonum & malum, non autem circa uerum & falsum. Et dicit, quia bonum & malum conueniunt enti. Verum autem & falsum non sunt uera entia, sed entia imperfecta. Quia si sunt in intellectu, & sunt in prædicamento relationis, quia ueritas est conformitas signi ad signatum, falsitas autem est difformitas non signa principalissima. In mente sunt ueritas & falsitas proprie, ea uero quæ sunt in uoce & in scripto sunt subordinata signis mentalibus. Et quia signum primum, est positio mentalis, ideo ueritas & falsitas primo est in mente. secundo uero in uoce & in scripto. Et ideo opera ueri & falsi sunt in mente solum. Et ideo non sunt considerationis, metaphysici. Quia consideratio metaphysici, est de entibus ueris & perfectis, non autem de his quæ habent esse denudatum seu diminutum, ut est, bonum & malum, nec tamen propter hoc dicit Aristoteles, quòd omne bonum habeat esse in rebus. Ita quòd non sit aliquid in intellectu, uerum autem & falsum solum sunt in intellectu: ideo non refert & si scientiæ sint in intellectu, quòd etiam bone sint, quare &c. De secundo ex Auerroe, tertio metaphysicæ, tertio, quia scientiæ mathematicæ non sunt bone, quia non habent rationem finis nec etiam rationem ordinati in finem. Dico quòd mathematicæ scientiæ bifariam possunt considerari unomodo, quatenus scientiæ sunt ut scilicet sunt perfectio intellectus & sic sunt bonæ. Aliomodo possunt considerari quo ad obiecta, quæ sunt sine materia sicut quantitas mathematica est sine materia, ideo non habent rationem boni neque etiam rationem finis neque ordinati; in finem: quia caret existentia ideo sic caret omni bonitate & hocmodo intelligit Auertoes, quòd scilicet scientia mathematica caret ratione finis & boni, id est, quo ad obiectum eius quod est, quantitas illa sine materia considerata quare &c.

Quod dicis tertio ex primo politicorum seuissima est iniustitia quæ habet secum arma prudentiam & scientiam. Dico quòd hoc per accidens est, quòd scientia ipsa habeat, rationem mali, ex mala, scilicet uoluntate utentis, scientia tamen in se & per se habet rationem boni & hocmodo est intelligendum dictum illud Aristotelis ibi & non aliter quare &c.

Quod addis secundo & principaliter quòd scientia non potest esse honorabilis, quia honor est præmium solius uirtutis moralis. Dico quòd Aristoteles intelligit ibi bonum honorabile, id est bonum honestum, id est, propter seipsum appetibile & delectabile, si ergo dicit Aristoteles, quòd soli uirtuti morali debetur honos uerum dicit, sed hic dico quòd intelligitur bonum honorabile, id est bonum honestum & non propriæ intelligitur bonum honorabile. Cum autem dicit scientia est bonorum & honorabilium bene dicit quòd honorabile propriæ dicitur de uirtute quare &c.

Erat aliud argumentum, quod omisi quòd scientiæ omnes habent rationem utilis, non ergo boni honorabilis, probabam inductione & sermocinalibus scientiis usque ad speculatiuas. Dico quòd membra ista, scilicet bonum honorabile, & bonum utile sunt distincta ratione ipsa & non re, & ita potest esse idem bonum utile & bonum honorabile sub diuersis tamen rationibus, & ita scientiæ rationales quatenus, scientiæ, sunt bonum honorabile, quia per se appetimus illas hocmodo considerando, quatenus uero sunt utiles ad alias scientias dicuntur bonum utile, ita etiam scientiæ practicæ in se considerate sunt bonum honorabile, quia sunt per se appetibiles quatenus, uero sunt utiles ad alias, ut puta ad speculatiuas, dicuntur bonum utile, ita etiam speculatiuæ quatenus sunt per se appetibiles dicuntur bonum honorabile, & honestum quatenus uero sunt utiles ad aliud dicuntur bonum utile, ideo non inconuenit quòd idem sit bonum honorabile, & bonum utile, sub diuersis rationibus, sed cum dicimus nos, scientiam de anima esse bonum honorabile, intelligimus de scientia, quæ scilicet est per se appetibilis quare &c.

Lectio decimatertia.

ERAT secunda dubitatio principalis & difficilis in tex. circa illud dictum Aristotelis una scientia est altera nobilior, aut quia certior aut quia rei & subiecti nobilioris, innuit enim Aristoteles quòd altero horum duorum dicatur una scientia esse nobilior altera, aut quia certior aut quia rei nobilioris, sed utrunque habet dubitationem. Ratio, quòd scientiæ nobilitas non sumatur ex, rei nobilitate quia sic scientia de

deo erit infinitæ perfectionis & nobilitatis, quia Deus est pelagus infinite perfectionis. O' tu statim dices, philosophus non concedit hoc, quia ipse non uult deum esse infinite perfectionis, sed tunc dicam de Theologia quòd secundum Theologos deus erit infinitæ perfectionis, quod est falsum, quia ista est, species sub genere, ergo non potest esse infinitæ perfectionis &c. Tum secundo, quia ex hoc sequitur quòd Grammatica, & logica nullius erunt perfectionis, quia uersantur circa entia rationis, quæ nullius sunt perfectionis, quia habent esse tantum in intellectu. Tertio sequetur, quòd metaphysica erit minoris perfectionis quàm sit philosophia naturalis, quia naturalis philosophia addit aliquid. Metaphysica autem est de ente absoluto quòd autem hoc sequatur patet ex Auer. secundo de generatione & corruptione. 39. ubi inquit Auer. quòd indiuiduum est perfectius quàm sit species, quia indiuiduum addit aliquid speciei, Socrates enim ultra hominem continet primam diffinitionem, & addit aliquid speciei, ideo est, nobilius indiuiduum ipsa specie. eadem ratione species est nobilior genere, ut homo, ipso animali qa super addit aliquid ipsi animali, propriâ. s. diffinitionê, homo. n. addit relationem ipsi animali, ideo perfectior. Et eadem ratione genus subalternû est perfectius genere superiori, quia addit aliquid omni superaddit enim primum modum essendi, ut animal est perfectius substantia, substãtia est perfectior ente, quia superaddit aliquid enti superaddit enim primum modum essendi, sed metaphysica est. de ente communi aliæ autem scientiæ sunt de ente proprio. quod subalternatur enti communi, ergo metaphysica minime perfectionis & longe maioris perfectionis, erunt naturales scientiæ, si nobilitas scientiæ sumitur, ab obiecto, quia eius obiectum est, omnium ignobilissimum, quare &c.

Quarto ex hoc sequitur, ꝙ opinio, & scientia quia, & propter quid, erunt eiusdem perfectionis, quia eadem est res de qua est scientia, & opinio, & etiam de eadem re est scientia, quia & propter quid. De homine enim potest haberi & opinio & scientia. Et scientia quia & propter quid, ergo istæ notitiæ sunt eiusdem perfectionis, quia res circa quam uersantur sunt eiusdem perfectionis, quod tamen nullo pacto est dicendum, quare &c.

Quinto & ultimo sequitur, quòd scientia de homine, erit perfectior ipso homine, ut si supponamus, quòd perfectio essentialis ipsius hominis sit ut duodecim, & perfectio essentialis albedinis sit ut tria, eius notitia, sit ut quattuor. Tunc arguo sic. Ex qua parte scientia sumit perfectionem suam ab obiecto, sed supposuimus, ꝙ notitia essentialis hominis sit duodecim & supposuimus, quòd notitia essentialis albedinis sit ut quattuor, quæ ergo est proportio, hominis ad albedinê talis est, proportio notitiæ albedinis ad notitiam hominis, sed notitia albedinis est, ut quattuor, ergo notitia hominis se debet habere in quadrupla proportione ad hominem ipsum, & ita erit notitia ipsius ut sexdecim quare &c.

Secundo dubitatur, quia neque uerum est, quòd scientia sit nobilior ex eo, quòd sit de re certiori. Quia ex hoc sequitur, quòd Theologia & scientia quam habemus de Deo sit ignobilissima, quia est minime certitudinis, Et articuli duodecim quibus initur Theologia, ꝙ nedum sunt certi, sed etiam non sunt, probabiles, quod maius est, & præsertim cum dicit, esse resurrectionem mortuorum, ista ergo scientia erit ignobilissima, si nobilitas scientiæ sumatur ex certitudine demonstrandi &c. Secundo sequitur, quòd una & eadem scientia respectu eiusdem erit nobilior, & ignobilior, quia geometria respectu Astrologiæ erit nobilior, quia est certior, quia habet certiores demonstrationes, quàm habeat ipsa Astrologia, erit etiam ignobilior, quia est de re ignobiliori, quàm sit Astrologia, quare uidetur ista propositio Aristotelis habere multas difficultates, quòd scilicet nobilitas scientiæ sumatur pænes illa duo, scilicet nobilitatem subiecti & certitudinem demonstrationis.

Dico igitur ut euadamus has difficultates. Quia scientia bifariam sumitur, uno modo pro habitu particulari unius conclusionis demonstratæ in scientia, sicut exempli Gra. quòd omnis triangulus habet tres, alio modo sumitur scientia ut est quoddam unum aggregatione (quod est dictum, pro scientia totali, ut scilicet est habitus aggregatus ex multis habitibus, idest quia omnes conclusiones demonstratiue in una scientia tendunt in unum, idest in notitiam unius obiecti, exemplum in mathematica, tot sunt particulares scientiæ & notitiæ, quot sunt conclusiones demonstratæ in illa scientia, præsertim secundum opinionem communem, scio enim, quòd D. Tho. est alterius opinionis, tamen quicquid dicat ipse, Ego dico cum exteris, quòd ille notitiæ particulares, ordinantur in unum. S. ut puta in notitiam, quantitatis & ita ille scientiæ particulares, integrant unam scientiam totalem, scilicet mathematicam scientiam, & ita hoc pacto tot scientiæ particulares sunt in mathematica, quot sunt propositiones, demonstratæ in ipsa, Est tamen postea una scientia communis, quia scilicet ex omnibus illis propositionibus habetur una perfecta & integra notitia, & ita ista est scientia aggregatione una & sic dico nunc, quòd scientia totalis sumit sui nobilitatem & perfectionem a perfectissimo habitu conclusionis demonstratæ in illa scientia. Quare sumit nobilitatem ab habitu particulari & sic ista scientia

tia de anima ab illa propositione anima est immortalis, habitus autem particulares conclusionis, scilicet demonstratæ sumit nobilitatem suam bifariam, tum scilicet intrinsecæ tum extrinsecæ, intrinsecæ, ex prima differentia essentiali, sicut homo sumit nobilitatem suam intrinsecæ ex rationali differentia. Aliomodo extrinsecæ scientia particularis sumit nobilitatem suam, aut scilicet ex obiecto, aut ex certitudine; ex obiecto: quia est rei nobilioris, ex certitudine autem, quia certiores habent demonstrationes, obiectum autem adhuc dupliciter potest considerari materialiter, scilicet, & formaliter, V. G. corpus consideratur a philosopho naturali & a mathematico, diuersa tamen ratione. Nam alter istorum considerat ipsum materialiter alter formaliter, & consideratio formalis ipsius. est nobilior, & ita cum consideramus uim scientiæ unum & idem sub modo nobiliori, & secundum formam nobilior est, illa scientia: si uero materialiter, tunc illa scientia est imperfectior, & ita cum dicimus scientia totalis sumit perfectionem suam a scientia particulari & obiecto loquitur de obiecto formaliter accepto, non etiã materialiter, quare ex his declaratis soluuntur omnes dubitationes. Et primo soluitur prima. Cum dicis. quòd si scientia sumit suam nobilitatem ex re ex qua etiam sequitur, quòd scientia de Deo erit infinitæ perfectionis, quia est de re infinita. Dico sicut dixi supra de philosophis, quia secundum ipsos nullus datur actus qui sit infinitæ perfectionis, quia omnis actus est terminatus & finitus, Sed uos dicetis quid dicemus secundum rei ueritatem. secundũ Theologos. O dico. sicut etiam ipsi dicunt, quòd non sequitur hoc, quia non sumitur eius notitia, & scientia illa Theologorum & uisio beatorum, non sumitur nec capi potest ab obiecto aliquo particulari, sed a uoluntate diuina, non autem essentia diuina quæ est obiectum, ideo non sequitur quòd illa sit infinitæ perfectionis si enim proueniret illa uisio ab essentia diuina, ex quo illa agit per modum agentis naturalis equaliter ageret, in omnes, & ita omnes essent equaliter beati, equaliter enim uiderent & equaliter scirent & cognoscerent, quod est, contra Theologos. Et ideo dico, quòd producitur uisio beatorum a uoluntate diuina, & propter hoc secundum maiora merita beatorum magis ipsi uident Deum & non equaliter, quia ita placet uoluntati diuinæ, quare ueritatem habet dictum Aristotelis de scientia quæ procedit ab obiecto, uel domini si uellimus concedere quòd scientia illa sit infinitæ perfectionis possumus concedere ratione obiecti; quare &c.

De secundo quod dicis, quia sequitur quòd scientiæ rationales & sermocinales nullius erunt perfectionis. Dico quòd si considerentur illæ scientiæ nobilitate sumpta ab obiecto tunc certe sunt nullius perfectionis formaliter tamen scilicet quod sunt habitus intellectus, & perfectiones ipsius tunc erunt alicuius perfectionis, & ita extrinsecæ nullius erunt perfectionis, sed intrinsecæ tantum, scilicet in quantum sunt qualitates perficientes ipsum intellectum, quare &c.

De tertio quod dicis, quia metaphysica hoc pacto erit minime perfectionis quia est, de omni genere, scilicet de ente quare &c. Dico quòd iam solutum est argumentum, quia scientia totalis sumit suam nobilitatem ex habitu particulari, & habitus particulares ex obiecto, ideo metaphysica, sumit suam nobilitatem ex illa parte quæ est de substantiis separatis, & quoniam illæ substantiæ sunt perfectissimæ ita & illa scientia ut puta metaphysica erit perfectissima, quare &c.

Quod addis quarto, quia sequitur quòd scientia & opinio, & scientia quia, & propter quid erunt eiusdem nobilitatis, quia sunt de eadem re. Dico ad hoc, quòd dupliciter possumus respondere. Primo quòd non inconuenit, quòd opinio, & scientia extrinsecæ scilicet sint eiusdem nobilitatis, secundo dico quòd istæ non sunt de eadem re, sub diuersa tamen ratione, cum enim aliquid consideratur sub ratione opinionis, consideratur quo ad accidentia ipsi aduenientia: cum uero consideratur sub ratione scientiæ, consideratur quo ad sui essentialia, & secundum quòd necessario rationi illa euenit, ita etiam scientia quia & propter quid. Cum enim consideratur res sub signo & de ipso requiratur scientia, ab effectu tunc de ipsa habetur scientia quia si autem est per causam habetur scientia propter quid, quare ista differunt in modo considerandi, & ita, nihil sequitur absurdi, quia non sunt de eadem re simpliciter & eodem modo quare &c.

De secundo quia dicis, quòd notitia essentialis hominis erit perfectior ipso, tunc nego argumentum. O tu dices assumatur perfectio albedinis, ut tria & ipsius notitia sit ut quattuor, & perfectio hominis sit ut duodecim, concedo. O tu dicis qualis est perfectio omnium obiectorum: talis est, & proportio notitiarum ad inuicem. Dico quòd non sequitur, neque etiam dicit Aristoteles hoc, licet enim notitia sumat perfectionem ex re: non tamen dicit, quòd qualis est proportio rerum ad inuicem; talis sit, proportio notitiarum ad inuicem: quare falsum est, quod dicis &c.

De secundo principali, cum dicis Theologia est, omnium scientiarum perfectissima. O dico quòd si perfectio sumatur ex certitudine, quia Theologia est minime certitudinis, ad hoc dicit D. Tho. quòd articuli nostræ fidei si considerentur quo ad nos, nullius quidem sunt certitudinis, si uero considerentur in se & quo ad naturam, tunc sunt magnæ certitudinis, & sunt maioris

ioris certitudinis, quo ad naturam, quàm principia aliarum scientiarum, quia illa innotescunt ex lumine naturali. Ista uero nota sunt ex lumine diuino, & supernaturali, scilicet articuli fidei.

Quod addis, quia est implicatio contradictionis, quia una & eadem notitia, & scientia erit respectu eiusdem nobilior & ignobilior. Dico, quòd non inconuenit hoc, & concedo quòd una & eadem scientia sit altera nobilior & ignobilior diuerso tamen respectu ut patet de Geometria & Astrologia, quia Geometria respectu certitudinis demonstrationis est nobilior Astrologia, Respectu uero rei, id est, subiecti ignobilioris est ignobilior, quia Astrologia est de re nobiliori, & ita hoc non inconuenit diuerso respectu, quare &c.

Sed tu dices quae nam nobilitas est nobilior, nunquid nobilitas scientiae quae sumitur ex certitudine demonstrationis, an illa quae sumitur ex re nobiliori: sit nobilior, quae nam est simpliciter nobilior aut sint eiusdem nobilitatis. Dico, ad hoc, quòd longe magis est nobilior nobilitas quae sumitur ex subiecti nobilitate, quam illa, quae sumitur, ex certitudine scientiae seu demonstrationis, ut etiam Aristoteles primo de partibus animalium cap. 5. ubi dicit, quòd secundum naturam magis desideramus minimam notitiam rei nobilioris quàm multam notitiam rei ignobilioris, dicit enim ipse, Res nanque illas superiores. Tam etsi breuiter, attingere possimus tamen ob eius generis cognoscendi. Excellentiam amplius oblectamur, quàm cum hoc nobis iuncta entia tenemus, quemadmodum quamlibet partem minimam quae corporis nostrarum puellae deliciarum uidisse gratius ac iocundius est, quàm exteriorum omnium hominum membra tota prospexisse, & si hoc exemplum non sit Arist. iudicio meo, quia Arist. non solet ita immodeste loqui sed cum magna moderantia, ideo potius credo hoc esse additum a Theodoro Gaza notitia ergo, & scientia maiorem nobilitatem sumit ex re ipsa, quàm a certitudine demonstrationis & ita Astrologia simpliciter perfectior & nobilior est, quam Geometria ipsa. Quia scilicet de re nobiliori. Tum secundo patet quia est, maior nobilitas rei, quàm sit ipsius demonstrationis, quia in ratione scientiae cadit res ipsa, scilicet subiectum, subiectum enim alicuius scientiae ponitur in eius diffinitione tanquam eius differentia, certitudo autem demonstrationis & demonstratio ipsa non ponitur in diffinitione scientiae, quare ergo resolute patet, quòd nobilitas sumpta penes rem & subiectum dignior est, quam nobilitas sumpta penes certitudinem demonstrationis, quare &c.

Sed tu dices quia adhuc est, leuis dubitatio, quia si per te maior est nobilitas sumpta ex parte rei, quam nobilitas sumpta penes certitudinē demonstrationis, sequitur, quòd opinio rei nobilioris, erit nobilior quam scientia de aliqua re ignobiliori, & sic opinio erit nobilior, quàm sit scientia ut patet, nam sit opinio de homine, scientia autem de albedine, sequitur quòd opinio de homine erit nobilior quam scientia de albedine quia est de re nobiliori, quod tamen uidetur inconueniens, quod scilicet aliqua opinio sit nobilior scientia ipsa &c. Secundo quia ex declaratis ab Arist. in pluribus locis, perfectiones rerum mensurantur ex opere & penes ipsa opera; sicut patet, in aliqua specie brutorum, brutum illud quod habet meliorem modum, & meliorem actum sentiendi, illud nobilius est in sua specie, & hoc est intrinsecae, quia hoc pacto dicuntur perfectiones rerum mensurari intrinsecae, ex operibus scilicet, similiter sumitur perfectio rerum extrinsecae, & nobilitas ipsarum penes accessum & recessum ad nobiliorem in illo genere, in unoquoque genere est unum nobilissimum quod est metrū & mensura aliorum penes quod scilicet; in accessu & recessu ad ipsum dicuntur alia magis & alia minus nobilia, ut in genere animalium homo, & in colore albedo, sunt perfectissima in suis generibus, per quae in sui accessu & recessu animalia in illo genere dicuntur magis & minus nobilia, cetera enim animalia penes accessum & recessum ad hominem dicuntur nobiliora & ignobiliora sicut & ceteri colores dicuntur meliores & deteriores penes accessum & recessum ad albedinem ipsam; si ergo in multis locis Aristoteles dixit perfectiones & nobilitates rerum mensurari, hoc modo; tum scilicet intrinsecae tum extrinsecae, sicut diximus, quomodo ergo hic dicit Aristoteles quòd scientia sumit perfectionem aut ex certitudine aut ex certissimo modo demonstrandi aut ex nobilitate rei quare &c.

Dico de primo cum dicis, si notitia & scientia dicitur simpliciter nobilior, cum sit de re nobiliori, sequitur quòd opinio erit nobilior quàm sit scientia ideo concedendum est, simpliciter quòd melior & nobilior est, opinio quae habetur de re nobiliori quàm scientia de re ignobiliori, quia magis appetimus ex appetitu naturali habere opinionem de re nobiliori, quàm scientiam de re ignobiliori. Appetitus autem naturalis est ad perfectiorem rem quare, ergo illa opinio ex appetitu naturali, est nobilior quàm scientia, & ita opinio de homine est nobilior, quàm scientia de albedine &c.

Quod dicis secundo, quia ex declaratis ex Aristotele in pluribus locis, perfectiores res mensurantur ex operibus, quomodo hic dicit aut enim intrinsecae aut extrinsecae. Dico quòd uarij sunt modi mensurandi perfectiones rerum aliquando enim intrinsecae ut ab opere, quia si illa uirtus est nobilior, quae habet nobiliorem ope

rationem aliquando extrinſecæ ſumitur penes perfectiſſimum in ſuo genere, cum tamen hoc ſtat quòd menſurentur perfectiones ſcientiarum & ab obiecto & a certitudine & hoc eſt ſpecialius, Et Ariſtoteles nunquam dixit, quòd ei attribuit calculator, ſcilicet quòd menſurentur perfectiones rerum ſecundum receſſum ab imperfectis, bene dicit quòd perfectiones rerum menſurantur penes acceſſum ad perfecta, immo ſimpliciter menſurantur perfectiones rerum penes acceſſum ad primas ſubſtantias ſimpliciter, quare ergo &c.

Lectio decimaquarta.

DVAS dubitationes expoſuimus, Remanet modo tertia diſcutienda, Nunquid, ſcilicet hæc ſcientia de anima excedat alias ſcientias nobilitate rei: ſeu ſubiecti; & certitudine demonſtrationis. Quia dicebat Ariſt. propter utraque hæc ſcientia de anima aliis eſt anteponenda. Dubitant Latini & recte. Primo uidetur quòd hæc ſcientia non excedat omnes alias ſcientias nobilitate rei, etiam excepta diuina primo quia ea pars quæ traditur octauo phyſ. tota eſt, de primo motore & de ſubſtantiis ſeparatis, ergo illa pars ſcientiæ eſt, nobilior iſta. Quia primus motor eſt res ualde nobilior anima, quare &c. Reſpondent ipſi, quòd uerum eſt quòd conſideratur primus motor in octauo phyſicorum non autem conſideratur ſub modo nobiliori quàm ipſa anima ſed potius ignobiliori, non enim conſideratur primus motor ibi, quo ad ſubſtantiam ſuam, & hoc pacto eſt nobilior ſed ſi conſideratur ut eſt primus motor & qua mouet, hæc autem conſideratio de primo motore non eſt, nobilior ſubſtantia animæ qua anima eſt, &c. Sed contra iſtam reſponſionem alij. Primo quia habuiſtis ab Ariſtotele ibi in octauo phyſicorum, quarto, quòd motor cœleſtis & primus eſt ſicuti uita ſublunarium & uiuificat & conſideratur ibi formaliter quia uiuificat qua motor eſt. Non autem qua mouet etiam longe nobilius eſt, uiuificare effectiuæ ſicut facit primus motor quàm uiuificans formaliter ſicut facit anima quare &c.

Confirmatur quia octauo phyſicorum non tamen conſideratur primus motor ut motor eſt, ſed etiam ut abſtractus a materia, & ut ſempiternus & infinitus eſt. Ex perpetuitate enim motus oſtendit Ariſt. perpetuitatem motoris, ſed eſſe abſtractum a materia, & eſſe infinitum longe nobilius eſt, quàm eſſe animatum & uiuificare quare &c. quòd autem ita ſit probatur, quia uiuificare conuenit animæ negatiuæ, non autē conuenit eſſe abſtractum: ſic enim de infinitate poſſumus arguere ergo &c. ergo nobiliori modo conſideratur primus motor in octauo phyſ. quàm hic conſideretur anima ipſa quare &c.

Secundo principaliter arguitur de ſcientia libri de cœlo, illa enim eſt nobilior, quàm ſcientia de anima quia in ea ſcientia conſideratur corpus cœleſtæ in eo quòd animatum & uita ſempiterna: quia eſt, figuræ circularis & eſt animatum, quia habet motum proprium & figuram ſibi propriam & differentias poſitionis diſtinctas ab inuicem ex natura rei, & probat ipſum eſſe animatum quia habet motum proprium & figuram ſibi propriam, ſex differentias poſitionis diſtinctas ab inuicem ex natura rei, & probat ipſum eſſe animatum anima eterna: Anima autem quæ conſideratur in hoc libro conſideratur tantum ut uiuificat, & non ut eterna eſt. Quia diximus ſupra quòd hic non conſideratur de omni anima, quia non de anima cœli, ergo nobilior eſt illa conſideratio in libro cœli, quàm ſit iſta quare &c.

Tertio quia Aſtrologia conſiderat animam cœleſtem ut dicit Ariſt. duodecimo metaphyſices 44. etiam ut ſubſtantia eſt, includit intelligentiam quæ eſt nobilior ipſa anima, & dicit Ariſt. in proœmio met. quòd Aſtrologia de ſubſtantia eterna facit Theoriam, ergo &c.

Dico domini, quòd non eſt dubium, quòd iſta ſcientia de anima excedat omnes alias ſcientias nobilitate ſubiecti, excepta, diuina, & de naturali non oportet dubitare, & per hoc notate, quòd ſciētiæ quæ ſunt de accidentibus ſunt inferiores & imperfectiores, ſcientiis quæ ſunt de ſubſtantiis quæ conſiderant: ſubſtantiam: Et quia anima eſt ſubſtantia, eſt perfectior formis naturalibus, Immo perfectiſſima & omnium accidentium eſſe. Patet igitur ipſam interpretes philoſophiæ naturalis tenere primum locum & etiam inter omnes alias ſcientias excepta diuina, & quòd etiam ipſa eſt perfectiſſima forma, & forma eſt nobilior compoſito, itaque omnes partes philoſophiæ antecellit animæ ſcientia, quare ad argumenta facta in oppoſitum. Et primo, Ad primum cum dicis, quòd ſcientia quæ habetur in octauo phyſ. eſt nobilior, quia eſt de primo motore qui eſt, nobiliſſimus quare &c. Dico ſicut dictum eſt prius, quòd primus motor, in ſe conſideratus & ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt nobilior, & hoc pacto non conſideratur ibi ſed conſideratur modo ignobiliori, ſecundum ſcilicet, quòd eſt, motor & ſecundum quòd mouet; & iſta ſubſtantia prima motoris eſt nobiliſſima omnium, nec tamen conſideratur a philoſopho naturali. O' tu replicabas, quia & primus motor ibi conſideratur ut eſt, uita omnium & ut effectiuæ uiuificat, & effectiuæ uiuificare conuenit primo motori, ergo &c. Dico quòd non conſideratur ibi primus motor, in eo quòd uiuificat, ſed in eo quòd mouet, conſideratur ut uiuificans & ut mouens. O' tu dicis oſtendit ibi Ariſt. quòd eſt, quaſi uita ſublunarium.

Dico

Dico & si postea Arist. ostendat quòd est, uita sublunarium, non tamen consideratur ibi hac ratione primus motor, scilicet ut est uita sublunarium, sed sequitur ex hoc quia mouet, non in eo quòd consideratur ibi ut est uita sublunarium quare &c. Quod dicis secundo, quia consideratur ibi, ut abstractus a materia, & infinitus est. Dico similiter quòd nec etiam consideratur ibi primus motor sub his rationibus ut est, separatus a materia, & infinitus, sed hæ sunt passiones sequentes, ex quo perpetuo mouet,& ipsas passiones deduxit Arist. quia ex quo perpetuo mouet sequitur, quòd sit separatus a materia, & sit infinitus,& ita dico quòd consideratur ibi ut primus motor eternus,non autem sub istis conditionibus & prædicamentis, licet quòd consequentur postea illa prædicata declarentur ut consequentia & passiones, Quia ex motu eterno probatur quòd sit abstractus a materia, & quòd sit infinitus,& ita hæc ut conditionem sequuntur motus eterni &c.

Ad illud quod dicis, quòd in primo & secundo cœli consideratur cœlum ut corpus uiuens aut ut uita æterna, hic autem consideratur anima ut uiuens & uita corruptibilis. Dico quòd non consideratur ibi cœlum ut corpus uiuens uita eterna, sed tamen consideratur ut corpus simplex,postea ex hoc omnino consequenter probantur illa prædicata de eo ut passiones quæ demonstrantur de ipso, quia ex eo quòd mouetur motu simplici & circulari sequitur, ergo quòd habet figuram sphæricam,ergo animatum est &c.

Quòd addis, tertio de Astrologia, quia Arist. duodecimo metaphysices & etiam in procemio primi metaphysices dicit, quòd Astrologia considerat cœlum & substantiam eternam. Dico q; substantia cœlestis bifariam consideratur, uno modo ut substantia est, & sic non consideratur ab Astrologo, quia corpus cæleste non est, subiectum Astrologi, sed magnitudo cælestis est subiectum ipsius,quia scientia subalternata accipit subiectum a subalternante, & addit ei conditionem accidentalem, ex quo ergo Astrologia subalternatur ipsi geometriæ, accipit quantitatem & addit ei cœlestem quòd est, accidens & differentia accidentalis, illa ergo Astrologia, non considerat corpus cœleste qua corpus est, substãtia sed qua magnitudo & quantitas, & ita cum dicit Aristoteles Astrologus facit Theoriam de substantia cœlesti quæ est eterna intelligit de magnitudine cœlesti, non autem de substantia quare &c. Est & alia dubitatio principalis de certitudine demonstrationis huius scientiæ quia nõ uidetur uerum quòd hæc scientia de anima excedat alias scientias certitudine demonstrationis. Præterea primo post. cap. 17. probauit Aristoteles demonstrationes mathematicas esse certiores demõstrationibus naturalibus,quia naturales sunt in materia & motu, materia aut est causa omnis erroris & incertitudinis, quia est, causa transmutationis & motus. Mathematicæ autem non sunt in materia & motu quare etiam certiores. Tum quia illa scientia est certior quæ dicit quia & propter quid, sed mathematica dat utrunque,naturalis autem tantum dat quia, uel rarissime propter quid, nunquam autem simul quia & propter quid,quia scientia naturalis primo procedit ab effectu ad causam, postea si ipsa debeat generare scientiam sit regressus a causa ad effectum, ergo scientia mathematica est certior quam scientia de anima, tum etiam ex Arist. 6. ethicorum. cap. 7. qui dicit, quòd principia mathematicæ addiscuntur ex sola prolatione, ergo certior est scientia mathematica quàm sit scientia naturalis, & per consequens scientia de anima. Tum quia Arist. dicit infra quòd hæc scientia de anima est omnium difficillima, non ergo certissima est, consequentia patet, in mathematicis, quia ex quo scientiæ mathematicæ certissimæ sunt, & ideo etiam & facillimæ, quare &c.

Ad hoc sunt diuersi modi dicendi D. Tho. Gaeta. & Egid. dicunt quòd certitudo demonstrationis, est bifariam in nobis, scilicet simpliciter & quo ad nos, & demonstratio simpliciter certior est ex causis per se notioribus quo scilicet procedimus ex causa in effectũ,demonstratio autem quia, est ex effectu nobis notiori ipsa causa, scilicet a causatis nobis notioribus in causam procedimus, hoc stante. Respondent quòd quando Arist.dicit quòd scientia de anima præcedit alias scientias certitudine demonstrationis, loquitur de certitudine demonstrationis quia, & quo ad nos, cum scilicet procedimus ab effectu in causam, quia scilicet scientiæ naturales sunt certiores aliis hoc pacto, scilicet quo ad nos, scientiæ autẽ mathematicæ sunt certiores demõstratione simpliciter, quæ procedit a causa in effectum, & ita ad argumenta respondent, quòd cum dicis scientia de anima est certior aliis, si intelligis simpliciter quo ad nos, est uerum de scientia de anima,& erit falsum de mathematicis, & hoc etiam intelligit Auerroes, secundo metaphysices, & isti reddunt causam,quia si consideremus principia huius scientiæ de anima, inueniemus ea duobus modis notiora, quia eius principia sunt duplicia, scilicet principia essendi & principia demonstrandi, & secundum ambo eius demonstratio est nobis certior, non quia effectus eius sunt notiores & eius operationes, declaro primum, scilicet, quòd si consideremus principia cognoscendi sunt manifesta si autem consideremus & loquemur de principiis demonstrandi, scilicet ingredientibus demonstrationem,tunc ista sunt nobis certissima, quia ista sunt sensata, quia ab operationibus & huiusmodi quæ operamur, in nobis & siccum ex principiis uirtualiter ingredientibus

tibus demonstrationem tum ex illis quæ formaliter ingrediuntur, dicuntur esse certissima principia, quæ autem sunt in mathematica non sunt huiusmodi. Sed hoc dictum defendi non potest ex declaratis primo post. cap. 17. quòd scilicet, certior est illa scientia simpliciter quæ est de re priori, sed anima est prior, quia est substantia quam sit quantitas ipsa 1 quia est accidens, modo omnis substantia est prior tempore natura & origine perfectione omnibus accidentibus, ut dicit Arist. 7. metaph. quarto, ergo scientia de anima erit certior simpliciter tamen. quia quæro quid dicit Arist. quòd demonstrationes mathematicæ sunt in primo gradu certitudinis, & naturales in secundo, & metaphysicæ in tertio de qua certitudine loquatur Arist. quæro ab ipsis si dicant quòd Arist. loquitur de certitudine quo ad nos hoc falsum est. Quia sunt aliæ scientiæ certiores uel tantum certe, si autem loquitur de certitudine simpliciter, quòd scientiæ mathematicæ habeant demonstrationes certiores simpliciter contra. Quia Arist. dicit, quòd demonstratio certissima est entium abstractorum, quia demonstratio de re priori est certissima, quare &c. Ad hoc quiddam dicunt, quòd quan do Arist. dicit, & etiam Auerroes, quòd demonstratio mathematica est prior, intelligunt ipsi de utraque simul, scilicet tam de certitudine simpliciter, & ideo mathematica est simpliciter, & quo ad nos, In primo gradu certitudinis, unde dicunt, quòd si demonstrationes huius scientiæ de anima sint certiores quo ad nos tantum, & ita sunt certiores quo ad nos tantum, q̃ mathematicæ scientia quo ad nos tantum, non autem simpliciter & quo ad nos, quia secundum ambas & simul demonstrationes mathematicæ sunt certiores, sed contra, quia adhuc remanet difficultas de alijs partibus naturalis philosophiæ ut puta. de demonstrationibus in libro de partibus animalium & generatione animalium, quia ita accipiunt principia manifesta ex eisdem operationibus sicut ista scientia, de anima. Et tamen Aristoteles dicit, quòd superat omnes alias scientias, ergo male dicit Arist. Ideo est secundus modus dicendi Burlei, cum dicis, quòd non est uerum, quòd ista scientia de anima præcedat alias scientias certitudine demonstrationis, quia non præcedit mathematicā, dicit Burleus, quòd Arist. collectiue loquitur, non autem absolute de utroque sed accipiendo simul certitudinem demonstrationis, cum nobilitate subiecti simul. Et ita scientia mathemathica, habet certiores demonstrationes, quàm scientia de anima collectiue tamen sumendo certitudinem cum nobilitate subiecti, scientia de anima est certior ipsa mathematica. Quia plus nobilitatis & certitudinis accipit a subiecto, quàm a demonstratione ipsa, & per oppositum licet ista scientia excedat mathematicam scientiam certitudine demonstrationis, mathematica excedit ipsam nobilitate subiecti, & ideo methematica dicitur habere certiores demonstrationes, quàm scientia de anima collectiue sumendo.

Sed domini hæc expositio sophistica est, quia dicit, tex. Arist. propter utraque hæc, non autem dicit pro una tantum, secundo arguitur contra Burleum, quia dicit, quòd mathematica excedit istā scientiam de anima certitudine demonstrationis, & scientia de anima excedit mathematicam bobilitate subiecti, sed ego quæro a Burleo, unde nam habet, q̄ scientia de anima plus proportionaliter habeat excedere mathematicā, in nobilitate subiecti quàm mathematica, ipsam in certitudine demonstrationis quare &c. Tertio argitur ex dicto Aristotelis, primo posteriorum, quòd certior est illa quæ est de re non priori, Anima autem est huiusmodi, quia est prior natura quàm sit subiectum ipsius mathematicæ, ergo scientia de anima erit certior quare &c.

Ideo est tertius modus dicendi Appollinaris, & interpretum philosophiæ naturalis, qui dicunt, quòd scientia de anima excedit omnes alias scientias, tum scilicet nobilitate subiecti tum etiam certitudine demonstrationis. Quia scientia de anima demonstrat per operationes magis sensatas, quàm faciant aliæ partes philosophiæ naturalis. Et ita quo ad nos, dicunt ipsa est certior, & præcedit etiam alias partes philosophiæ naturalis in nobilitate subiecti, ut patet quare &c. Et si dicas quare Arist. excepit scientiam diuinā, Dicunt excepit & determinat Aristoteles unam partem, scilicet nobilitatem subiecti, & non totum coniunctum, quia in coniuncto non determinat neque excipit diuinā ipsam quare &c. Sed contra hanc demonstrationem, ego arguo, quia scientia libri, de partibus animalium & de generatione animalium, procedunt ex medio ita sensato sicut est medium in ista scientia, quia ex uegetare & mouere & id genus quare &c. Secundo ex primo post, illa scientia est certior, quæ est de re natura priori, non autem quia procedit ex sensatis. Ideo ego dico ex sententia, Linconiensis, & Themistij primo post cap. 17. ubi habet, quòd una scientia potest dici bifariam certior altera, uno modo, respectu nostri, & est illa quæ est magis certa, & magis certificat nos, Est enim scientia, quæ procedit demonstratione quia, altera, quæ procedit demonstratione propter quid, ideo illa quæ magis certificat nos, illa dicitur magis certa respectu scilicet nostri, sicut illa, quæ procedit ex causa est certior, quia causa magis nos certificat, quàm ipsi effectus, alio modo una scientia dicitur certior reliqua, non quo ad nos, sed quo ad rem ipsam, idest quia scientia illa est, de re, quæ ex sui natura certior est, & illa res dicitur ex sui natura esse

esse certior quæ est natura prior,& ita licet uno modo intelligere, quia dicit, uel quia uel propter quid, alio modo, quia est de re natura priori & ideo certitudine quo ad nos certior est, illa scientia mathematica, postea naturalis demum metaphysica, si autem consideremus, de certitudine quo ad res ipsas, quia scilicet sint de rebus certissimis & etiam tantum prioribus, est econtra seu contrario modo. Quia primo est certior metaphysica, postea naturalis, ultimo mathematica, metaphysica enim est, de rebus certissimis, quæ a nullo dependent, & est de rebus, ut dixi actualioribus & certissimis, & quòd hoc sit uerum, patet, quia substantia quo ad naturam in se est certior accidente, quia prior natura in se. Quia ergo metaphysica est de substantia perfectissima in se, ideo prior & certior omni alia scientia, Præterea, quia naturalis philosophia est de materia, de forma, & de composito, quæ sunt substãtiæ & ideo eius demonstrationes ponuntur in secundo gradu, & quia de formis naturalibus anima ipsa est nobilior, ideo excedit alias scientias: sed quia non excedit formas abstractas in nobilitate, immo ab ipsis exceditur, ideo illa est certior quo ad unumquamquæ, scilicet quo ad certitudinem demonstrationis & quo ad nobilitatem subiecti, & propter hoc Auerroes, excepit illam scientiam, scilicet diuinam, & sic stante hac distinctione. Dico quòd scientia de anima quo ad utrumque, scilicet quo ad certitudinẽ demonstrationis, & quo ad nobilitatem subiecti excedit omnes alias scientias excepta ipsa diuina quare &c.

Lectio decimaquinta.

Erat principalis dubitatio dissoluenda. In uerbis Aristotelis, scilicet de certitudine demonstrationis dicebat enim Arist. in textu, quòd scientia de anima præstantior est cæteris & nobilitate subiecti & certitudine demonstrationis, præter scilicet ipsam diuinam. Et dissoluimus. Sunt autem non nullæ dubitationes contra uerba Arist. dicentis, scientiam de anima esse certiorem cæteris excepta diuina est enim dubitatio. Prima, quia Arist. secundo metaphysicæ decimosexto. Dicebat ꝙ scientiæ mathematicæ, sunt in primo gradu certitudinis, nec etiam in omnibus sunt expetende dicit, idem etiam Auerroes. In commento, sed scientia de anima non est, omnibus certior excepta diuina quare &c.

Confirmabatur ex primo post cap. 17. quia dicit Aristoteles, quòd certior est illa scientia, quæ est de re abstractiori, quàm illa quæ est de re concreta & coniuncta materiæ, quia est de anima coniuncta ipsi corpori quare &c. Secundo arguitur quia illa scientia, quæ dat, quia & propter quid simul, est certior illa quæ dat quia tantum, seu propter quid tantum, sed scientia mathematica, dat quia & propter quid simul, scientia autem naturalis & de anima dat tantum, quia, uel propter quid, sed rarissime hoc, ut Auer. primo physicorum, ergo mathematica, est certior quàm sit scientia de anima; tum etiam, quia dicit Aristoteles sexto ethicorum, quòd principia mathematica possunt haberi ex sola cognitione terminorum: principia autem naturalia non nisi longa experientia & consideratione, quare &c. Vnde dicit Arist. ibi puer potest esse mathematicus non autem naturalis & philosophus, ergo scientia naturalis difficilior est, quàm mathematica, sed omne quod difficilius est eo incertius est quare &c. Tertio arguitur, quòd hæc scientia de anima ut dicit Aristoteles est omnium difficillima, ergo demonstrationes eius sunt difficillimæ, quomodo ergo est cæteris certior, cum sit, quòd sciẽtia mathematicæ est, facillima, quia est certissime demonstrationis, & facillimæ cognitionis &c. Quarto addit, quia dicit Aristoteles, quòd hæc scientia de anima est omnibus certior excepta diuina, sed contra quia demonstratio huius scientiæ ex sensibus & ex his quæ quotidie experimur, in nostris operationibus, quæ sunt in nobis, est autem scientia metaphysices, quæ non procedit, ex his, quæ sunt in nobis; neque experimur, sed ex his, quæ longe sunt a nostris sensibus, ergo scientia metaphysicalis, non est certior scientia de anima, quare male ipsam excepit Auer. in commento &c.

Dixi, quòd erant plures modi dicendi, & reprobaui eos, Remansit quartus modus dicendi, qui dicebat quòd demonstratio potest esse certior bifariam. Vno modo quo ad nos, alio modo, quo ad rem ipsam, & illa est certior, quo ad nos, quæ magis nobis aliquam rem notificat, quàm faciat illa demonstratio propter quid, dicitur nobis certior quia nobis aliquam rem magis uerificat, quàm faciat demonstratio quia, in hoc modo certitudinis, illa autem quæ non est certior quo ad nos, sed quo ad rem ipsam, est quando est de re, quæ in sui natura est certior licet nõ sit nobis certior exemplum. Quia scientia metaphysica est certissima omnium aliarum scientiarum, quia est de rebus in se certissimis, incertissima autem nobis propter improportionem nostri. Intellectus ad ipsas, dicit enim Arist. quòd ita uidetur intellectus se habere ad ipsas sicut oculus noctuæ ad lumen Solis. Dicitur ergo certior ipsa metaphysica, quo ad rem, quia est de rebus in se certissimis, scilicet naturæ certissimis, res autem quæ sunt in se certiores ex se ipsis, sunt illæ quæ in sui natura sunt priores & que magis a nullo dependent & si loquamur hoc pacto de certitudine scientiæ quæ est de substantia, est certior quàm illa quæ est de accidente, quia prior

habetur, intellectus ibi considetatur ut est, puta potentia ens & per accidens intelligibilis, omnes autem aliæ formæ sunt in actu & per se intelligibiles, quia ut sunt in actu ita sunt intelligibiles, ergo etiam sunt maioris certitudinis, quare &c.

Quinto ad huc arguitur de metaphysica quia res metaphysicæ ut dicit tertio de anima 26. sunt ueritates nobis notæ mediante intellectu agente qui est pars animæ rationalis; ergo iste intellectus erit certior; quia habet ueritatem suorum principiorum ab ista, quare &c.

Dico domini, ad hæc, & primo ad primum cum dicimus, certitudo demonstrationis sumitur ex medio, non autem ex subiecto, dico si loqueris de certitudine quo ad nos, ita uerum est quòd sumitur ex medio, si autem intelligas de certitudine quo ad rem ipsam, eo scilicet quia est rei certioris, hoc pacto sumitur ex subiecto, quia duplex est certitudo; una scilicet quæ dicitur respectu nostri; alia uero quæ dicitur respectu rei; & sic solutum est argumentum &c.

Quod addis, quia sic esset nugatio in uerbis Aristotelis, quia idem est dicere quòd scienria de anima excedit alias scientias certitudine demonstrationis, & nobilitate subiecti. Dico concedendo argumentum, quòd scilicet ista duo se consequuntur, quia re ipsa idem sunt, differunt tamen ratione, quia scilicet nobilitas subiecti dicit perfectionem & accessum ad primum ens, & ens dicitur in natura tante perfectionis & tante nobilitatis quia, uel plus, uel minus accedit ad primum. Dico ergo quòd sunt idem re sed differunt ratione quia scientia de anima, ideo dicitur perfectior, quia magis accedit ad primum ens, dicitur autem certior quia nota est, de natura sui certior, quare ergo nobilitas subiecti, dicit perfectionem, & accessum ad nobilissimum ens, certitudo autem demonstrationis, dicit rem quæ de natura sui quatenus ex se nata est haberi certissima, & maxime nota, si autem est econtra est pro impoportionem nostri intellectus ad ipsam, & ita illa duo, secundum rem sunt idem, non autem ratione, nec hoc pacto est nugatio. Quia nugatio est quando duo sumuntur secundum eandem rationem &c.

Quod addis, quia hoc pacto, falsum erit exemplum Græcorum & etiam aliorum. Dico quòd exemplum uerum est, sed non est omnino simile, sed satis est, quòd notificetur in parte, quia exemplum ponitur pro exemplo, & pro parte & uerificatur in hoc Geometria est certior quo ad nos Astrologia autem est certior quo ad naturam, & si sic accipiamus certitudinem secundum unã expositionem tantum, falsum erit exemplum, sed non in omnibus, quia posuerunt illud exemplum Simplicius, & Themistius, ad demonstrandum qualiter una scientia excedit aliam nobilitate subiecti, & aliam certitudine demonstrationis, qualitercunque sit illa demonstratio, siue respectu nostri, siue respectu, rei in se, quare &c.

Quod addis tertio, quia adhuc est, difficultas de mathematica, quia certior est, illa scientia secundum rem, quæ est separata a mareria, & abstracta: sed scientia de anima non est huiusmodi, ut patet, ergo &c. Dico quòd falsum est, quòd scientia mathemarica sit de re abstracta secundum rem, quia quantitas est, secundum cogitationem, & cognitionem, abstracta, non autem ut est quantitas & tes, quia eadem est, quantitas quæ a natura, secundum rem & quæ a mathematico consideratur, & ideo mathematica est solum abstracta secundum cogitationem non autem secundum esse. O tu dices non uidetur quòd anima sit secundum rem separata a materia, & patet pereius diffinirionem, quia deffinitur anima per subiectum. Dicitur anima est actus corporis physici organici, ergo anima ipsa deffinitur per materiam, non ergo est abstracta, quare &c. Dico quòd licet anima rationalis, quo ad suas aliquas operationes respiciat ad nos, & anima in eo quòd anima sit in respectu ad corpus, sic etiam habet multas alias operationes quæ respiciunt ad nos & non separatur a materia. Habet autem alias operationes quæ non respiciunt materiã & ab ipso separantur sicut intellectio, & maxime intellectio substantiarum abstractarum in quibus non communicat anima cum corpore nisi per accidens, quatenus, scilicet considerat cum sensu, quare ergo anima secundum sui substantiam est separata a materia, & a corpore, & secundum quasdam suas operationes, & si etiam habeat operationes cum corpore nihil obstat quare &c.

Quod addis, quia scientia quæ est de formis mixtorum & elementorum est natura prior, forma enim animæ præsupponit formam elementorum, ergo etiam certior quia per te scientia quæ est de rebus natura prioribus, est de rebus certioribus, quare &c.

Dico quòd prioritas naturæ est duplex. Prioritas, scilicet originis & prioritas perfectionis, & ista scientia quæ est, de rebus prioribus origine non est certior posterioribus, quia sic scientia de anima esset perfectior scientia de forma, si autem est de rebus prioribus perfectione, sic illa scientia quæ est de rebus prioribus perfectione est certior perfectione posterioribus, quare ad argumentũ, dicendũ quòd & si forma elementorum est prior origine, non proprie est certior. forma animæ, quare &c. Sub aliis uerbis adhuc possumus. Respondere, quòd scilicet hoc comparatiuum certior, potest dupliciter declarari, id est, certius naturæ, id est, prius notum naturæ, & sic materia & forma sunt certiores, naturæ, quia prius notæ naturæ ipso composito. Aliomodo sumitur, certius notum naturæ, quia magis

magis perfectum & magis actuale, & sic compositum est certius, quàm componentia, & ita certius seu notius possunt demoustrare intentionem & remissionem in ordine, si enim dicit ordinem sic demonstratio de formis elementorū & mixtorum in animatorum erit certior, id est, prius certa quo ad naturam, quàm demonstratio de anima. Quia prius sunt: in homine formæ elementorum, & in aliis animatis quàm sit anima ipsorum; Scientia tamen de anima secundum rem, in se est certior, quia est de re priori & perfectiori, & sic dicit Aristoteles, quòd demonstratio de anima est certior aliis scientiis excepta diuina, & sic Auerroes bene excipit excipiendo diuinam, quæ quidem & certitudine demonstrationis, & nobilitate subiecti omnes alias excedit ut dicit Aristoteles in procemio primi metaphysices, quare &c.

Quod dicis quarto, quia intellectus possibilis consideratur ut est, pura potentia, & per accidens intelligibilis, aliæ autem formæ sunt actu & per se intelligibiles &c. Dico quòd dupliciter consideratur anima rationalis. Vnomodo in genere intelligibilium, & sic est in pura potentia, quia est capax omnium intelligibilium, ut materia prima est, in potentia omnium sensibilium, & sic anima rationalis respectu sensibilium est, actus nobilissimus qui actuat ens sensibile. O' quid dicis, quia tertio huius dicit, quòd anima est tantum per accidens intelligibilis a nobis. Dico, quòd uerum est, quia ex aliis rebus cognitis nos postea cognoscimus animam rationalem; quia illam circumscribimus, quod est, subiectum in pura potentia omnium intelligibilium, & sic etiam est per accidens intelligibilis, ut autem facimus, de materia prima. Cum autem dicimus, ergo minoris certitudinis, & intelligibilitatis, nego consequentiam, quia intellectus ipse de se est purus actus: in respectu & genere sensibilium, & sic est magis certa, quare &c.

Ad quod ultimo dicimus, quòd ueritas scientiæ mathematicæ est intellecta mediante lumine intellectus agentis cuius uoritia habetur, ergo demonstratio huius scientiæ est certior illa metaphysicæ, quia principia metaphysicæ non tantum habentur lumine intellectus agentis, sed etiam concurrunt aliæ intelligentiæ, & cum hoc intellectus agens concurrit tantum demonstrando, & illuminando uirtutem terminorum ex quorum simplici notitia uirtute intellectus agentis assentimus primis principiis, & sic habetur simplex notitia quæ habetur lumine intellectus agentis, & dicitur fieri a lumine intellectus agentis, non quòd aliæ intelligentiæ non concurrant; sed quia ab intellectu agente, sumunt initium: cum dicitur quòd prima principia uirtute luminis intellectus agentis nota sunt ab eo i habent ueritatem &c.

Textus secundus.

VIDETVR autem ad ueritatem, omnem cognitio ipsius multum proficere: maxime autem ad naturam, est enim tanquam principium animalium.

Videtur autem ad omnem ueritatem. Cum Aristoteles declarauit nobilitatem & certitudinem huius scientiæ, ex iam dictis. Nunc inducit eius utilitatem, ut scilicet ex his duobus inducat homines ad amorem huius scientiæ, & dicit quòd ista scientia est utilis ad omnem scientiam speculatiuam, quia ad omnem ueritatem, quia ueritas est finis scientiæ speculatiuæ, latius exponit Simplicius & Themistius, qui dicunt, quòd non declaratur, quòd solum sit utilis ad omnem scientiam speculatiuam, sed etiam ad scientiam & operationem, & hoc declaratur a Simpl. & Them. tripliciter, Primo, quia cum sit anima subiectum & fundamentum omnium aliarum scientiarum, hac ignorata quomodo habebimus fidem de aliis scientiis, quia est fundamentum aliarum scientiarum; Omnes enim scientiæ sunt in anima. sicuti in subiecto, quare &c.

Secundo est utilis ad omnes scientias, tam practicas quàm speculatiuas. quia declaratum est, ab Aristotele primo de partibus animalium cap. primo, quòd omne subiectum scientiæ est scibile & omne scibile est intelligibile, & tale non scitur nisi ab intellectu, quia ista correllatiua sunt, intellectus & intelligibile, ergo omnibus scientiis maxime utilis, dicit Simplicius est utilis, quia anima est medium inter abstracta, a materia, & concreta, & maxime anima rationalis, & hoc est, secundum sententiam Simplicij, qui noluit animam rationalem partim esse abstractā & partim concretam, id est, media inter abstractum & concretum, ita ergo dicit Simplicius; cū anima sit media inter substantias abstractas, & concretas, facile deducimur in cognitionem extremorum, sicut ex colore medio ut uiridi, in casu deducitur, in cognitionem colorum extremorum, quare &c. Ioannes Grammaticus qui uoluit quòd hæc scientia de anima non sit media inter abstracta & concreta, sed partim naturalis partim diuina, Dicit quòd est utilis omnibus, quia si loquamur de animabus ut de sensitiua, & uegetatiua, quo ad istam partem deseruit naturali scientiæ, si autem loquamur de anima intellectiua, hæc pars deseruit methe. Et addit Io. rationem huius dicti, quia scilicet hic in respectu dicit Arist. quòd scientia de anima est utilis naturali philosophiæ, si ergo tota ipsa esset naturalis, esset igitur, sibi ipsi utilis, sed nihil sibi ipsi utile est, ergo non est totaliter naturalis, sed si recordamini hanc opinionem supra reprobauimus, quia Arist. connumerat hanc scientiam inter

ter partes philosophiæ naturalis, & dedi rationem. Quia homo qua homo est, includit motum de finitio enim hominis, qua homo est, includit motum, & anima est principium motus in animato, ergo philosophiæ naturalis est consideratio animæ, itaque ergo Arist. in tex. dicit quòd hæc scientia de anima est utilis ad omnes alias scientias, & maxime ad scientiam naturæ est, anima quasi principium omnium animalium dicit Aristoteles, & ita Aristoteles in hoc tex. ponit utilitatem huius scientiæ. & uniuersalem & particularem, quare igitur non possunt perfecte cognosci, neque plantæ, neque animalia sine anima ipsa, sicut notitia principiati non potest habitari sine principiis, exponit, scilicet illud uerbum, scilicet *ad omnem ueritatem*, id est, ad omnem scientiam.

Lectio decimasexta.

EXPONIT nobis Auerroes, illa uerba Aristotelis in tex. quòd scilicet cognitio animæ sit utilis ad omnes scientias, quomodo, ergo sit utilis hæc scientia omnibus scientiis, dicit Auerroes quòd tripliciter est utilis, primo est, utilis, sicut pars est utilis in suo toto; ut sicut manus est utilis corpori suo, ita hæc scientia est, utilis suo toti, & est nobilissima pars eius dicit Auer. habendo disputationem cum scientia naturali, animalia enim sunt nobilissima corporum generabilium. Anima autem est nobilior existens in animalibus proxime, ergo dicitur hæc scientia est utilis naturali philosophiæ, quia perfectissima est de plantis & animalibus quorum præcipua pars est anima, immo necessaria est scientia de anima ad ista, quia non possunt sciri sine ea quare &c. Secundo scientia de anima ut dicit Auerroes est utilis aliis scientiis quia dat ei plura principia, & hoc etiam pacto est utilis, etiam scientiæ diuinæ, & etiam morali quia ex hac moralis suscipit ultimum finem hominis; in eo quòd homo, & ista est, ultimus finis in eo quòd homo, non autem in eo quòd animal. Declaro hoc, capit enim moralis substantiam ultimi finis hominis: qua homo est, hac ratione, quia hic ostenditur quòd homo, intellectu est homo. & ostenditur quòd intellectus est substantia separata a materia. Finis autem intellectionis hominis est perfectissima eius operatio, perfectissima autem operatio intellectus est perfectissima intellectio, perfectissima autē intellectio est speculatio substantiarum separatarum, quia ergo ab hac scientia moralis accepit ultimum finem hominis, qua homo est, qui est speculatio substantiarum abstractarum quia est, perfectissima intellectio, quæ est perfectissima operatio intellectus, sicut dicimus quòd perfectissima operatio sensus est sentire, ultimum est perfectissimum obiectum, & bene dixit finem hominis, in eo quòd homo non in eo quòd animal, quia ultimus finis, in eo quòd animal, est uegetare & sentire, sed in eo quòd homo, id est, rationalis, qui habet intellectum & animam intellectiuam quæ est separata a materia, quare etiam potest intueri substantias abstractas, & consequenter subdit Auer. Et accipit substantiam, substantiæ suæ quæ sit. Possunt hæc uerba ad duo referri, scilicet ad ultimum finem, qui est fælicitas, & ad hominem, id est, ad sui substantiam & mentem, quæ est ratio, quia moralis accipit substantiam ultimi finis quæ sit ab ista, quia dicit quòd est, cognitio substantiarum separatarum per propriam essentiam, quia illa cognitio est eadem, quare sua essentia & substantia est eadem, & declarauit quòd illa cognitio est sine errore, quia est sine discursu actu simpliciter, & id genus, uel quia cognitio sit substantiam eius, scilicet hominis, quia homo componitur ex anima tanquam ex sui essentia, & anima hic diffinitur & sic scitur hic substantia hominis, quia per ipsam animam homo est homo. Ad huc etiam est alia utilitas in hac scientia, quia est utilis ipsi metaphysicæ, quia metaphysica accipit principia sua ab hac scientia de anima. Duplex enim est subiectum metaphysicæ, principale, scilicet, & secundarium, principale subiectum metaphysicæ, est considerare substantias abstractas & conditiones earum, secundarium autem est, considerare esse substantiarum abstractarum, hoc stante. Dico quòd secundarium subiectum scilicet esse substantiarum abstractarum inuenit Arist. in octauo physicorum ex motu ipso, dicebat enim, quòd si formæ cœlestes perpetuo mouent, ergo sunt separatæ a materia, & ita uia motus inuenit, Arist. esse substantiarum abstractarum. Ab hoc libro autem metaphysices sumit conditiones substantiæ separatæ, quia sumit primo quòd substantia separata est intellectus, secundo quòd est actu intellectus & actu intelligit. Tertio ostendit quòd sua intellectio est sua substantia. Quarto ostendit quòd simplici notitia apprehendit: Omnia hæc declarabimus, accipit ergo metaphysicus ab hac scientia de anima, primo quòd substantia separata intelligit. Quo pacto ostendit hæc. O' quia omnis substantia separata a materia est nobilior quàm illa quæ est coniuncta materiæ, sed aliqua forma coniuncta materiæ cognoscit & intelligit, ergo a fortiori uirtus separata a materia ualet argumentum, quia nulla uirtus non cognoscens est, præferenda uirtuti cognoscenti, quare &c. Cognoscit, ergo & intelligit, aut uniuersaliter, aut singulariter cognoscit, sed non singulariter, quia singulariter cognoscere, est sensus & sic esset sensus, ergo uniuersaliter apprehendit & intelligit, sed omnis uirtus uniuersaliter apprehendens est intellectus, ergo illa substantia est intellectus,

quare &c. Secundum etiam deducitur, quòd ſcilicet, eſt actu intellectus illa ſubſtantia, quia intellectus potentia aliquando intelligit, & aliquando non intelligit, quia coniungitur ſenſui & apprehendente ſenſu intellectus apprehendit, ſenſu autem non apprehendente; nec intellectus apprehendit, ſed oſtenſum eſt, quòd illa ſubſtantia cœleſtis eſt ſeparata a materia, & ab omni materia, ergo a ſenſu, ergo ſemper intellectus actu intelligit, non autem potentia, quia a nullo dependet in ſui intellectione, ſed pure, intellectus eſt actus, tertio etiam oſtenditur quòd ſua intellectio eſt ſua ſubſtantia, quia intellectiones, in nobis ſunt accidentia quæ generantur ex ſimulachris, & ita noſtra intellectio non eſt ſubſtantia ſed tantum in diuinis ſubſtantiis ſua intellectio eſt ſua ſubſtantia, quia actu intelligit, ergo a nullo dependet in intellectione, ſi autem ſua intellectio non eſſet ſua ſubſtantia, tunc haberet ſuam intellectionem ab alio, & ita potentia eſſet intelligens, non autem actu, quia intellectio in diuinis ſubſtantiis eſt ſimplex apprehenſio rerum, non autem eſt cum compoſitione & diuiſione, nec cum diſcurſu, quia omnes iſte operationes dicunt imperfectionem in ipſo deo, & ceteris: quare nec in ipſo inueniuntur: quare ergo diuinus philoſophus multas accepit conditiones: ab iſta ſcientia, quare etiam utilis ipſi diuinæ ſcientiæ, quare &c. Tertio hæc ſcientia eſt utilis omnibus aliis ſcientiis & practicis & ſpeculatiuis, quia hæc ſcientia confirmat nobis omnium ſcientiarum principia, quia reddit cauſam omnium principiorum, ex ea enim acquiritur cognitio cauſarum primorum principiorum dicit Auerroes, & cognitio rei per cauſam eſt perfectior, quam cognitio rei ſine cauſa, ergo hæc ſcientia confirmat nobis omnium ſcientiarum principia, & declarat generaliter cauſam omnium principiorum, quia ut uos ſcitis. Dignitates ſunt duplices, ſcilicet dignitates primæ ſimpliciter, in omnibus ſcientiis, ſicut eſt exempli gratia, de quolibet uera eſt affirmatio uel negatio, & omne totum eſt maius, ſua parte. Iſte enim dicuntur dignitates uagæ a Themiſtio, & a nobis dicuntur prima principia ſimpliciter, quia ſcilicet omnibus ſcientiis ſunt communia & neceſſarium eſt ſcire iſtas dignitates cuilibet addiſcenti, & neceſſe eſt addiſcentem quemlibet ſcientiam his aſſentire. Aliæ ſunt dignitates non ſimpliciter primæ, ſed in genere, ut puta in determinata ſcientia, ut in Geometria ſunt ſua principia quibus oportet addiſcentem illam ſcientiam, ſcilicet Geometriam credere, & ipſis aſſentire, ut ſi ab equalibus equalia demas, quæ remanent ſunt equalia, iſtæ enim non ſunt neceſſariæ cuilibet addiſcenti, ſed tantũ, ſunt neceſſariæ in illa ſcientia determinata cuius ſunt principia, ſi ergo Auer. per dignitates intelligat omnes dignitates, tam ſimpliciter quam in genere, & quæ ſint iſtæ cauſæ principiorum, quæ cognoſcuntur in hac ſcientia &c. Aduertatis quòd hæc principia, habent triplicem cauſam, ſcilicet alteram naturalem ex qua, alteram materialem in qua, alteram efficientem, prima ſcilicet naturalis ex qua eſt notitia, ſimpliciter terminorum, qui termini dicuntur eſſe materiales ex qua eſt: & ſic in hac ſcientia declarantur iſti termini, ſimplices, tertio huius, quia ibi declarabuntur ſimplices apprehenſiones intellectus quare &c. Eſt & alia cauſa materialis in qua, quæ eſt, ſubiectum horum principiorum, ſcilicet intellectus plures, in quo tanquam in ſubiecto exiſtunt & etiam hoc in hac ſcientia declaratur quare &c. eſt & cauſa efficiens quia declaratur eſſentia intellectus agentis, uirtute cuius aſſentimus primis principiis & propriis, redditur, ergo hic cauſa materialis & formalis principiorum, quare ex his omnibus manifeſtum quòd ex hac ſcientia prima principia ſcimus, & per eam confirmantur, quia ſcimus cauſam ipſorum, ſcilicet & materialem & formalem, ex materiali cauſa ex qua, & cauſam in qua, hæc omnia uerba ſunt ipſius, Auerrois ſuper hunc tex. ſed ſtatim occurit dubitatio, quare Ariſt. dicens eſſe animam principiũ naturalium loquitur dubitatiue, dicit enim in tex. *tanquam*, quare addit Ariſt. illud uerbum dubitatiuum. Tanquam &c.

Secunda eſt dubitatio ex determinatis ab Auer. in ſecunda utilitate, quia dicit, quòd hæc ſcientia eſt utilis ipſi ſcientiæ morali, & metaphyſicæ: quia hic iſte ſcientiæ ſumunt ſua principia. Et cum moralis ipſa habeat tres partes una eſt, quæ docet regimen domus, & hæc Echonomica, dicitur. Alia eſt quæ regimen docet ipſius ciuitatis, & hæc dicitur, politica. Eſt & tertia, quæ docet ſui ipſius regimen & hæc eſt Ethica, Auer. ergo per ſcientiam moralem excipit ſcientiam regendi ciuitates & dicit, quòd hæc ſcientia habet, ultimum finem a ſcientia, de anima, O' uos dicetis hoc non uidetur uerum. Quoniam moralis regendi. Ciuitates eſt, quæ traditur ab ipſis politicis & huius finis non eſt, intellectio, ſubſtantiarum abſtractarum, ſed prudentiæ ipſa ſimul cum uirtute morali, ut puta de Ethica, & Echonomica quare &c. Confirmatur, quia tertio huius trigeſimoſexto Ariſt. tangit hanc difficultatem maximam cur ſit, philoſophi naturalis cõſiderare ſubſtantias abſtractas, & tamen non ſoluit hanc dubitationem, ibi enim dicit alibi eſſe ſoluendam, quomodo ergo moralis poteſt accipere ſua principia ab iſta ſcientia quare &c.

Tertia dubitatio eſt, in tertia utilitate huius reſpectu aliarum, quas ponit Auerroes & dicit, quòd hæc ſcientia declarat cauſas principiorum in aliis ſcientiis. Eſt igitur dubitatio, quia ſi principia habent cauſas, ergo demonſtrabilia,

ergo

ergo non sunt principia, quomodo ergo sunt principia. Secundo, quia si causæ principiorum declarantur in hac scientia, ergo hæc scientia ordine doctrinæ debet præcedere omnes alias scientias, quia in ipsa per Auer. habentur causæ principiorum omnium, quare &c. Tertio sequetur, quòd in ipsis tum metaphysicæ tum mathematicæ, non essent nota principia sua: neq; etiā essent circa, principia quia per Auer. ab ista scientia de anima confirmantur talia principia, ergo &c. Quod tamen falsum, quia ipse mathematicæ perfectissimæ adhererent suis principiatis. Ad hæc, Dico, & primo, ad primum cum dicit, quare Arist. ita dubitatiuæ loquutus est in tex. dicendo, Tanquam, Domini diuersi sunt modi exponendi talem locum, & primus est Ioan. Gram. Qui dicit, quòd Arist. ideo addit illum uerbum, quia re uera, anima ipsa non est principium ipsorum animalium & plantarum, sed natura est principium istorum, quia natura ut dicit Arist. secundo physicorum tertio, est principium motus, & quietis &c. In animali dicit Io. neque uerum est quòd motus animalis sit a natura, quia motus naturalis hominis, est motus elementi prædominantis in ipso, & ita esset grauitas respectu moueri deorsum, motus autem grauitatis. non est proprius ipsi homini, sed tantum: motus incessus, qui sit ab anima quare &c.

Ideo aliter dicit Simplicius, quòd ideo Arist. addidit illud uerbum tanquam, quia ipsa anima est principium animalium quare .f. dubitatiue & loquutur de rationali respectu sensitiuæ & uegetatiuæ, quia de ratione principij, est quòd sit forma, de ratione autem formæ est, quòd sit indiuisibilis, sed anima uegetatiua, & sensitiua, sunt diuisibiles cum corpore, ideo istæ duæ animæ non sunt neq; possunt esse principia, ideo dicit, Simplicius Arist. dubitatiuæ loquutus est quare &c. Sed hæc expositio Simplicij non est, uera. Quia anima omnium & animalium, & plantarum, est uera forma eorum, quare &c. Et cum ipse dicit, de anima uegetatiua & sensitiua, quia istæ ex quo diuisibiles sunt &c. Dico quòd per se sunt indiuisibiles: per accidens uero diuisibiles, quia ipse habet diuisibilitatem a subiecto in quo sunt, quare anima est principium corporis & formale, & finale, quia corpus animatum ordinatur in animam tanquam in finem, est principium efficiens, quia est causa motuum in animalibus. Animalia enim mouentur ex se ipsis intrinsecæ, scilicet quare &c. Sed dicis, quomodo ergo Arist. addit illam particulam dubitatiuam. Potest dici, quòd Arist. ita loquitur quia nondum ostensum est, quòd anima ipsa sit actus corporis physici organici, potentia uitam habentis, quare &c. Secundo etiam & si sit manifestum quasi ex sensu, nihilominus ita loquitur Arist. propter animam rationalem comparatam aliis duabus: quia anima rationalis, uno modo est forma, aliæ autem alio modo sunt formæ sicut dicit Arist. infra, anima enim rationalis est actus corporis, sicut ipse nauta est actus nauis, & est separabilis a corpore, anima autem uegetatiua & sensitiua, sunt sicut formæ, & actus inseparabiles, ideo propter istum diuersum modum prædicandi Arist. dicit tanquam, quare recte dicit Arist. iudicio meo, &c.

Quod addis secundo, quia scientia moralis non sumit sua principia, ab hac scientia de anima, ut ea pars quæ est regendi ciuitates: quia eius finis non est, intellectio substantiarum abstractarum, sed est finis puta politicus, finis secus scilicet prudentia cum uirtute morali. Dico q. duplex est felicitas humana, una practica dicitur, quæ consistit in habitum prudentiæ cum ipsa uirtute morali. Alia speculatiua est, in quam ordinantur prima, quia ista speculatiua est nobilior, & ista est speculatio perfectissimorum entium & iste finis secundus conuenit omnibus partibus philosophiæ moralis. Cum ergo dicis, quòd finis scientiæ moralis non est intellectio substantiarum abstractarum, nego assumptum. Quia sicut dixi, duplex est finis, & ita ne dum prudentia & uirtus moralis est finis scientiæ moralis, sed etiam speculatio perfectissimorum entium sicut dixi, quare &c. Quod addis, quia moralis non potest sumere ex isto libro finem ultimum, cum Arist. tertio huius trigesimo sexto moueat quæstionem illam, & non dissoluat, quomodo ergo potest sumere sua principia, Dico, quòd Arist. licet moueat quæstionem illam & non dissoluat, tamen non dimittit illam, quòd non possit eius solutio haberi, ex prædictis. Quia ex prædictis habet, quòd hominis anima est separata a materia, quia intelligit, quare &c. Et cum ultimus finis rei sumatur penes perfectissimum eius actum, & perfectissimus eius actus, sit intellectio substantiarum abstractarum, ideo habetur hic finis. Cum autem dicis, quòd Arist. dimittit hanc quæstionem insolutam, Dico q. dimisit insolutam, quo ad modum, quomodo scilicet habeatur cognito illa substantiarum abstractarum, an scilicet per discursum an per essentiam, sed non dimisit illam insolutam tanquā impossibilem dissolui, nec enim dubitauit Arist. an cognitio illa habeatur, & an esset illa hominis ultima felicitas & ultimus finis, sed dimisit tantum dubitationem, de modo, scilicet quomodo cognoscatur quare &c.

Quod dicis tertio in tertia utilitate, quia dicit Auer. quòd principia omnium scientiarum habent causam ab hac scientia de anima, sed dubitatur, quoniam ipsa principia sunt indemonstrabilia, ergo non habent causam, Dico quòd principia possunt considerari trifariā, primo modo quo ad sui materiam, scilicet quatenus cōstāt

ex terminis, & hoc pacto habent causam, scilicet notitiam prædicari & subiecti, & si considerentur, quo ad sui materiam: in qua habent, scilicet intellectum possibilem. Possunt etiam consideeari, secundo modo principia, quo scilicet ad suum ascensum, & hoc pacto etiam habent causam efficientem, scilicet lumen intellectus agentis, quia intellectus ipsis terminis mediante lumine intellectus agentis statim generatur ille ascensus, & ita principia considerata hic duobus modis dictis non habent rationem principij, quia habent causam quare &c. Tertio possunt considerari principia, scilicet quo ad propriam inherentiam, prædicati eum subiecto, & hoc modo sunt principia, & indemonstrabilia, & hoc stante soluuntur dubitationes, & primo soluit quod dicebat primo, scilicet quòd principia sunt indemonstrabilia, ergo non habent causam. Dico quòd si considerentur formalirer, scilicet ratione inherentie prædicati ad subiectum, sic ipsa principia, sunt incausata & indemonstrabilia, quare &c. Quod addis secundo, quia ista sciẽtia deberet præcedere omnes alias scientias. Nego argumentũ, quia hæc scientia non declarat causam principiorum qua principia sunt, aliæ autem scientiæ declarant principia, qua principia sunt, & formaliter, & hoc pacto sunt indemonstrabilia. Bene uerum est, quòd complettam eorum notitiã simpliciter habemus, hic &c.

Quod dicebas tertio, quia tunc sequetur, quod mathematicæ principia, non erunt certissima, Dico quòd ut sunt principia, & formaliter considerata, quo scilicet ad inherentiam prædicati ad subiectum, sunt certissima, manifeste enim inheret prædicatum cum subiecto & econtra, sed materialiter habetur certior eorum notitia hic; & hæc est defensio ipsius Auer. & hæc fuit expositio, Gaietani quæ mihi placet &c.

Sed tu dicis ad uerba Auer. quia dicit, quòd principia aliarum scientiarum hic confirmantur, quia eorum causa hic habetur, & dat causam Auer. quia cognitio alicuius per causam sui firmiot est quàm per sui esse tantum. Innuit Auer. quòd principia habent causam per quam fiunt firmiora. Dico quòd uerum est, satis tamen est, quòd si considerentur qua principia sunt, non habent causam, sed aliunde habent causam, & sub alio modo considerandi ipsa ptincipia quare &c.

Textus tertius.

INQVIRIMVS autem considerare & cognoscere naturam ipsius, & substantiam: postea quæcunque accidunt circa ipsam: quorum aliæ proprie passiones uidentur, aliæ autem communes & animalibus inesse.

Lectio decimaseptima.

QVERINVS *autem contemplari & cognoscere*, Primo demonstrauit nobis Arist. certitudinem, & & nobilitatẽ huius sciẽtiæ de anima, Secundo utilitatem, Nunc tertio loco Arist. explicat intentionem suam, quid nam scilicet facturus sit in hoc libro. Et dicit duo esse quærenda a nobis, in tota hac scientia. Primo quænam sit materia, & substantia ipsius animæ, secundo quænam sint per se eius accidentia, quæ duplicia scilicet sunt, quædam propria, & quædam communia, hæc sunt uerba Arist. quæ per se patent, quo ad uerba dicit primo Arist. Quærimus autem contemplari & cognoscere, duo uerba dicit Arist. quæ tamen non important idem, quia philosophus non utitur nominibus, synonimis, philosophus debet enim imitari naturam, quæ nunquam facit pluribus id quod potest facere paucioribus quare &c. Hæc uerba exponit Ioan. & dicit, quòd Arist. pro contemplari uoluit intelligere notitiam inperfectam, Confusam indistinctam, per cognoscere autem uoluit significare notitiam perfectam & distinctam, quare hæc duo uerba non habentur pro eodem, neq; significabunt idem quare &c.

Secundo Arist. in tex. dicit, *naturam & substantiam eius*. Exponit Ioan. hæc uerba du[?]pri mo, dicit, quòd hæc duo uerba synonima, tamen hic Arist. utitur his, quia unum est, notius altero, & unum explanat alterum, quòd magis notificat. Exponemus enim naturam eius, & substantiam substantialiter quiditatem eius, deffinitionem, appellatur enim deffinitio substantialis quiditas ab Arist. & forma quo est, id quod est Quærimus ergo naturam & substantiam ipsius animæ, idest deffinitionem animæ &c. Secunda expositio Ioannis Grammatici horum uerborum est, quòd possumus exponere hæc uerba, quòd sint ut significent diuersa duo, ut si diceremus, quærimus naturam, idest genus animæ. Quia aliqui ponunt ipsam esse quantitatem, ut pura numerũ, aliqui qualitatem, ut complexionem, & calorem innatum aliqui relationem, aliqui substantiam, idest eius deffinitionem per differentias & si haberemus genus differentias animæ ex quibus fit eius deffinitio quare &c.

Sed ipsi Simplicio non placet hæc expositio Io. & ipse dicit, quòd Arist. nusquam accipit nomen naturæ pro genere Ioan. ipse alio modo exponit & dicit, quòd Arist. dicit naturam, quo ad eam partem animæ, quæ est inseparabilis a corpore ipso, scilicet uegetatiua & sensitiua, quia istæ sunt inseparabiles a materia, ideo quasi materiales, per substantiam autem intelligit Arist. animam rationalem, quæ omnino est, separabilis a corpore quare &c. Aliæ etiam sunt

horum

horum uerborum expositiones, attamen mihi magis placet, prima expositio Ioannis.

Dicit secundo loco Arist. In tex. *& quacunque accidunt circa ipsam*. Dicit Ioan. accidens potest bifariam sumi. Vno modo quando aliquid alteri contingenter inest, ut nigredo inest coruo & albedo Cigno seu parieti. Alio modo sumitur accidens, quòd necessario alicui inest & hoc modo sumpsit, Arist. accidens primo priorum, in deffinitione syllogismi. Quando dicit syllogismus est, oratio in qua quibusdam positis & concessis necesse est aliud euenire seu accidere, illud uerbum accidere accipitur pro necessario, ita etiam hic dicit Ioannes quæcunque accidunt animæ, idest quæ animæ necessario insunt, idest prime operationes ipsius animæ, & ista sunt duplicia dicit Arist. quædam scilicet primo & quædam communia, & primo sunt illa qua soli animæ conueniunt & sunt ipsis cõmunia, quia ista non habent animam sine corpore, & dicit Ioannes uocat Arist. has operationes animæ passiones, quia anima in apprehensione ipsarum patitur quia omne enim recipiens in recipiendo patitur, quodcunque enim recepit aliquid paritur, neque enim ista passio animæ est cum corruptione, sicut passio lignorum ab igne, quæ passio fit in ipsis cum corruptione ipsorum, sed ista est passio quæ ducit ad perfectionem, & hoc etiã est quod dicit philosophus, scilicet quòd totum patitur ab unitate perficere. Ideo etiam hoc pacto est, usus Aristoteles, & ex hoc loco reflectuntur argumenta Andronici, qui dicit librum perihiermenias non esse Arist. quia appellauit simplices operationes intellectus passiones, arguebat enim ipse, nullibi in lib. de anima sunt appellate simplices apprehensiones passiones. In quibus tamẽ erant appellãdæ & uerum est, dicebat Andro. quia ille liber de anima est Arist. ergo scilicet iste liber perhiermenias non est Arist. Sed ex his uerbis reiicitur argumẽtũ Andronici, quia hic Arist. operationes animæ appellauit passiones, quare male dicit ibi Andro. Auer. in com. seu in expositione sua super hoc tex. duo aduertit, Primum circa intentionem Arist. quia dicit Arist. duo esse quærenda. Primum naturam & substantiam animæ. Secundum accidentia ipsa, & reddit causam huius Auer. quia cognitio cuiuslibet generis, & cuiuslibet speciei, non perficitur nisi cognoscendo deffinitionem & accidentia illius rei. Secundo exponit Auer. illa uerba scilicet. *alia proprie passiones animæ, aliæ uero communes*, Dupliciter exponit hæc uerba Auer. Prima expositio est, quòd per accidentia prima uult intelligere ea quæ non communicant corpori, nec egent aliquo organo corporali, & nullo pacto cõmunicant corpori nec ipsi cordi nec cerebro nec reliquis partibus, & ista est intellectio, per accidentia autem communia, dicit Auer. intelligit Arist. communes passiones animæ & corporis, quæ non fiunt nisi cum organo corporali sicut est sentire, & uegetari, & uidere, & id generis &c.

Aliomodo exponit Auerroes hæc uerba, & dicit, quòd passiones primas animæ possumus intelligere omnes eas quæ incipiunt ab anima, & redundant, in corpus, ut est uisio & istius husmodi sensus. Communia autem quæ incipiunt a corpore, & redundant in animam, ut est somnus, qui causatur ab euaporatione, q̃ uadit a stomacho ad cerebrum, quæ causatur a cibo, per uias & meatus per quos transmittitur spiritus & sensus & hoc. Clare patet ab Arist. in libro de somno & uiglia, & ita ista operatio incipit a corpore & redundat in animam, & reddit causam istarum expositionum Auer. & primo reddit causam primæ, diuisionis, quòd ideo Arist. dicit de accidentibus primis uelle pertractare, quia si inueniemus animam habere aliquam operationem sibi propriam in qua scilicet nõ egeat corpore ex hac habebimus solutionem illius arduæ, & tam difficillimæ quæstionis, uidelicet de immortalitate animæ & eius abstractione, deinde Auer. reddit causam, secundæ expositionis dicens; Quòd ideo sic exposuit, quia Arist. intendebat per illam diuisionem colligere omnia opera ipsius animæ, tam scilicet intelligibilia, quàm sensibilia quare &c.

Sed hic est, locus dubitationis, primo quia dicit Aristoteles quædam est, a nobis substantia animæ postea eius accidentia, uidetur Arist. male ordinare cum sit, quòd operationes animæ sint magis notæ substantia animæ. Ideo ab eis debuit prius incipere, iuxta illud dictum Arist. primo phy sicorum 1. a notioribus semper est incipiendum quare &c.

Secundo ego arguo contra expositionem ipsius Auerrois, & primo cum dicit, quòd est aliqua propria operatio animæ in qua non eget ipso corpore, & hæc est, ipsum intelligere, sed contra istã expositionem arguo sic, quia intelligere etiam cõmunicat cum corpore, quia intellectus indiget phantasia quæ communicat, corpori, ut habetur ab Arist. primo huius 64. ubi dicit, melius est, dicere hominem anima miscere, & intelligere, quàm scilicet animam absolutam, ergo &c.

Tertio arguo in illa expositione Auer. passionum animæ &c. Vbi exponit proprias passiones animæ esse quæ incipiunt ab anima & redundat in corpus, communes autem, quæ econtra sunt &c. Et dicit Auer. quòd sub hac diuisione non est, comprehensa ipsa intellectio, quoniam intellectio, nec incipit ab anima & redundat in corpus, nec incipit a corpore redundando in animam, sed solum hæc operatio conuenit animæ, & nullomodo communicatur ipsi corpori. Et tamen corpore indiget, ut ipsa causetur, quare &c.

De primo cum dicis philosophus naturalis ubique ex accidentibus & operationibus adipiscitur, & namciscitur, substantiam ipsam, hic autem Auer. & Arist. præponunt substantiam ipsis accidentibus, quare &c. Dico quòd duo sunt cõsideranda in omni scientia, scilicet uia doctrinæ, per uiam doctrinæ intelligimus, id quo mediante nos procedimus a notioribus nobis, scilicet ab operationibus & accidentibus, si illa sint nobis notiora & hoc est, quod dicit Arist. primo physic. &c. Ordo autem doctrinæ quòd est, ordinatio partium scientiæ ad inuicem, & in hac ordinatione artifex debet imitari naturam & præponere quæ sunt priora naturæ, non autem quæ sunt nobis priora & notiora, iste enim ordo doctrinæ debet esse conformis ordini naturæ causa, ergo substantia animæ sit notior, quàm sint eius operationes, ideo Arist. declarans hic ordinem doctrinæ præponit substantiam animæ operationibus ipsius, & accidentibus, & ita primo loco dicit præponenda esse naturam & substantiam animæ, secundo autem loco eius accidentia.

Quod dicis secundo, quia nulla est propria operatio animæ, quæ non communicet; cum corpore, auctoritate Arist. primo huius 64. qui dicit melius est dicere hominem anima misceri, quàm anima simpliciter. Dico quòd si consideratur ista intellectio, quo ad dependentiam & sic nullomodo dependet a corpore. Quia nos non intelligimus nec per manum, neç per pedem, nec per cerebrum, & similia, si autem consideretur ista, intellectio quo ad denominationem, quia etiam denominat corpus, quia dicimus totum hominem intelligere, non autem solam animam hoc pacto, dicitur communicare corpori. Quia ipsum simul cum anima denominat, nec inest toti nisi per animam rationalem, quia ab ipsa est, quo ad originem & modum principiandi &c.

Quod addis ex Arist. qui dicit, quòd intellectio indiget corpore, quia primo huius 64 dicit melius est dicere hominem, anima intelligere, quàm simpliciter ipsam animam intelligere. Dico quòd intelligit ipsam intellectionem redundare ab anima in corpus, quo ad denominationem, quia dicimus totum hominem intelligere, quo ad originem autem solum ab anima, quare &c. & similiter ad id, quod dictum est, in secunda expositione Auerrois, dictum quòd intellectio incipit ab anima & communicatur corpori, secundum scilicet demonstrationem, quare &c.

Textus quartus.

OMNINO autem & penitus difficillimorum est accipere aliquam fidem de ipsa, quum enim sit quæstio communis multis alijs: dico autem eam quæ est circa substantiam, & eam quæ quid est. Fortaßis alicui uidebitur una quædam methodus esse de omnibus de quibus uolumus cognoscere substantiam, sicut & eorum quæ sunt secundum accidens propriorum demonstrationem. quare quærendum utique erit methodum istam.

Textus quintus.

SI autem non est una quædam & communis methodus de eo quod quid est, amplius difficilius est negociari, oportebit enim accipere circa unumquodque quis modus, cum manifestum fuerit utrum demonstratio aliqua sit, aut diuisio, aut aliqua methodus adhuc multas habet dubitationes & errores ex quibus oportet quærere, alia enim aliorum principia sicut numerorum & planorum.

Ex omni autem parte & penitus diffic. Postquam Arist. declarauit nobis intentionem suam, quòd scilicet primo quærenda est, natura & substantia animæ, secundo eius accidentia, quæ duplicia sunt communia scilicet & propria ostendit hic nobis Arist. difficultatem in execratione horum & inquit Io. hic ratione recta dicit hoc Arist. quia sicut ex hoc audaces & studiosos hortatur ad amorem huius scientiæ ita desides, & ignauos ab ipsa dehortatur; ostendit ergo Arist. difficultatem horum & primo quærendam esse substantiam. Dicit etiam quòd hoc pacto habet difficultatem & duplicem, tum scilicet generalem, tum specialem in quinto tex. & difficultas generalis, dupliciter prima erit difficultas, quòd difficile est scire an una sit uia inuestigandi, generaliter. omnium substantias, sicut est, una uia communis demonstrandi accidentia, per se quæ est demonstratio propter quid. An sit plures secundum, quòd plura sunt opera & accidentia, ipsius, si tu dicas quòd est, una uia communis inuestigandi definitionem animæ tunc quæritur, quæ nam sit illa an scilicet sit demõstratio ut Hippocrates uoluit. An sit diuisio, ut uoluit Plato. An compositio, ut uoluit Arist. Et in hoc est magna controuersia inter Aristotelem, Platonem, & Hippocratem, Quia Hippocrates uolebat hanc uiam esse demonstrationem, per quam passio de subiecto ostenditur, Plato autem uolebat ipsam esse diuisionem, & quomodo inuenitur definitio ex diuisione uos dicetis. O respondet Plato, diuidendo genera & differentias in quæ non conueniunt, & quæ conueniunt, ut si uellemus definire hominem, diuidemus ipsum in corporeum & incorporeum & abiiciemus incorporeum eligendo corporeum & dicit, quòd ita procedamus quousque inuenimus definitionem hominis. Aut compositione, id est collectione eligendo ea quæ insunt homini ut eligendo genera & differentias quæ insunt ipsi definito, quare dicit Arist. difficile est inuenire istam definitionem animæ si sit uera, nec ne. si autem sint plures di-

cit

cit Arist. iterum iminet difficultas, scilicet quot nam sint istæ uiæ & quales sint, iterum & quibus rebus conueniant, secunda difficultas generalis animæ, est inuestigatio ipsius, quia omnis deffinitio debet constare ex genere & differentiis iterum ex propriis principiis, ideo imminet difficultas, quæ nam sint ista prima principia, quia aliorum alia sunt principia alia numerorum alia superficierum, ideo quærãdum est, quæ nam sint ista principia, quare &c.

Quo ad uerba in principio textus sunt duo uerba, scilicet omnino & pœnitus, quæ duo aduerbia non ponuntur per eodem, quia philosophus non intendit superfluis loqui, sed illa duo ponuntur ab Arist. ut ipse ostenderet maiorem difficultatem, deinde dicit Arist. in tex. est, difficultas communis ipsi animæ, & multis aliis, & non dixit, omnibus, quia quærere definitionem omnium est, difficile. Dico quia non omnium rerum est definitio, quia genera generalissima, & subiectum & quantitas non habent definitionem uerum tamen est, quòd aliquando circumscribimus ipsa, quare recte Arist. dixit & multis aliis. Tertio sunt uerba illa ab Arist. scilicet dico autem ea quæ est, circa substantiam & eius quòd quid est, dicit Ioannes Gram. quòd signanter loquitur Arist. quia substantia multa significat aliquando significat genus rei, aliquando aliud, ideo Arist. ut ostendat in qua significatione accipiat substantiam, addit & eius quod quid est, id est definitionem, dicit ergo Arist. quòd difficile est, inuenire definitionem animæ, quare &c.

Quarto sunt uerba Arist. in tex. scilicet *eorum quæ sunt secundum accidens propriorum*, dicit Ioannes quòd iterum Arist. appellat secundum accidens propria, non id quod contingenter, inest sed accipit accidens id quod necessario inest, id est operationes, & passiones primas, & hæ duplices sunt, quædam quæ necessario insunt, sed possunt cogitatione separari dicit Ioannes sicut nigredo, necessario inest coruo, possumus tamen imaginari; Coruum album, & horum dicit ipse accidentium; non est, scientia. Alia sunt quæ necessario insunt; nec cogitatione possunt separari, sicut risibile respectu hominis, non enim possumus imaginari hominem; qui non possit ridere, implicat enim contradictionem, hominem esse & non esse risibile. Appellat ergo hoc loco dicit Ioannes accidentia passiones, quæ necessario possunt, & ita necessario quòd nec cogitatione nec aliquo pacto possunt separari, sicut risibile respectu hominis, & sunt illa accidentia dicit Ioannes, quæ Arist. in libris post appellauit uniuersalia. De primo unde dicit ipse longe differunt, aliqua alicui per se inesse, & eidem primo inesse, quia omne genus inest speciei, per se, non autem primo. Quia Arist. ut inquit Io. aliquid alicui, primo inest quia omne genus, inest speciei per se, non autem primo, quia Arist. ut inquit Ioannes, aliquid alicui primo inest, quod primo ei inest, & cum ipso conuertitur, & adequatum est, sed domini Ioannes ignorauit uiam dialecticam & etiam multi alij in hoc sunt decepti, quia non est uerum, quòd omne illud quod primo alicui inest, cum ipso etiam conuertatur, quia nos dicimus, genus proximum differre a genere remoto, quia genus proximum, primo inest speciei, remotum autem non; & tamen genus non conuertitur cum specie, non ergo uerum est, quòd omne quod primo alicui inest, etiam quòd cum ipso conuertatur, quare ut dixi decepti sunt isti, quia putauerunt, quòd nullum aliud alicui insit, & de ipso uniuersaliter, & primo dicatur, nisi id quod cum ipso conuertitur, ideo isti noluerunt animal uniuersaliter dici, & primo de ipso homine, & ut uerum est, dicere quòd prædicatum quod primo inest alicui & est secundi modi dicendi per se, quòd conuertitur cum ipso, si autem illud prædicatum sit primi modi, non est uerum, quòd autem Arist. hic loquatur de prædicato secundi modi patet, dicit enim ipsa conuerte, quare &c.

Addit aliud uerbum Arist. in tex. dicit enim Et eorum quæ sunt secundum accidens propriorum demonstrationum. Dicit Ioannes Grammaticus hic, quòd duplex est demonstratio, quædam & demonstratio proprie dicta, & est illa quando procedimus a causa proxima, in ipsum causatum, & ista ostendit accidentia quæ per se alicui insunt, per causam scilicet proximam, & ista est demonstratio simpliciter, & uera. Quare simpliciter & uera appellatur, & ista ostendit semper per se inherentiam ~~subiecti cum prædicato~~, ut quando demonstratur genus remotum de specie, per genus proximum, & ista demonstratione dicit Ioannes utuntur scientiæ, & ipsa aggenerat scientiam; demonstratio autem in primo dicta, est quæ uocatur demonstratio a signo, & ista est duplex; Bene aduertatis domini, ista ergo demonstratio a signo est duplex, sicut ipsum signum, est duplex, quoddam enim est, separabile ab eo cuius est signum, sicut signum aliquod est, separabile nec conuertitur cum eo cuius est signum, quia non sequitur hæc mollier pallet, ergo peperit, & ex hac demonstratione signi non aggeneratur scientia, sed potius coniectura quædam, & persuasio, & non facit scientiam ueram, quare non debet dici demonstratio sed potius ut dixi quædam persuasio & ostensio, eodem pacto etiam potest dici, hic interemit istum, ergo ei asfidet non autem uallet, econtra hic asfidet interrempto, ergo ipsum interemit. Alia autem est, demonstratio signi, quæ procedit, per signum, quod adequatur suo signo, & cum ipso conuertitur, & per huiusmodi signum fit demonstratio, qua utuntur scientiæ, exemplũ sicut Arist.

Arist. secundo cœli demonstrauit, quòd Luna est sphericæ figuræ, quia illuminationes cœli. In ipsa sunt orbiculares, & ita ipse Arist. demonstrauit, hoc a signo, quod conuertitur, cum signato, ualet enim, illuminationes Solis in ipsam sunt orbiculares, quia si essent rectæ figuræ uel planæ sicut alias ostendimus, in libro cœli cum ipsum exponeremus. Tunc una eius pars illuminaretur, quod tamen experimur alio modo esse, quòd ergo dicit. Eorum quæ sunt secundum accidens propriorũ demonstrationẽ &c. dicit Ioannes, intelligit Arist. non quamcunque demonstrationem, sed illam, quæ est proprie demonstratio, quæ ostendit, per se inherentiam prædicati, cum subiecto, quare &c. Auer. in com. quinto in expositione illius particule tex. *Si autem ista uia fuerit eadem*. Recitat Auer. tres opiniones de ista uia, Aliqui enim, ut Hippocrates dixit istam esse demonstrationem. Aliqui ut Plato dixere esse diuisionem. Aliqui ut Arist. dixerunt esse compositionem, & Domini uolui hæc dixisse, quia uidebimus, quomodo uerificatur dictum, Auer.

Textus sextus.

PRIMVM autem fortassis necessarium est diuidere in quo generum, & quid sit, dico autem utrum sit, aut qualitas, aut quantitas, aut etiam quoddam aliud diuisorum prædicamentorum, adhuc autem utrum eorum, quæ sunt in potentia, aut magis endelechia sit utrum enim non aliquid paruum.

Lectio decimaoctaua.

PRIMVM *autem necessarium &c.* Consequenter, posita difficultate in generali, quæ erat duplex, ut uidimus supra, nunc ponit difficultates, in speciali, scilicet ad quod nam genus prædicamenti reducatur substantia animæ, quomodo ergo in uestiganda erit substantia animæ & eius deffinitio an scilicet ut quantitas, sicut quidam antiquorum dixere, an ut qualitas sicut Hippocrates, & Galen. dixerunt. Dicebat enim Galen. animam esse temperaturam uel calorem innatum & Domini ne miremini de Galeno, quia ipse ignorauit principia philosophiæ naturalis nec meo iudicio potest aliquo modo defendi, non.n. possumus dicere ullo pacto animam esse temperaturam. Quia temperatura est quoddam accidens, accidens autem nec est, nec potest esse principium substantiæ, quare &c. nec etiam calor naturalis potest esse anima, propter eandem rationem & etiam ob aliam. Quia si uellemus dicere illam esse substantiam, quia calor naturalis est corpus, & etiam est cum corpore, ergo duo corpora essent, in eodem loco, simul, quod est contra philosophos quare &c.

Aliqui dixerunt animam esse nec qualitatem, nec quantitatem, sed dicebant, quòd est relatio & respectus quidam, sed etiam ista opinio facile confutari potest &c. Alij & rectius sicut Arist. & omnes peripatetici dixerunt, animam esse in prædicamento substantiæ, & esse substantiam, ideo hæc opinio est difficilis scitu, ob uarias expositiones, & postquam dicit Arist. erit inuentum in quo prædicamento sit anima ipsa, ut in prædicamento substantiæ, sicut ostendimus, Erit. Secunda difficultas, inueniendi genus proximum, an scilicet anima sit ens in potentia, uel ens in actu. Ioan. Gram. exponens hæc uerba dicit, quòd Arist. uoluit quærere nunquid substantia animæ sit corporea uel incorporea, quia cum inuenerimus, ipsam esse substantiam, quæremus an sit substantia corporea, uel incorporea, & dicit, Ioannes, quòd Arist. inscribit nobis corporeum, & incorporeum per ens in potentia, uel actu, & per ens in potentia intelligit substantiam corpoream. Quia omne corpus est ens in potentia, cum enim corpus dicit Ioannes, sit aut eternum uel corruptibile. Sed si eternum est, in potentia est aliquo modo. Quia si est in una parte mundi, est in potentia ad aliam partem mundi, si autem corpus sit corruptibile, est in potentia in omnibus modis. Est enim in potentia ad quantitatem, in potentia, ad generationem, in potentia, ad alterationem, in potentia ad motum localem, ideo dicit Ioannes, Arist. circunscribit nobis substantiam corpoream, per ens in potentia, circunscribit autem substantiam incorpoream per ens in actu, quia substantia incorporea est forma, & omnis forma est actus, quare &c.

Simplicius autem aliter exponit hæc uerba dicens, quòd Arist. per hæc uerba intelligit, quòd quærendum erit, an anima sit materia, uel compositum, uel forma, & per ens in potentia intelligit materiam & compositum, per actum autem intelligit formam, ita quòd talis erit sensus, postquam inuenerimus animam esse substantiam erit difficultas, an erit substantia, ut materia, uel ut compositum, uel ut forma, & ista est, uerior expositio, quàm sit illa Ioannis Gram. Iudicio meo, quæ expositio est, ipsius Simplicij, & etiam Themistij, quare &c.

Sed tu dices, Cur Arist. in textu, & ista fuit dubitatio Simplicij cum dixerit in ablatiuo, scilicet in potentia, non etiam dixerit in ablatiuo, in actu, sed dixerit actus quidam, uel sicut dixit in recto actus, non etiam dixit in recto, scilicet potentia. Quæritur causa huius quare &c. Secundo dubitatur. Quia Arist. ita limitate loquitur dicens, actus quidam, quare non simpliciter dixerit actus absolute, non addendo uerbum illud quidam, quare &c.

Tertio quæritur quid dicendum huic quæstioni

ni, quam proponit, Arist. scilicet quærendo an anima sit in potentia, uel actus quidam. De primo dicit Simplicius, quòd Arist. ideo posuit unum membrum in obliquo, aliud in recto, ut comprehenderet compositum, quia modo est potentia, forma est actus, compositum autem non est pura potentia nec purus actus, sed compositum, ex actu & potentia, ideo appellatur in potentia, ut ergo sub illo primo membro comprehenderet compositum, dixit in potentia, quare & cetera.

De secundo, cur scilicet ita limitate loquitur. Arist. dicendo actus quidam, & non absolute actus, respondent Ioan. & Simplicius, quòd addidir quidam Arist. quia anima non est, simpliciter actus, sed est actus quidam, idest actus permixtus potentiæ. Quia anima aliquando intelligit aliquando uero non, quia intelligit cum phantasia, & ita cum non habet phantasiam, seu phantasma nouum, nihil noui intelligit, & tunc est in potentia, ad intelligendum, cum non intelligit. Ideo Arist. dixit, actus quidam, non autem simpliciter actus, dicunt isti, quare &c.

De tertio cum quæris quid nam sit dicendum quæsito ipsius Arist. an scilicet anima sit in potentia uel sit actus. Respondit Simplicius, quòd debemus dicere, quòd anima neque est forma, neque materia, neque compositum, sed q est, quid medium, inter formam & compositum, quia in anima non est natura, quia natura est principium motus, passiuum dico, anima autem est principium motus actiuum, quare &c.

Sed Domini iudicio meo longe errat Simplicius, quia putauit, quòd Arist. nominæ naturæ solum uoluerit. principium passiuum motus intelligere, sed hoc non est uerum. Quia Arist. uoluit etiam naturam esse principium actiuum motus, & illa est, & dicitur uerius natura, neque uerum est, quòd Arist. ponat, animam esse medium inter formam, & compositũ, quare &c. O' quid ergo dicis, O' dico, quòd Arist. comprehendit animam sub actu, quia posterius Aristoteles concludet animam esse actum, & cum duplex sit actus, primus, scilicet & secundus, concludet animam esse actum primum, & Arist. in tex. usus est, hoc uerbo. *endelechia*, aliqui dicunt quòd Arist. accipit endelechiam, idest substantiam seipsam perpetuo mouentem, sed hoc uon est ita accipiendum, & exponendum, aliqui exposuerunt endelechiam non quòd sit perpetuo se ipsam mouens, sed quia anima est forma, & est causa, tum causalitaris, tum perfectionis, a forma enim accipimus perfectionem, & forma est, causa continentiæ, quia forma est, qua unimur, & continemur. Aliqui exposuerunt endelechiã, id est, perfectum habitum, uel perfecti habitus. Nos autem proprie exponimus, Endelechiam, idest actum &c.

Textus septimus.

CONSIDERANDUM autem & si partibilis sit, aut impartibilis, & utrum sit similis speciei omnis anima aut non, si autem non sit similis speciei, utrum specie differant aut genere. Nunc quidem enim dicentes & quærentes de anima, de humana uidentur solum intendere.

Considerandum autem &c. Hic Aristoteles tradit aliam diffi[illegible]em specialem in inuenienda ipsa deffinitione animæ, quæ est nunquid anima sit diuisibilis, uel indiuisibilis, & si sit diuisibilis, an sit diuisibilis in partes eiusdem speciei, uel in partem diuersi speciei tantum, uel etiam generis. Et sciatis Domini, quòd tripliciter exponitur ista quæstio Primo ab Alexandro, qui dicit, quòd iste est sensus istius quæstionis. Quòd scilicet quæritur an anima sit indiuisibilis, idest simpliciter carens multitudine potentiarum, & sit multiplicata an diuisibilis & sit multiplicata per potentias, & ideo Arist. hoc quæsiuit dicit ipse Alexander, quia Democritus opinatus est, quòd anima ipsa sit simplex multiplicata tamen potentiis. Et ita ipse non distinxit animam a potentiis, ideo est sensus, nunquid anima sit simplex & multiplicata, an multiplicata potentiis, an illæ potentiæ sint eiusdem speciei, uel sola specie differunt, uel etiã genere, hæc est expositio Alexan. Secunda expositio horum uerborum est, quòd iste est sensus, quòd quærendum est, utrũ anima sit diuisibilis, an non, Hoc est, nunquid ex singulo uiuente sit una anima tantum, an sint plures animæ, & si in aliquo sint plures, an specie seiungantur tantum, an etiam genere seiungantur etiam, ratio huius quæstionis est propter Platonem, quia Plato plures posuit animas in homine, Posuit enim cõcupiscentiam, idest uegetatiuam: cuius epar dicit esse sedem, posuit irascibilem in corde, Posuit rationalem in cerebro, quia ergo Plato posuit tres animas in homine, ideo rationaliter quærit Arist. an in homine sit tantum una anima an plures. Sed quid dicendum, dicit Ioannes, sunt ne plures animæ distinctæ in homine, aut non, dicit ipse, quòd uerum est, quòd in homine sunt tres animæ distinctæ, scilicet uegetatiua. sensitiua, & intellectiua, sed Domini sciatis, quòd solus inter peripateticos Ioannes Grammaticus posuit tres animas distinctas numero in homine, quia alij ponunt solum duas, scilicet sensitiuam, & intellectiuam uegetatiuam uero ponunt, coniunctam cum sensitiua ipsa, quare &c. Theologi autem tantum unam animam ponunt, scilicet rationalem &c.

Tertius sensus uerborum Arist. magis proprius est, quid quærendum est, nunquid anima sit diuisibilis, aut indiuisibilis, hoc est, Nunquid om-

nium uiuentium ſit una anima, an plures, ita quòd quilibet uiuens habeat propriam animam, & ſi plures, nunquid ſola ſpecie diſtinctæ aut diſtinctæ ſpecie, & genere, & hic ſenſus eſt, magis cõformis uerbis Ariſt. Cauſa autem huius dubitationis eſt, quia aliqui differentes de anima, dixerunt, unam animam eſſe communem omnibus uiuentibus &c. Sed hic ſunt differentes. Primò ſuper quartum textum ubi Ariſt. dicit hanc ſcientiam de anima eſſe difficilimam, ſed ſuper his uerbis dubitatur, quia omnis difficultas, in actione prouenit ex reſiſtentia paſsi, omnis autem reſiſtentia prouenit ex contrarietate, omne enim quod caret contrarietate caret etiam reſiſtentia, & quod caret reſiſtentia caret, contrarietate etiam. Sed anima ſibi ipſi non contrariatur nihil enim ſibi ipſi contrariatur, ergo anima non habet reſiſtentiam, neque etiam contrarietatem, ergo nec etiã habet difficultatẽ, quia difficultas, prouenit merito reſiſtentiæ, quare &c. Secundo dubitatur, quia ſunt quam plura alia, quæ ſunt difficilioris cognitionis, quàm ſit anima ipſa, eſt enim materia prima. Eſt motus tempus, Vacuum, & infinitum, & hoc patet, quia unumquodque facilius apprehenditur quod magis eſt actu ens, materia autem prima non eſt, actu ens, ſed in potentia pura, ergo eſt difficilime, cognitionis, tum etiam dicebat Auerroes uacuum & infinitum. ſunt difficilimæ cognitionis, quare &c.

Ad primum, Dico Domini cum dicitis, Omnis difficultas erit, ex reſiſtentia. Verum eſt, anima autem non reſiſtit ſibi, falſum eſt, ergo &c. & non miremini de hoc quod dixi, quòd ſcilicet anima ſibi ipſi non reſiſtat, quia duplex eſt reſiſtẽtia, & contrarietas, poſitiua, & priuatiua, cum ergo dicis anima non ſibi reſiſtit, quia anima ipſa eſt in diſpoſita ad recipiendum ſui notitiam, & ſibi ipſi, ſic priuatiuæ reſiſtit, & quod eſt, indiſpoſita. Dicetis uos, ſcilicet quia cum notitia noſtra ſit a ſenſu, & habeat maximam, colligentiam cum ſenſu, & ipſa anima cũ non ſubiiciatur ſenſui, ideo ſibi ipſi in cognitione priuatiue reſiſtit, ſcilicet ob indiſpoſitiones ſenſus, quia ſcilicet ipſam obtenebrant ſicut aer obſcurus, & caliginoſus priuatiuæ reſiſtit illuminationi ipſius ſolis, itaque ergo anima eſt, indiſpoſita ad recipiendum intellectionem ſui ipſius, quia oportet, quòd ſui notitia ſit a ſenſu, cum autem illa quæ non cadunt ſub ſenſu, cum maxima difficultate cognoſcuntur, ipſa autem anima non ſubiicitur ipſi ſenſui, ideo eſt difficillima cognitu, & maxime anima intellectiua, quia aliæ animæ aliquo modo cadunt ſub ſenſu. Anima autem intellectiua, ex in proportione quadam ſue intellectionis ad ſe ipſam, quia ipſa intelligit cum ſenſu, ipſa autem non cadit ſub ſenſu, ideo non facile ipſam apprehendimus, & eſt ſicut in naturalibus, imaginamur unum ſubiectum priuatum omni forma, capax tamen, omnium formarum, ita de anima rationali imaginamur ipſam priuatam omni intellectione, capax tamen omnium intellectionum, & primo eſt, tanquam tabula raſa in qua nihil eſt depictum.

Quod addis ſecundo, quia materia prima & reliqua ſunt difficilime cognitionis. Dico quòd difficilioris apprehenſionis eſt anima ipſa, quare &c. quod dicimus, de materia prima, quia eſt pura potentia, dico quòd materia prima cedit aliquo modo, mediante tranſmutatione, ſcilicet ipſa ſubſtantiali, conſideratur enim a philoſopho prima materia, ut ſubiicitur naturali tranſmutationi, anima autem non eſt quare &c.

Similiter de infinito, uacuo, & motu, Dico, quòd iſta cadunt aliquo modo ſub ſenſu, tempus enim nos appellamus fluxum cœleſte, ſcilicet motum præteritum, & futurum, illum fluxum nos appellamus, tempus, ſicut etiam motus horologii pulueris eſt nobis tẽpus, ſcilicet motus pulueris præteritus & futurus, ille fluxus illius horologij eſt nobis determinatum tempus, licet non ſit proprie, quia proprie tempus eſt fluxus cœleſtis, ſimiliter uacuum & infinitum aliquo modo cadunt ſub ſenſu, quia uacuum eſt priuatio quædam, & ita illa priuatio, ratione priuationis eſt ſub ſenſu, cognoſcimus enim priuationem ſub habitum, quare ergo ſi iſta difficilima ſunt, quia aliquo modo cadunt ſub ſenſu, ſequitur animam ipſam eſſe difficiliorem, & difficilimam, quia nullo modo cadit, ſub aliquo ſenſu, quare &c.

Lectio decimanona.

SECVNDA dubitatio in textu & in quarto, & in quinto. Et non parua. Quia Ariſt. facit nobis deffinitionem, in quærendo uiam deffinitionis animæ, tum generalem, tum ſpecialem, quia neſcimus, An una ſit uia, & communis cum illa omnium aliarum rerum. An plures uiæ ad inquirendum deffinitionem ipſius animæ & ſi una quæ nam ſit illa. An ſcilicet diuiſio, an demonſtratio, an compoſitio, ideo primo circa hæc dica dubitatur. Quia uana uidetur hæc dubitatio Ariſt. uidelicet an una ſit hæc generalis uia, An plures uiæ inueniendi, ſcilicet deffinitionem animæ, quia ſecundo poſt, & ſecundo metaphyſiæ 15. præciſe dicit, Ariſt. hæc uerba uanum eſt, ſimul quærere ſcientiam, & modum ſciendi, & omnes expoſitores (& recte) exponunt per modũ ſciendi logicam ipſam, quare &c.

Secundo dubitatur ſi eſt una uia, quærendum eſt, nunquid ſit diuiſio uel compoſitio, uel demonſtratio, & Auer. in commento dicit per compoſitionem Ariſtotelem inuenire definitionem animæ &c. Sed contra, quia non oportet hoc

hic quærere cum in secundo post dixerit Arist. inuentionem definitionis esse per resolutionem, hocmodo dicit ipse Arist. quia si uolumus aliquid definire, quæremus indiuidua quamplura similia diffinibilia. Et postea quamplura dissimilia prioribus, similia autem inter se ut puta si quæramus definitionem. Magnanimi, accipiemus tria uidelicet indiuidua, scilicet Herculem, Aiacem, & Achillem, isti sunt tres magnanimi, & inueniemus quòd Hercules fuit magnanimus, quia non tulit iniurias, sed eas repulit, similiter Aiax & Achilles fuere magnanimi, non ideo quia non tullerunt iniurias, easque repulerunt, sed potius quia tollerarunt, quia scilicet & in prosperis & in aduersis semper equo animo sunt. Et tunc si ista non conueniunt in magnanimitate dicimus, quòd non uniuoca sed equiuoca sit definitio ipsius, ergo &c. si autem accipiamus plura indiuidua habentia eandem definitionem, tunc illud nomen est uniuocum, & sic inuenitur illa definitio ut puta quia Socrates est, animal rationale, & homo & Plato similiter & sumo deinde alia duo; conuenire in animalitate, rationalitate, & etiam homines, sic dico quòd hoc nomen homo uniuocum est, & si illa est, eorum definitio ut puta animal rationale, & tamen inueniendo hocmodo definitionem, non utimur diuisione, nec compositione, nec demonstratione, ergo est alia uia, quam hic non assignauit, Aristoteles, ergo Aristoteles hic Mancus & insufficiens est, quare &c. Tum etiam quia Auer. tertio physicorum duodecimo, & quarto phys. secundo dicit, quòd diuisio compositio & demonstratio, simul omnes inueniunt definitionem non potest autem una tantum, per se & seorsum ergo non est tantum diuisio, nec tantum compositio, nec tantum demonstratio, uia sufficiens ad inueniendum definitionem, quare &c.

Dico ad hæc & primo ad primum, quòd scilicet reuera si loquamur de scientia ista, ut sequitur artem logicæ, sic dico quòd una est hic quæstio, quæ in locis citatis est soluta, itaque si consideretur ordine doctrinæ, ut scilicet ista scientia sequitur artem logicæ, sic difficultas ipsa soluta est, sed si loquamur de ista scientia in se, absolute considerata, non autem ut sequitur artem logicæ, sic dico, quòd ista quæstio habet, locum perscrutabilem hic, quare &c.

Ad secundum quod dicis, quia alia uia tradita est, secundo post. & 6. Topi. inueniendi definitionem ipsam, quæ est uia resolutiua, sumendo scilicet plura indiuidua similia. Dico quòd reuera, ista est ueritas quòd ita est, quòd ibi Arist. secundo post. istam uiam resolutiuam tradit, sed quid dicit Auer. quòd uia inueniendi definitionem apud Aristotelem est compositio. Dico, quòd Auerroes usus est duplici uia in secundo post. scilicet resolutiua, & compositiua, resolutiuam autem diximus resoluendo rationem plurium indiuiduorum, & quia hæc non est ultima, ideo eam tacuit Auer. Est alia uia compositiua, quia cum uolumus definire tunc accipimus genus generalissimum, & diuidendo deuenimus usque ad differentias ultimas, & hæc uia constat ex diuisione, demonstratione, & compositione, quia his omnibus inuestigamus ordine quoddam quæ sunt ponenda in definitione ita quòd si non erit ordinata, tunc non est definitio bona, quia debent ordinari ipsa prædicamenta ordine naturæ, & ita ordinatæ procedere & sic primo diuisione procedimus, diuidendo singula genera, & differentias, deinde demonstratione procedimus, quia probamus aliquid in esse definito, ut genus, aliquid autem nullomodo inesse, ut primo scilicet diuidamus substantiam in corporeum, & in incorporeum si debet fieri definitio, oportet, ut demonstremus quæ nam conueniant ipsi definito, & quæ non, ut puta, quòd corporeum, incorporeum autem minime, licet hoc non demonstretur uera demonstratione. Post hæc etiam nos utimur, siue debemus uti compositione, quia per compositionem habuimus quòd homo est, substantia corporea & animata, non autem incorporea & inanimata. Compositione postea, hæc omnia colligimus, & simul componimus, sicut si demonstremus quòd homo est, animal rationale, uel quòd homo est substantia animata sensitiua rationalis, quia ambæ hæ, sunt primæ definitiones ipsius hominis, utraque enim est perfecta definitio primo enim diuidimus substantiam per corpoream & incorpoream, postea demonstramus, quod in corporea non conuenit ipsi homini, sed corporea, postea diuidimus corpoream, in animatam, & in inanimatam, hocmodo igitur inuestigamus definitionem rei, quare &c.

Arist. autem reprobauit Hippocratem, qui dicebat solam demonstrationem sufficere ad inueniendam definitionem, quod tamen Aristoteles negat expresse dicens, solam demonstrationem, non sufficere ad inueniendam definitionem quia petit principium, quia demonstrationis principium, & medius terminus debet esse definitio, itaque ergo sumemus, in demonstratione, definitionem, non ergo sola demonstratio conuenit, quare &c. Ergo in definitione ista tria requiruntur, scilicet diuisio: demonstratio, & ipsa compositio &c. Si tu dicas, ò quomodo usus est, his tribus Arist. cum Auer. dicat ipsum, Arist. usum esse sola compositione. Dico non dixit hoc Auer. quia sola compositio sufficiat, sed dixit quia est ultima, & ultimus terminus, & ultima methodus, in definitione autem supponit diuisionem, & demonstrationem, itaque est hoc quod uoluit dicere Auerroes, & ita patet, quòd nulla harum seorsum, & per se, sufficit, Et pro-

bauimus, quòd non demonstratio sola. Quia ipsa petit principium, neque etiam diuisio sola sufficit. Quia diuisio petit etiam principium, cum dicit, quòd homo est rationalis, & hoc non probat, & ita supponit quod est probandum, quare, & tunc ad argumentum, cum dicis quòd Arist. utitur uia in qua non est diuisio, nec compositio nec demonstratio. Dico quòd illa uia est resolutina, de qua uia non intendit hic loqui Arist. quia ista non est multum usitata quare &c.

Est tertia dubitatio in tex. 6. quia Arist. dicit quòd est difficultas maxima. An anima sit substantia, an qualitas, an quantitas, an relatio, secundo an sit ens, in potentia, uel sit actus, & primo contra hoc est, difficultas, quia Aristoteles ponit genus generalissimum substantiæ, substantiam, & tamen Auer. in hoc taxat Porph. in suis prædicabilibus, ergo si unus accusatur ab Auer. puta ipse Porph. ergo & alius debet accusari, scilicet ipse Arist. Domini non uidetur ratio diuersitatis, quare &c. Dico quòd rectè ipse Auer. taxat ipsum Porph. quia est, genus generalissimum substantiæ apud Auer. scilicet tum analogum, tum uniuocum, analogum substantiæ diuiditur in materiam, formam, & compositum, compositum uero diuiditur in eternum, & in corruptibile, compositum generabile, & corruptibile. secunda est scilicet mixtum, perfectum & imperfectum, perfectum, animatum, & inanimatum &c. Sed tu dices eodem modo dicit Porph. quare. Dico quòd non est, uerum, quia dicit Porph. quòd decem prædicamenta sunt prima genera, id est prima principia, uel primi conceptus, qui simplices sunt, neque reducuntur in unum, & cum isti sint decem primi conceptus, si intelligit uniuocum, iam collegit cum his substantiam, ergo posuit genus generalissimum uniuocum, si autem intelligit analogum, iam reprehendendus est Porph. quia dicit, quòd isti conceptus non reducuntur ad aliquod genus prius. Quia est ens, ante ista decem genera, quæ ponit Porph. quare &c. Sed tunc est, quarta dubitatio quæ difficilis est, quia dicit Arist. in textu cum inuenerimus, quòd anima est substantia, erit tunc dubitatio, uel sit potentia, uel sit actus, est igitur difficultas quid intelligebat Arist. per id quod dicit in potentia uel actus, Est opinio Io. Grammatici, quam supra diximus, qui uult quòd Arist. per ens in potentia intelligat corporeum per actum uero incorporeum, & ratio huius quæstionis est, quia aliqui antiquorum posuerunt, animam corpoream, & corpus esse, sed ut dixi uobis tunc, ista opinio falsa est. Quia corporeum & incorporeum, non sunt differentiæ omnis prædicamenti, nec omne prædicamentum diuiditur incorporeum, & in incorporeum, & tamen Arist. & Auer. dicunt per actum, & potentiam, omne prædicamentum diuidi. Dicit enim Arist. 12. metaph. 22. 23. 24. Concludit ibi Arist. quòd actus & potentia diuidunt omne genus, corporeum autem, & incorporeum, non diuidunt qualitatem nec etiam relationem, quare &c. Secundo & fortius, non potest Ioannes euitare hoc argumentum, quia ex ordine Arist. inueniemus, quòd postquam ipse inuenit animam esse substantiam, diuidit ipsam, dicens sic, quædam est, ut materia, quædam est, ut forma postea ipsam diuidit, in actum primum, & secundum, & inuenit ipsam esse actum primum, ex ordine, ergo Arist. patet quòd per potentiam & actum non intelligit corporeum & incorporeum, quare Ioannes Grammaticus male exponit hæc uerba, ut etiam supra diximus, quare &c.

Est secundus modus dicendi qui est, ipsorum scotistarum dicentium, quòd actus & potentia duplex est, scilicet potentia substantiua, & actus substantiuus. Alia est potentia obiectiua, & actus entitatiuus & isti exponunt, per actum entitatiuum existentem actum, qui est actus inter suas causas, per potentiam autem, exponunt potentiam obiectiuam, & ista est quædam relatio quæ potest esse obiectum agentis producentis, & hæc potentia obiectiua est relatio positionis, quæ fundatur, in esse cognito illius & ita Antixp̃s est, possibilis quia est in esse cognito diuino, quare &c. Deinde habent res esse a uoluntate diuina, & sic aliud est esse futurum, & esse possibile. Quia alterum pendet ab esse cognito, aliud uero a uoluntate diuina, intelligunt ergo isti per actũ & potentiam, actum entitatiuum, & potentiam obiectiuam & ista circuunt omne prædicamentum, dicunt isti, quia uel res existat, uel non existat, est in suo prædicamento ut puta Antixp̃s est in suo prædicamento & in prædicamento substantiæ, quia prædicamentum ipsum abstrahit ab existentia, & multa sunt in prædicamento substantiæ, quæ nunquam erunt, multa enim possibilia sunt, quæ nunquam erunt, & sic ista sunt maxime opposita, actus, scilicet, & potentia, scilicet existere, uel non existere, & etiam dicunt ipsi Thomistæ, & tunc de anima hoc quæretur hic, scilicet an existat, uel non existat, quare &c.

Sed ista opinio nulla est, quia Arist. dicit, primo debemus quærere genus, secundo an sit actus uel potentia, si tu exponis an existat, uel non existat, ut dicunt isti, tunc noua esset quæstio, quare &c. Secundo & fortius, quia sibi ipsi implicat hæc expositio. Quia sit prædicamentum abstrahit ab existentia, consequenter etiam & definitio, quare &c. Ad quid ergo nos uolentes quærere definitionem ipsius animæ, quærimus an existat uel ne. Tertio quia ista opinio supponit unum quod tamen multi negant, supponit enim quòd res in potentia, ut Socrates futurus sit in prædicamento substantiæ, quod tamen multi negant ut dixi. Quia de non ente non est, scientia,

ſcientiā, & ſi traditur domini ſcientia de rebus non exiſtentibus, ſemper accipiuntur cum ſubſtantia ſubiecti, ſupponendo, ſcilicet quòd illa ſint; ideo in libris met. non accipimus illas proportiones, niſi cum conditione, quòd ſcilicet ille res ſint, quare &c. Quarto repugnat uerbis, Ariſt. hæc expoſitio, Quia Ariſt. 12. met. poſtquam declarauit, q actus & potentia ſunt differentiæ cuiuslibet prædicamenti. Declarat quod ham intelligat, per iſta. Et dicit, quòd per potentiam, intelligit materiam, & compoſitum, per actum, intelligit formam, quare &c.

Ideo eſt ſecundus modus dicendi, Diui Thomæ, a quo alij acceperunt, ſicut reſpondet ille Gaietanus prima parte ſummæ, quæſt. 1. artic. 2. uel tertio, qui dicunt, quòd duplex eſt eſſe, ſcilicet eſſentiæ. Et eſſe exiſtentiæ, & tunc omnis res quæ ponitur in prædicamento, componitur ex eſſe eſſentiæ, & eſſe exiſtentiæ, & ideo quia Deus uniuerſaliter non componitur. Ideo non eſt in prædicamento. Sed contra iſtum modum dicendi, ſunt argumenta, iam facta, & quia Ariſt. poſtquam inuenit animam eſſe ſubſtautiam, non quærit hoc Ariſt: ſit ut materia & ut compoſitum. An ut forma, nec etiam hæc quæſtio eſt, hic ad propoſitum, quare &c.

Eſt & alius modus dicendi, qui eſt, Sueſſani, quòd per potentiam, intelligit Ariſt. genus generaliſsimum, & per actum ultimam differentiam & ſic quæritur. An anima ſit, id eſt, ſub quo genere ſit, an ſit actus; id eſt, ſub qua differentia &c. Sed hæc expoſitio neque etiam poteſt ſtare. Quia Ariſt. primo quærit ſub quo nam generaliſſimo ſit anima, deinde quærit, an ſit actus, an potentia, quare ſecundum iſtam expoſitionem bis quæritur generaliſſimum, & ſic committeretur nugatio, quare &c. Secundo dicit Sueſſanus, quòd prius inuenimus quòd anima ſit ſubſtantia contra antiquos, ſecundo quærimus an ſit potentia uel actus, id eſt, uel ſit corporea, uel incorporea; quia iſte ſunt primæ differentiæ ipſius ſubſtantiæ &c. Sed Domini iſte uir non legit penſiculatim, uerba Ariſt. Quia dicit, quòd actus & potentia ſunt differentiæ cuiuslibet prædicamenti. Corporeum autem, & incorporeum ſunt tantum differentiæ ipſius ſubſtantiæ, quod eſt falſum &c. Ideo dicetis domini ex Simplicio, & Themiſtio, quòd Ariſt. per potentiam intelligit materiam, & compoſitum, per actum autem, intelligit formam, & ita eſt, proceſſus in uerbis Ariſt. Quia poſtquam inuenit animam eſſe ſubſtantiam, quærit, an ſit materia, an compoſitum, an ſit forma. Et demum ponit ipſam eſſe formam, & actum, & cum duplex ſit actus, ponit ipſam eſſe actum primum, & actus, & potentia ſunt principia omnium prædicamentorum. Quia materia & forma ſunt principia prædicamenti ſubſtantiæ. Et ita ſunt in prædicamento ſubſtantiæ, & in prædicamento quantitatis, potentia enim quantitatis, eſt materia ſuſceptiua quantitatis, ideſt ſubiectum quantitatis, forma autem eſt ipſa quantitas, ita in prædicamento qualitatis, quia qualitas eſt forma, potentia autem eſt ſubiectum qualitatis, id eſt, materia ſuſceptiua qualitatis, & ideo bene dicit Auer. duodecimo metaphyſicæ com. 24. ubi dicit, quòd eadem eſt materia omnium prædicamentorum, proportione tamen quadam. Quia materia quantitatis & aliorum, non eſt ſubſtantia ſic conſiderata, ſed conſideratur alio modo, ut ſcilicet eſt ſubiectum, &c.

Lectio uigeſima.

Dicebamus quonam pacto eſſent intelligenda illa uerba Ariſt. in tex. An. ſ. anima ſit potentia an ſit actus, quam dicebat Auer. eſſe diuiſionem omnium prædicamentorum, & dixi reſolute per illa uerba Ariſtotelem intelligere materiam, compoſitum, & formam, & ita hæc diuiſio eſt communis omnibus prædicamentis, omnia enim prædicamenta, ſicut dixi, diuiduntur per formam, & materiam, quare igitur recte dixit Ariſt. hæc eſſe principia omnium prædicamentorum duodecimo metaphyſicæ octauo, uigeſimoquarto, & uigeſimooctauo, ſeu uigeſimoquinto & hoc patet ex Themiſtio, qui appellat primam ſuperficiem reſpectu caloris. Et ſicut ſemen uel ouum reſpectu animalis &c. Etiam patet, ex proceſſu Ariſt. quia cum ipſe inuenerit animam quæret, An ſit ſubſtantia, ſicuti materia, an ſicuti forma, an ſicuti compoſitum, & accipit animam eſſe formam, & actum, poſtea diuidet actum, in primum & ſecundum, & inuenit animam eſſe actum primum, & ſic dico materiam & formam eſſe principia omnium prædicamentorum. Et pono exemplum in quantitate, & qualitate, quia ſicut potentia receptiua formæ, & ſubſtantiæ, eſt ſubſtantia, ſeu ſunt principia ſubſtantiæ, ſic potentia receptiua quantitatis, & qualitatis, ſunt etiam illorum principia, diuiditur enim prædicamentum quantitatis, & qualitatis, quia quantitas quædam eſt forma, id eſt ſe habet ſicuti forma, quædam uero ſe habet ſicut materia, & hoc modo dicit Auer. duodecimo met. uigeſimoquarto, ſcilicet quòd eadem ſunt principia omnium prædicamentorum, proportione quadam, quia materia prædicamenti qualitatis, non eſt ſubſtantia, ſed eſt potius qualitas, attamen in illo prædicamento ſe habet tanquam materia & ſicut ſe habet materia quæ eſt ſubſtantia in prædicamento ſubſtantiæ &c.

Sed hic eſt dubitatio, quia ex his ſequitur, quòd ſicut in prædicamento ſubſtantiæ ſunt compoſita, ut compoſita ex materia, & forma, ita erit

in omni prædicamento, scilicet tum qualitatis, & quantitatis &c. quia etiam ipsa diuiduntur, per materiam, & formam sicut ipsum prædicamentum substantiæ, hoc tamen est, contra ipsum Aristotelem septimo metaphysicæ, qui dicit quòd in his prædicamentis ponunrur rantum formæ simplices, non autem compositæ, quare &c.

Secundo dubitatur, quia hæc expositio ponit substantiam in omnibus prædicamentis, & in prædicamento quanritatis, & qualitatis, quare sequitur quòd prædicamenta erunt permixta, non autem impermixta, ut uult Arist. primo post. consequentia manifesta est, antecedens probatur, quia ponit materiam & formam, quæ sunt principia substantiæ in omnibus reliquis prædicamentis, non ergo prædicamenta sunt impermixta, ut uult ipse Arist. ut dixi primo post. quare &c.

Tertio arguitur, quia si actus, & potentia, sunt principia omnium prædicamentorum. Tunc cōstitueut omnia prædicamenta, non ergo ipsa diuident, quid ergo dicit Auer. quòd iste sunt differentiæ, ualde oppositæ, quare &c.

Dico ad primum, ut dixi quòd hæc est mens ipsius Arist. duodecimo metaphysicæ octauo, ꝙ per ens in potentia intelligit materiam, & compositum per actum uero, formam, & hæc sunt in quocunque prædicamento proportione quadam & analogia, & cum argumentatur, primo quòd sequeretur quòd tunc materia & forma ponerentur in prædicamento qualitatis, & sic in eo ponerentur composita & substantia composita. Dico, quòd uerum est, quòd in prædicamento quantitatis &c. In recta linea ponuntur composita, & ita deberet poni concretum in ipsis, non autem abstractum nomen, quare &c. O tu dices Arist. in libris prædicamentorum loquutus est, secundum famositatem, & accipit ibi Arist. prædicamenta ipsa ab Archita Tarentino, & ita dixit omnia in prædicamentis famosæ, non autem quòd ita sint, nec etiam secundum mentem propriam, quare &c. Sed dicis, quia ex quinro metaphysicæ, decimoquarto ens per accidens excluditur a prædicamentis. Dico quòd ens compositum ex materia, & forma, & substantia composita perfecte & etiam ex quantitate, faciunt quoddam compositum per accidens, & ut sic concedo, quòd substantia composita perfecta cum quātitate excluditur a prædicamentis, sed materia ut est in potentia ad formam quantitatis, & ad quantitatem ipsam, scilicet ut respicit quantitatem, sic materia potest esse subiectum quantitatis, ordine tamen seruato, & tale compositum est in recta linea prædicamentali, materia autem & forma sunt a latere, quare &c.

Ad secundum quod dicis, si prædicamentum quantitatis constituitur ex materia, & forma, tanquam ex suis principiis, & ex quantitate tunc sequetur quòd substantia erit in omnibus prædicamentis, & sic prædicamenta erunt permixta quod abhoret Arist. in primo post. quare &c.

Dico quòd si consideretur materia in potentia, ut scilicet est potentia, & capax substantiæ & recipiens substantiam, sic dico, quòd est, in prædicamento substantiæ, si autem consideretur materia ut est, in potentia quantitatis, ut scilicet est capax quantitatis, & ut respicit quantitatem, sic dico, quòd est in prædicamento quantitatis, sic etiam de qualitate & aliis prædicamentis dicendum est, quia materia qua est, in potentia ad accidentia sic habet modum accidentis, non autem substantiæ, & ita non sequitur quòd prædicamenta sint permixta, secundum unam rationem formalem, sed secundum diuersas rationes formales, & hoc non inconuenit nec etiam hoc negaret Arist. quare &c.

Quod dicis tertio, quia si actus, & potentia sunt principia omnium prædicamentorum, non ergo ipsa diuidunt, quid ergo dicit Auer. quòd istæ sunt differentiæ ualdæ oppositæ. Dico quòd uerum est, quòd actus & potentia sunt principia omnium prædicamentorum, & per actum & potentiam intelligo materiam & formam, quæ sunt principia intrinseca omnium prædicamentorum, & cum dicis, contra, quia Auer. Dicit, quòd istæ sunt differentiæ ualde oppositæ, ergo non sunt principia, quare &c. Dico quòd Auer. improprie loquitur, & hic per differentias intelligit principia intrinseca, ex quibus componuntur omnia prædicamenta, improprie ergo appellauit istas esse differentias, quia scilicet ponuntur a latere omnium prædicamentorum, & omnia prædicamenta diuiduntur per istas, ideo &c.

Nec ad hoc obstat, quod dicit Auer. tertio physicorum quinto, quòd ens actu, diuiditur in decem prædicamenta, ergo decem prædicamenta possunt diuidi per actum, & potentiam Auer. in tertio physicorum per actu ens, non intelligit formam, ut intelligit hic, sed intelligit compositum, quòd scilicet componitur ex materia, & forma, quia in recta linea prædicamentali non sunt nisi composita, ex materia, & forma, a latere uero sunt ipsa principia, scilicet actus, & potentia, ut principia ipsorum, sed tu dicis, ergo ut sic componunt compositum, non sunt differentiæ ualde oppositæ ut dicit Auer. Dico quòd Auer. non dicit quòd sint differentiæ maxime oppositæ, sed dicit ualde oppositæ, quia triplici oppositione, opponuntur, scilicet ut perfectum, & imperfectum, ualet in genere principij & priuatiuæ & relatiuæ, & ne miremini domini, licet hæc uobis appareant noua, omnia tamen sunt secundum principia peripatetica, & secundum mentem ipsius Arist. quare &c.

Est alia difficultas, super uerbis Auer. quia ipse dicit in comento quinto, in fine, definitiones

non

non componuntur nisi ex principiis propriis, quæ sunt, in re ipsa definienda. Est ergo dubitatio, quia uidetur Auerroem ponere uniuersalia realia sicut faciebat Plato, cum enim principia sint genus, & differentia, & hæc sunt uniuersalia, ergo erunt uniuersalia realia, & hinc illi & Paulus Venetus, & Burleus, sumunt uniuersalia realia de mente Auer. quare &c.

Sed domini, hæc est fatuitas maxima, ostendo ex uerbis ipsius Auer. primo physicorum com. 5. & ex ipso met super Porph. ubi dicit, quòd genus & differentia, sunt partes totius secundum intellectum, & cum dicis genus & differentia sunt principia in re ipsa. Dico, quòd genus & differentia, sicut etiam quodlibet aliud uniuersale, dupliciter potest considerari, unomodo materialiter, scilicet secundum id quod est, aliomodo formaliter, scilicet secundum id quod significat, & ita dico, quod materialiter sumptum ipsum uniuersale, est solum conceptus animæ, si autem accipiamus ipsum formaliter, scilicet pro eo quod significat sicut est, ex parte rei ratione significanti, non enim genus & differentia in se considerata, sunt principia hominis, sed corpus, & rationale, & ita dico de hoc, quòd nunc satis dictum, quia infra melius & latius dicemus, quare &c.

Est ultima dubitatio, & difficilis quia Auer. dicit, quòd Arist. in illis uerbis. An anima sit partibilis, an impartibilis, tangit Platonem ipsum, quia Plato ut scitis posuit tres animas in homine subiecto, scilicet & operatione distinctas, unam in epate, concupiscentiam scilicet, aliam in corde, uitalem scilicet, in cerebro, rationalem, scilicet, ergo est dubitatio, an plato ita senserit & posuerit animas, in subiecto. Et primo uidetur quòd non, quia ipse Plato in Thimeo posuit animam rationalem separatam esse a materia, quomodo ergo ipsi dat proprium organum cerebrum, scilicet, quare &c. Secundo quia Galenus diligentissimus expositor Platonis in nono libro de placitis Hipp. & Platonis circa finem, dicit, quòd in homine est tantum una substantia animæ, facultates uero tres, scilicet principium actiuum uegetandi, & nutriendi, non ergo tres animæ re & subiecto distinctæ, quare &c. Tum etiam quia eodem libro, Galenus sequutus ipsum Platonem, ponit aliam uirtutem in nobis, quam non dicit Auer. bene sentit de opinione Platonis quia dimittit illam uirtutem. Tum etiam quia sicut uidebimus ex Them. 3. de anima 37. Plato posuit animam separatam a materia, & immortalem, ergo non posuit ipsam animam rationalem in ipso cerebro, ut sibi ascribit Auer. quia si esset in cerebro, esset in subiecto, & sic esset affixa ipsi organo, ergo non separata a materia, ergo non immortalis, quare &c. Hæc quæstio est, ualde utilis & necessaria ipsis medicis, nunquid scilicet in homine sint animæ seiunctæ, & quæ sint operationes rerum, si sint plures, quia homine egrotante, in aliqua harum uirtutum sciet melius cui nam parti corporis sint applicanda remedia & cauteria &c. Hæc quæstio non ita utilis est, philosopho morali, quia philosophus moralis, non quærit, quis nam sit principalis locus animæ, nec in qua sede corporis sint ipsæ animæ, quia uel sit in cerebro, uel corde, uel epate, philosophus moralis semper scit quòd uirtutes morales acquiruntur in nobis ex exercitatione, quare &c.

Prima ergo opinio de hac quæstione, est stoicorum, qui sequuti sunt ipsum Hippocratem, & Hippocratici sequuti sunt Platonem, & Auicenistæ sequuti. Galenum dicunt, quòd in homine sunt tres uirtutes principales animæ. Prima est, quam stoici appellant naturam, Arist. uegetatiuam, Plato concupiscibilem, & huius uirtutis duo sunt opera. Primum circa esculenta, scilicet circa cibum & potum. Secundum circa libidinem, & usum uenereum, & primum dicunt ipsi datam, fuit ut conseruetur indiuiduum, ut scilicet nutriatur, ex cibo enim, & potu nutritur indiuiduum & sic conseruatur, secundum ut conseruetur species, & hæc uirtus ab ipso Hippocrate, & ceteris stoicis demandatur Epati, quia Epar est primum principium nutritionis, ab opinione domini excipio Aristotelem, sed tantum nunc ego loquor de illis quos supra narraui, & inquit Galenus hinc nata est, fabula quòd uultur continue radit epar illius damnati qui Titius a poetis appellatur, & hoc dicit Galenus, ideo patitur ille homo, quia ipse peccauit in esculentis & in usu uenereo, itaque ergo huic uirtuti dantur duo opera. Tum scilicet circa esculenta, tum circa usum uenereum, sed si tu quæras nunquid hæc uirtus, insit plantis, in hoc uidetur dubius ipse Galenus, & aduertatis domini, quòd omnia quæ dico, dico ex sententia Galeni, quæ tamen sunt ubique sparsa, sed ego ipse collegi, Galenus ergo uidetur dubius in hoc, quia aliquando ponit hanc animam inesse plantis, aliquando non, attamen ego colligo, quòd dupliciter potest considerari, ista uirtus. Vnomodo ut tantum respicit nutrimentum & usum uenereum, absque aliqua cognitione. Aliomodo potest considerari ut appetitus horum sequitur cum cognitione, & ita dico, quòd si accipias istam uirtutem ut respicit nutrimentum, & generationem, sine aliqua cognitione, hoc pacto, inest plantis, & tunc prima ista uirtus est, & appellatur uirtus animæ, quare &c. Est secunda uirtus animæ, quæ in homine secundum horum sententiam est irascibilis, ipsi enim ita appellant, & huic tria debentur opera, primum est comotio arteriarum, ut dilatatio, & constrictio, dilatantur enim arteriæ ut accipiant spiritum, & cõstringuntur, ut spiritum receptum ad cætera membra demandent, & quo ad istam genera-

herationem, hæc appellatur uirtus uitalis, quia cum transmittitur spiritus perarterias ad cætera membra tunc uiuet animal, cum autem non fit ista operatio moritur, & deficit uita ipsius animalis, & longe errauit Auer. quia putauit uirtutem uitalem esse uegetatiuam, uirtus enim uitalis est illa quæ dilatat & constringit arterias, transmittendo scilicet spiritum uirtus autem uegetatiua est, in epate, quare &c. Secunda operatio huius uirtutis sunt omnes passiones appetitus sensitiui, ut tristitia, gaudium, ira, Et hæc uirtus appellatur irascibilis, quia omnes operationes huius uirtutis fiunt comotione sanguinis, & inter istas præcipuè est ira, cum ira sit feruor sanguinis circa cor, ideo appellata est, irascibilis, non autem quia ita, sit passio tantum huius uirtutis, quare &c. Tertia operatio huius uirtutis est, ut sit propugnaculum rationali, aduersus concupiscibilem, quia concupiscibilis semper appetit, ideo irascibilis est sicut canis obstans; Vnde Galenus adiunxit exemplum leonici qui leonicus per ambulans cum audisset multa cadauera esse lacerata a camifice ratione utens, nolebat ipsa uidere, quare sibi detexit faciem, concupiscibilis tamen uitio,detraxit hominem ad uidendum illa cadauera. Vnde irascibilis insurgens aduersus concupiscibilem dixit, heu miser homo, ad quid deductus es, scilicet ad ista spetacula tam turpia ut ipsa uideas quare &c. Tertia uirtus animæ quam ipsi ponunt, in homine, est uirtus rationalis, & huius uirtutis, tria sunt opera, secundum sententiam illorum quos supra diximus. Vna quæ est principium sensus & motus, & prima eius operatio est sensus ipse, & cũ duplex sit, ipse sensus scilicet, & interior & exterior, operatio sensus exterioris, est sentire, audire, gustare, interior autem diuiditur in tres uirtutes, interiores sensitiuas, quarum una est, imaginatiua, secunda cogitatiua, tertia memoratiua, prima ergo operatio huius uirtutis, est sensus tam interior, quàm exterior, secunda operatio eius est, sensus & motus uoluntarius. Motus enim uoluntarius fit a ratione, uoluntas enim est operatio appetitus sensitiui, cum aliqua ratione, tertia operatio huius uirtutis est, intellectio, ista igitur sunt tria opera, quæ conueniunt huic uirtuti. Quòd autem hæc uirtutes ad inuicem seiungantur patet ex uerbis Gal. Primo,quia nihil sibi ipsi aduersari potest, sed ratio aduersatur concupiscentie, ergo non a concupiscentia, se iungitur, quòd autem ideo aduersetur concupiscentie, patet. Quia in pueris concupiscentia dominatur & ipsam insequuntur cũ autem fuerit homo prudens, concupiscentie resistit ratione, & ita cum eger est homo prudens, abstinet a potu, licet ipsum concupiscat, quare &c. Tum etiam quia irascibilis est propugnaculum rationalis, aduersus concupiscentiam, ergo etiam ei resistit, tum etiam hoc probatur ex fine earum, habent enim diuersum finem, quia finis concupiscentiæ est ad uoluptates exire, irascibilis uero ad uictoriam, rationalis uero ad intellectionem, quare ergo diuersæ sunt &c. Ideo Gal. assimilauit istas duas animas, scilicet concupiscentiam, & irascibilem, equis habentibus currum. Rationalem autem assimilauit aurige & tunc sicut unus equus trahit secum alium equũ, & currum, & aurigam, ita aliquando concupiscibilis trahit secum irascibilem, & corpus, & rationalem, quare &c.

Sed tu dicis, quid est dicendum secundum ueritatem de sententia Platonis, An scilicet ipse Plato posuerit in homine tres animas re distinctas seiunctas. Secundo etiam dubitatur, an omnes iste uirtutes quas ponimus in homine, sint etiam in cæteris animalibus, quare &c. De primo Anceps uidetur Gal. dicit enim ipse in lib. de placitis Hippocrates & Platonis, quòd si loquamur, secundum Platonem, sic dicemus, quòd tres sunt animæ seiunctæ, in homine, quas, aliquando partes animæ, aliquando species appellar, & hoc pacto possunt esse species, sicut etiam partes alicuius similares appellantur species, quia habenr passiones & uirtutes seiunctas & etiam loco & re seiunctas sicut est, in homine os caro neruus &c. nono uero libro de eisdem placitis Hippocratis & Platonis circa finem Galenus dicit, q hæ facultates animæ secundum Platonem, sunt facultates eiusdem substantiæ animæ, & ita iste non differunt re, quare ergo aut Galenus dissentit a Platone, aut non est memor eorum, quæ uno loco dixit &c. Dico de hoc, quòd si respiciamus uerba Platonis in Thimeo, Plato posuit duas animas in homine re & subiecto seiunctas, & unam separatam a materia,& aliam immersam materiæ, dicit enim ibi Plato Dij fecerunt animã immortalem in corpore, mortalem postea in eodem corpore fabricauerunt, sensitiuam, coniunctam corpori, & cum ipso corpore mortalem, & ista anima sensitiua secundum ueritatem habet duplicia opera, unum est, scilicet uegetandi, idest esse circa cibum & potum & generationem & circa actum uenereum & anima sensitiua primo, & principaliter secundum istud opus est in epate, habet aliud opus & uirtutem hæc anima sensitiua, quæ sunt omnes passiones, appetitus sensitiui, & secundum has passiones demandatur cordi ista uirtus seu anima, ita secundum Platonem dicemus, quòd in homine sunt tantum duæ animæ, quare &c. Hanc eandem sententiam in parte sequitur Arist. & in parte repugnat, sequitur, quia eodem pacto Arist. ponit duas animas re seiunctas in homine sensitiuam, scilicet & rationalem, differunt autem Plato & Arist. quia Plato primo posuit tria membra principalissima, in homine, & singulo dedit propriam uirtutem animalem

animalem,posuit enim Plato epar,cor,& cerebrũ Arist. autem posuit tantum in homine unum membrum principale, scilicet cor ipsum, cui ipse demandat omnia opera, & facultates animæ & ponit ipsum, principium primum generandi, sanguinem, & principium uiuendi, & sentiendi, & principium motus, quare &c. ita Arist. ponit unam tantum animam re, Plato uero uirtutes plures &c. quare in hoc multum differunt.

Lectio uigesimaprima.

ERAT dubitatio, de opinione Plat. nunquid scilicet Plato posuerit in homine tres animas re seiunctas, unam scilicet in epate, aliam in corde, tertiam in cerebro, dixi uobis, quòd Gal. uario modo loquitur, & quòd si accipiamus uerba Platonis in Thimeo, inueniemus ipsum ponere tantum duas animas, in homine re seiunctas, sensitiuam, scilicet, & rationalem quarum una est cum materia, alia autem est a materia separata, & postea illa quæ sensitiua est, habet duas facultates, unam quæ nutritiua, & generatiua est, & hæc habet sedem in epate aliam autem qua afficimur passionibus appetitus sensitiui, ira scilicet, & tristitia, quia hæc passiones sunt cum perturbatione, & comotione sanguinis arterialis, & hæc habet sedem suam in corde, & ita, hæc est una sententia Platonis &c.

Erat postea secunda dubitatio, nunquid omnibus animalibus insint hæ tres facultates animæ. Dico quòd minime, quia illis animalibus quæ stant fixa & nunquam morientur, his tantũ inest uirtus uegetandi, animalibus autem perfectioribus, ut puta his quæ habent motum progressionis, habent tantum duas facultates. s. concupiscibilem, & irascibilem, sed est dubitatio. Quia tu dicis, quòd Plato posuit animam rationalem, in cerebro, sed contra, quia ipse ponit, animam rationalem separatam a materia, quomodo ergo attribuit ei subiectum, scilicet cerebrũ ipsum &c. Domini de hoc diu fui dubius, quomodo scilicet Plato de his sentiret, attamen nunc dico, ꝙ posuit Plato tria opera animæ rationalis, primũ sensus tam exterior, quàm interior secundum posuit uirtutem secundum locum motiuam, tertium autem est discurrere intelligere & memorari, & ita dico, quòd quo ad tertiam operationem animæ rationalis, ei nullum organum debetur, quia in sui operatione non indiget aliquo organo corporeo, qua autem est principium motus & sensus, sic indiget organo, quia indiget neruis tanquam instrumento, qui differant uirtutem a cerebro, ad cætera membra, & hoc pacto dixit hanc uirtutem esse in cerebro, quo scilicet ad sensum, & motum, quæ operationes non possunt fieri sine organo corporali, ratione autem intellectionis, est separata a materia, neque per se indiget aliquo organo corporeo, itaque exacte dicendum de opinione ipsius Platonis, etiam huic opinioni in parte, deseruit, seu ut melius dicam assentit Arist. ut supra dixi, quia etiam ipse Arist. ponit, in homine duas facultates, sensitiuam, scilicet & rationalem, differt etiam Arist. a Platone, quia non ponit nisi in uno membro has facultates, & ipsi tanquã primo principio demandat, Arist. & ita ipse ponit principium seu principiatum totius animæ in corde, non autem rationalem in cerebro, ut dicebat Plato, sed etiam ponit rationalem primo demandari ipsi cordi, quod est principium omnium illarum facultatum secundum Arist. &c.

Sed uos dicetis tu hucusque recitasti opinionem antiquorum, ut puta stoicorum, & inter hos numerasti medicos, est enim dubitatio, quid nam senserit Hippocrates & Gal. de his facultatibus, animæ, Varie enim uidetur loqui Galenus, etiam sibi esse inconstans, non ergo est parua dubitatio, scilicet quærere quid nã isti de hoc senserint &c.

Dicam ergo primo de ipso Hippocrate, qui sensit, ꝙ nil aliud est anima cuiuscunq; animalis, ꝗ calor innatus, & declarauit Gal. in lib. de Plat. Hipp. & Plat. secundũ Hippocr. mentẽ, quòd anima est calor innatus, idest substantia corporosa, calida generata, ex sanguine subtiliori ipsis cordis, ex illo enim sanguine generatur ille calor, & ille uapor, qui appellatur calor naturalis, & ab ipso Hippocrate dicitur anima, & Arist. appellauit hunc calorem innatum, animalis, non autem animam, ex quo calore nos uiuimus, & conseruamur in esse, & præter alia loca Hippocratis ubi de hac re loquitur, in sexto epidemiarum, in quinta sectione seu particula aphor. aphor. tertio, inquit enim ibi, uita hominis producitur ad mortem quousq; durat innatus calor, & anima ipsa inflammatur, dissoluitur corpus, & etiam ipsa dissoluitur, ubi secundum omnes expositores clara est, sententia horum uerborum, quòd scilicet nihil aliud est anima, quàm scilicet calor innatus, idest naturalis calor, & exponuntur hæc uerba cum dicit uita hominis producitur ad mortem continua mutatione caloris, quia continue nouus generatur calor & generatus continue resoluitur &c. ꝗ si inflãmatur. Dices tu, quomodo anima ipsa potest inflãmari, O' dico ꝙ inflammatur, sicut corpus inflãmatur, & resoluitur, quia minor flamma; ex maiori igne absumitur, quia absumit materiam, ex qua conseruatur illa minor flamma conformiter huic sententiæ appellauit Hippocrates istum calorem naturalem, dicit enim, ꝙ anima nullo ducente, recte, exercet opera sua, & opera sibi propria, quare recte suo modo appellauit Hippocrates, naturam, istum calorem innatum, de eodem loquutus est, cum dixit, natura est curatio morborum, cum dixit sub aliis uerbis omnium natura operatrix medicus, uero minister, ibi etiam appellauit naturam istum calorem

innatum &c. Ista etiam fuit opinio stoicorum, quia stoici nihil aliud dixerunt esse substantiam ipsius animæ, quàm calorem innatum, & ita est, hæc oqinio Hippocratis, quare &c.

De opinione uero Gal. Gal. autē uarie loquitur aliquando enim heret ipsi Hippocrati, aliquando ipsi Aristoteli, aliquando Plat. aliquando ueto nulli consentit, sed omnibus tēpugnat, heret enim Hippocrati Galen. primo lib. aphor. aphot. 14. illi scilicet, qui crescuut plurimum habent caloris innati, ipse enim ibi clare dicit, quòd secundum Hippocratem, & ueritatem, nihil aliud est, quod auget hominem, & ipsum met. nutrit & consetuat, quàm calor innatus, aliquando etiam ipse Galen. ab Hippocrate dissentit, ut sexto lib. de Plat. Hipp. & Plat. dixit enim ibi, quòd scilicet tres sunt operationes animæ uegetatiua, scilicet, sensitiua, & intellectiua, in nono, etiam de Plat. Hipp. & Plat. consentit Galen. ipsi Arist. Quia dicit uerius est, secundum Aristotelem dicere, quòd omnes istę facultates animæ principaliter sint in corde, quare &c. aliquando etiam dissentit ab Arist. quia in lib. de Simpl. medicina dicit, stoicis uisum est, quòd anima sit calor innatus, licet uerius sit instrumentum omnium operationum ipsius animæ; dissentit etiam a Platone, nono de Plat. ubi dicit uerius est ponete omnes facultates animæ principaliter in corde secundum Arist. quàm secundum Platonem, singulo membro principali, singulam attribuere potentiam, quare &c. dissentit simul ab omnibus his in plutibus locis, & in lib. de Plat. dicit etiam, nunquid anima sit corporea uel incorporea, ego ignoro, nihil minus, mihi uidetur, quòd anima sit temperamentum naturalis uirtutis, idest complexio naturalis omnium, ut exempli gratia, complexio plantæ, sit anima plantæ, in hoc ergo ut patere uobis potest, recedit ab omnibus Galen. & ponit propriam sententiam de anima ipsa, etiam eodem lib. de Plat. disputans Galen. de ueritate huius difficilimi problematis, quòd mores animi sequuntur temperaturam corporis, & dicit, quòd uidetur, quòd omnes homines, qui sunt boni uel mali, sint, natura mali uel boni, homo enim dicit ipse Galenus, & quodlibet aliud animal malum, uel natura, uel propter propriam consuetudinem est malum, consuetudo enim est, quasi altera natura, in eadem sententia, quo ad hoc, fuit etiam Arist. Voluit enim & ipse, in lib. Et hic, quòd uirtutes animi sequuntur temperamentum corporis &c. Concludit itaque Galen. quòd nihil aliud est, anima animati, quàm temperamentum, & complexio ipsius, & probat hoc rationibus. Primo dicit, quia uidemus, quòd in frigidato & humefacto, uel calefacto, uel exsiccato cerebro, deperditur usus rationis & anima rationalis migrat a corpore humano, ergo nihil aliud est anima, quàm temperamentum &c. Secundo dicit Galenus quia anima extenditur, extensione corporis, & qualibet pars corporis, tam extrinseca, quàm intrinseca est animata, quomodo ergo anima est, incorporea, sicut dicunt isti, quare &c. Tertio quia uariato ipso temperamento, uariantur etiam omnes passiones animæ, quia ex temperamento calido, homo audax, ex temperamento frigido, homo est timidus, & hoc patet ex Platone, qui dixit, quòd propter immoderatam humiditatem. Pueri qui habent temperamentum humidum, anima in ipsis pueris fit iners, cum autē uariatur temperamentum, & parum cum exicatur illud humidum, tunc dicit Plato, puer incipit fieri aptior, quare ergo uariato temperamento, uariantur omnes animæ passiones, ergo nihil, aliud est anima, quàm temperamentum & complexio dicit Galen. &c.

Ad confirmationem etiam, quia uariato temperamento, uariantur passiones animæ, habetur ab Hippocrate, qui dicit quòd mens & anima prudentissima omnium quæ sunt in corpore est, aliter tamen dixit Arist. de hoc, qui dicit, quòd prudentia oritur ex temperamento, quia anima in homine, merito temperamenti est prudentissima omnium, etiam ex tenuitate sanguinis, sed quomodo dicit Galenus, possumus Clarius habere hoc quam ab ipso Arist. in lib. de partibus animalium ubi dicit ipse Arist. quòd omnes passiones, & appetitus sensitiui, dependent a tempetamento, quid ergo aliud dicemus animam esse dicit Galenus quàm temperamentum naturale, quare &c. itaque colligendo quæ hucusque diximus, habetis mentem, tum Hippocratis, tum Gal. de anima ipsa quid nam secundum ipsos sit &c.

Sed pace tantorum uirorum. Dico quòd utraque opinio est, manifeste falsa, & primo opinio Hippocratis est falsissima, quia contra ipsum sunt primo omnia argumenta Ioannis Grammatici, quæ ipse Ioannes fecit in proœmio huius libri, ut uidimus iam, ubi ostendit Ioannes, quòd anima non potest esse corpus, primo, quia quelibet pars corporis tam extrinseca, quàm intrinseca, animata est, & simul cum ipsa, est anima data in qualibet parte corporis, quam tu uis anima illa est, animata & cum ipsa est anima, sed duo corpora non possunt esse simul in eodem loco, nec etiam possunt se penetrare, ergo anima non potest esse corpus, quare &c. Secundo arguitur, quia esse corpus, ex sui natura, est dissolubile, & caducum, hoc enim uidemus experientia, quia dum perdurat anima una cum corpore, & corpus ipsum perdurat, nec resoluitur. Dempta autem anima, corpus ipsum dilabitur, & fit caducum, quia ergo corpus indiget aliquo sustinente, & continente ipsum, ne dilabatur, & hoc non potest esse corpus, quia si esset, cum omne corpus, ex sui

sui natura dissolubile sit & labile, ergo ipsum indigebit aliquo alio, continente ipsum, & ita esset processus in infinitum, non datur autem processus in infinitum, ergo dicendum est quòd corpus indiget aliquo incorporeo, quod ipsum sustentet, & conseruet, & hoc est anima, ut nos uidemus palam, ergo ipsa anima incorporea est, & non corpus ut dicebat Hppocrates, quare &c.

Tertio arguitur, quia nullum corpus comprehendit, cognoscit, & intelligit, quia omnis impressio corporis corporea est, corpus enim non recipit nisi formas ipsas corporeas, unde ceta recipiens impressionem aliquam uidemus, ipsam esse corpoream, intellectio autem est impressio, & operatio spiritualis & incorporea, ergo non potest recipi, in corpore aliquo, sed in subiecto incorporeo necessarium est, ut recipiatur, cum autem anima intelligit, anima ergo incorporea est, quare &c.

Etiam ex argumentis ipsius Arist. potest proba ri animam incorpoream esse. Quia Arist. in principio, secundi huius, postquam inuenit animam esse substantiam, diuidit substantiam ipsam, in materiam, formam, & compositum, & multis argumentis demonstrat animam non posse esse, corpus, sed dicit esse formam incorpoream, quare &c. Secundo arguitur, quia in plantis est anima, & tamen ibi non est calor innatus ut dicit Hippocrates. Tum etiam, quia dicit quòd calor inatus nutritur ex putiori parte sanguinis &c.

Sed contra quia anima ipsa non nutritur, sed ipsa est quæ nutrit, & est illa, qua ipsum animatum nutritur, ergo calor inatus seu naturalis qui est corporeus, & corpus quoddam non est anima, & sic propter ista omnia argumenta quæ diximus, redditur falsa opinio Hippocratis &c.

De Galeno autem, eius opinio facile est tollere, qui assertiue dicit, quòd anima est temperatura, & primo tollitur ex conditionibus substantiæ, quia omnis pars substãtiæ, est substantia, quia partes substantiæ sunt priores Tota substantia, si autem esset accidens, sequeretur quòd accidens esset prius substantia, quod tamen falsum est, cum ergo anima sit pars substantiæ, ut puta animaliis, ergo ipsa, substantia est, non ergo est temperamentum, quod est accidens, & qualitas quædam, ut dicit Galenus, complexio enim est qualitas prima ex qua deriuantur duæ aliæ qualitates secundæ, ut puta odor, & sapor, quare &c. Secundo arguitur ex alia conditione ipsius substantiæ, quia ipsi substantiæ ratione substantiæ nihil est contrarium ut dicit Arist. in prædicamentis, sed naturali temperamento, est aliud temperamentum contrarium, ut puta temperamento frigido, est contrarium temperamentum calidum, ergo &c. Tum ex tertia conditione substantiæ, quia substantia non suscipit magis, & minus, illa enim opinio Alexandri falsa est, quòd scilicet substantia elementorum sit calor, uel frigus &c. Temperamentum autem accipit magis, & minus, quia aliquod temperamentum est, magis calidum, aliquod minus, ergo temperamentum non est substantia, ergo nec etiam est, anima, Quia anima ut supra dictum est, est pars substantiæ, ergo & ipsa substantia &c. Secundo & principaliter arguitur, quia si anima esset temperamentum, sequeretur quòd nulla generatio animalis esset substantia, quia illa quæ habent esse per formam accidentalem, illa sunt accidentia, sicut sunt artificialia. Quia qua artificialia, habent formam accidentalem, ita etiam artificialia qua artificialia, sunt accidentia, & sic sequeretur. quòd nulla forma esset substantia, sed omnia essent accidentia, quare &c. Tertio nihil est, sibi ipsi prædicamentum, & nihil præparat materiam sibi ipsi, sed ipsum temperamentum disponit, & præparat corpus ad animam, ergo temperamentum non est, anima &c. Minor patet, quia dicimus aliquid esse, aptum suscipere animam, quia est talis uel talis temperamenti, unde dicimus lapidem non aptum ad suscipiendam animam ipsam, quia non habet temperamentum quod necessario requiritur ad suscipiendam animam, unde etiam diuersa animalia habent diuersas animas, quia habent diuersa temperamenta; Temperamentum ergo est præparamentum ad animam ipsam, quare &c.

Sed aliquis posset dicere. O' hoc temperamentum quod dicit Galenus, est substantia, & ita tollerentur argumenta priora. Domini hoc est addere, errorem supra errorem, Quia sicut se habet qualitas simplex ad corpus simplex ut qualitas prima ad formam elementorum, ita se habet complexio ad formam mixti, sed ibi qualitas simplex, est accidens, ideo complexio est accidens, non autem substantia, sed dices, O' qualitas corporis simplicis omnino est accidens; Quia calor ignis, non est accidens ipsi igni, sed est forma substantialis ignis, quare &c. O' Domini dico quòd hoc est peius, quia calor qui est, in igne, & calor qui est in ligno, sunt eiusdem speciei; Quia habent effectus eiusdem speciei; & si aliqua sit diuersitas, hæc est merito materiæ, non autem merito formæ, quare &c. Et ita patet, quòd opinio Galeni est manifeste falsa, neque etiam rationes eius ualide sunt, quare &c.

Ostendo, arguebat enim ipse. Primo sic, quòd anima sit temperamentum, quia permutato temperamento migrat e corpore ipso, sicut ualde humectato uel infrigidato, uel calefacto cerebro deperditur ratio ipsa; & anima migrat, ergo anima nihil aliud est, quàm temperamentum dicit Galenus. Dico ad hoc negando argumentum, quomodo enim ualet hæc illatio, scilicet permutato temperamento deperduntur operationes ipsius animæ, & ipsa anima migrat, ergo anima

 est,

est temperamentum, non ualet Domini, sed hoc uenit quia anima pendet in sui esse & operari ab ipso temperamento, non autem, quia anima sit temperamentum, quia bene uerum est, quòd non potest esse anima, sine temperamento, proprio, sicut proprie qualitates sine quibus anima ipsa non potest operari &c. Quod arguitur secundo, quia anima extenditur extensione corporis, & in qualibet parte corporis, tam extrinseca, quam intrinseca, est anima, quomodo ergo anima potest esse incorporea &c. Dico anima rationalis est incorporea, & est una, & eadem, & indiuisibilis in qualibet parte corporis, & est tota in qualibet parte, & est, tota in toto corpore, & in qualibet eius parte, nec diuiditur diuisione corporis, quia tota illa quæ est, in pede, eadem est in capite, & in quolibet alio membro, sicut magis infra uidebimus, igitur &c.

Quod arguitur tertio, quia uariatur subiectũ animæ uariato temperamento, unde uidetur, q frigidi temperamenti sunt timidi, calidi etiam sunt audaces. Dico quòd uerum est, quòd uariato temperamento uariatur anima, ergo anima est ipsum temperamentum, non ualet argumentum, quia bene omnes animæ, sensitiua, & uegetatiua, & rationalis, per accidens, ille sequuntur temperamentum, non tamen est, uerum, quòd ipse sint temperamentum, quare &c.

Lectio uigesimasecunda.

REPROBAVIMVS opinionem Galeni de anima. Nunc accedamus, ad Platonem, quia Plato dixit, quòd uirtus uegetatiua animæ, demandatur ipsi epati, sensitiua cordi, rationalis cerebro & in his disentit ab Arist. ipse Plato, quia ponit tria membra principalia, in ipso homine, quibus sigillatim. Propriam uirtutem animæ demandat; quod tamen est, contra Arist. quia Arist. in quolibet animali ponit tantum unũ membrum, quod est principium omnium uirtutum animæ, cuique omnes uirtutes animæ demandantur ab ipso, scilicet, uegetatiua, & sensitiua, & intellectiua, sed per accidens, quia anima intellectiua, per se non dependet. neque est enim materia. Quærimus ergo quæ harum opinionum sit rectior & si difficilimum sit hoc iudicium, quia utrinque sunt rationes & persuasiones, attamen, quia Galenus fauet opinioni ipsius Platonis, nos solum tuebimur, partes ipsius, Arist. & satisfaciemus contrariis dubitationibus, quare &c. Primo ergo opinatur Arist. quòd in omni animali solum sit unum membrum principale, scilicet cor ipsum, quod est principium omnium operationum animæ, cuique demandantur omnes potentiæ animæ & huius rationem. Adducit Arist. 3. de partibus animalium cap. 8. scilicet, quòd in omni multitudine recte ordinata debet esse unum primum quod sit tanquam principium aliorum, & tanquam princeps & rex quod est cor ipsum, quòd autem hoc principatum conueniat cordi, probat Arist. Quia in animali, cor est membrum, quod primo generatur, & ultimo corrumpitur, nec aliquam patitur maculam. Ex quacunque enim minima lesione cor ipsum corrumpitur, ergo ipsum merito est primum, & principale principium, & tanquam aliorum principium, quare &c. quòd autem omnes uirtutes animæ sint in corde. Probat Arist. & primo q uirtus nutritiua, sit in ipso, & ita dicit, generatio sanguinis fit primo, fit in corde, non autem in epate, sicut isti existimant, ergo uirtus nutritiua primo est in corde. Illatio Domini manifesta est, quia omnia membra sanguine nutriuntur, & sanguis, est ultimum & immediatum alimentum aliorum membrorum, ergo quod est principium sanguinis, scilicet in quo primo fit sanguis, illuc est principium uirtutis nutritiuæ, ergo &c. antecedens probatur, quòd scilicet cor, sit membrum in quo primo generatur sanguis. Quia in nullo membro reperitur sanguis extra uenas, præter quàm in corde, in dextro enim eius uentriculo, cor habet multam quantitatem sanguinis, quia ipsum est, tanquam fons & principium sanguinis, ergo &c. Secundo idem probatur, quia uenæ habent ortum a membro, quod est principium generationis sanguinis, sed uenæ habent ortum a corde, ergo cor est, membrum, in quo primo fit generatio sanguinis, discursus notus, prima propositio patet, quia uenæ sunt factæ a natura propter distributionem sanguinis, per totum corpus, ipse enim sunt uasa sanguinis, ergo etiam debent oriri a membro, quod est principium sanguinis, quare &c. Minor probatur, quia uena caua, quæ inter reliquas est principalis, habet suum maximum truncum, in corde, & in ipso reperitur, ergo habet ortum a corde, ergo cor est, in quo primo fit generatio sanguinis &c. Tertio arguitur, quia ex quo cor primo generatur & ultimo corrumpitur seu moritur, statim cum genitum est, nutritur a nullo alio nutrimento nutritur, quam sanguine & cum aliunde non habeat sanguinem, quia cætera membra ad huc non sunt genita, ergo ipsum primo sanguinem generat, quo nutritur, quare patet, quòd uirtus nutritiua, quæ uegetatiua appellatur, primo demandatur cordi, quòd autem uirtus sensitiua, etiam primo demandetur cordi, probatur, quia omnes motiones appetitus sensitiui sicut ira, timor, & tristitia, confidentia &c. Apparent in corde, ergo hæc uirtus primo demandatur cordi, quare &c. Tum etiam quia cor, uehementissime, & acutissime sentit, cerebrum autem caret sensu, ergo cerebrum non potest esse principium sensus, sed cor, quod magis & uehementius sentit, quam cætera membra &c.

bra &c. Minor manifesta est, quia cerebrum caret sensu tactus, si autem fuerit uulneratus super caput aliquod unde posit tangi cerebrum. erit manifestum, quòd non sentiet, unde Arist. dicit, quasi per contemptum, quòd cerebrum non magis sentit, quàm quodlibet excrementum, bene uerum est, quòd membrane cerebri sentiunt, sed cerebrum non sentit. quomodo ergo secundum istos, potest esse principium sensus, quare &c. Tertio de uirtute secundum locum motiua. Quia ipsa primo est in corde, quia motus localis in animali fit cum cognitione, cognitio autem fit cum actu sentiendi, quia ubi est sensus est uirtus uolendi. Quia uirtus uolendi, sequitur sensum, sed probatum est, quòd sensus, primo est in corde, ergo & motus, secundum locum, quare &c. Secundo arguit Arist. & hoc est difficilius, quia dicit Arist. cor est principium omnium neruorum, nerui sunt instrumenta omnis uirtutis uoluntariæ, consequentis, motum ipsum, ergo cor est principium motus localis, discursus notus, prima propositio est ista, cor est principium omnium neruorum, quæ probatur. Quia habent ortum ab ipso. Quia cor in animali primo generatur, ergo omnia quæ sũt de eius substãtia primo in ipso generãtur sed nerui ipsi sunt de substãtia cordis, ergo nerui primo generantur cæteris, ergo ab ipso corde habẽt ortum, ergo &c. quia minor est, per se manifesta & ab omnibus concessa, iste sunt rationes quibus mouetur Arist. ponere, in homine tantum unum membrum principale cui primo demandentur omnes uirtutes animalis, &c.

Ex aduerso tamen est Galen. tuens partes Platonis, & soluit rationes ipsius Arist. & primo ad id quod primo dicit, quòd scilicet in omni multitudine ordinata requiritur unum primum, quod sit principium omnium operationum illius multitudinis, Negat Galenus hoc quia dicit, Galenus in homine sunt per multa membra, quæ sunt principia unius operationis proprie, ita, quòd alia membra non possint esse principium, sicut pulmo est principium respirationis taliter, quòd nullum aliud membrum potest esse illius respirationis principium, similiter guttur est principium uocis, dicit Galenus, eodem modo est principium loquelæ, & sermonis, taliter quòd nullum aliud membrum animalis potest hoc opus sibi uendicare quare &c. Quod dicis, O Arist. probat. Quia cor est, quod primo generatur, quare &c. Galenus in lib. de generatione fetus reuocat sententiam suam quam posuit conformem Arist. in lib. de Plat. Hippocratis, & Platonis, ibi enim dicit, quòd est epar, quod primo generatur & probat, quia illius est prior generatio, cuius est facilior, ergo maior huius est manifesta, quia natura semper incipit operari a facilioribus, quare &c. Etiam calor, qui est in semine, sicut agens in totum semen equaliter agit ergo citius operatur & facit quod facilius est, quare &c. Quòd autem epatis sit facilior generatio patet, quia omnia membra animalis generantur ex sanguine tracto ab ipsa matre, sed epar generatur ex parua congelatione sanguinis, facta a calido non autem a frigido, quare &c. & quòd ita sit patet, quia epar & substantia epatis uidetur sanguis congelatus, ergo statim generatur substantia epatis non autem ita facile generatur cor ipsum. Quia ipsum indiget maiori calore & maiori uirtute actiua, quare &c.

Secundo quia fætus in utero matris a principio sue generationis, scilicet antequam compleatur, primo uiuit uita plantæ, quia caret sensu, sicut enim planta ipsa nutritur, ita etiam fætus nutritur per uasa constituta, & nutritur sanguine matris. Itaque ergo fætus primo uiuit anima uegetatiua, postea dimittit eam & suscipit sensitiuam, sed fætus uiuendo uita plantæ non indiget corde, neque cerebro, ergo prius generatur epar quod sequitur, quare &c.

Tertio arguit Galenus. Quia neque sensus, neque ratio ostendit hanc opinionem esse uerã, non ergo illi credendum est, sine sensu & ratione, quia nihil aliud ponitur nisi id quod sensu experitur uel ratione ostenditur, quòd non ostẽdat sensu patet, quia si accipiamus embrionem primis diebus uidebimus, in ipso non posse distingui membra, ita ut distincte cognoscantur, si enim ipsum diuiserimus, non apprehendimus, hoc esse cor, illud epar, &c. ergo sensu non potest haberi, quòd ista opinio uera sit &c. neque etiam ratione, Quia ubi est, ista ratio, Domini nos habebimus potius rationes, in contrarium, Dicit Galenus, ergo huic opinioni non est credendum, quare &c.

Addit & quartam rationem Galenus decimotertio de usu partium & dicit. Quia omne membrum cum primum genitum est, eget nutritione, & nutrimentum debet esse sanguis, ergo mẽbrum quod primo est genitum indiget sanguine epar. autem est, quod primo generatur, ergo epar indiget sanguine, ergo ipsum epar sanguinem conficit. Quia nullum aliud membrum est, quod conficiat ipsum, ergo &c.

Quid ergo dicendum de hac opinione Theophra. primo libro de plan. cap. 12. nulli consentit. Dicit enim, quòd natura non operatur sicut ars, quæ primo incipit facere alicuius partem, postea aliam, sed natura incipit eodem tempore, generationem omnium partium illius qui generandus est, & ita si debeat generari homo. natura simul. & eodem tempore incipit generationem omnium membrorum, citius tamen dicit, Theophr. perficitur, & absoluitur generatio unius membri, quàm alterius, & ita animali citius perficitur cor ipsum, q̃ ullum aliud mem-

brum, quod addebatur ex Aristotele, quia cor non patitur sensibilem lesionem, dicit Galenus hoc est falsum, immo dicit ipse, reperti sunt homines, qui uulnerato corde uixerunt per diem, & etiam currunt, hoc autem non patitur cerebrum dicit Galenus, quia statim uulnerato cerebro homines ipsi defficiunt, & non possunt uiuere per aliquod spatium temporis, & ita nullum est argumentum Aristotelis dicit Galenus, quare &c.

Apparet ergo hic esse magnam controuersiam horum uirorum, quia Aristoteles uult, quòd primum membrum, quod generatur in homine sit cor ipsum, Galenus autem non uult hoc, sed epar, quod sit primum membrum &c. Theophr. uero ab utroque dissentit & uult, ꝙ omnia mēbra animalis simul generentur, quia in principio generationis, commisceatur calor & uis seminis diffunditur per totam materiam, ergo etiā simul agit in totam materiam, quare omnium membrorum simul est generatio dicit Theophr. Galenus etiam ponit suas rationes, quibus probat, quòd cor non est primum principium generationis sanguinis, sed est epar, Primo ergo Galenus arguit aduersus Aristotelem, in primo de Plat. Hippocr. & Plat. & dicit, quòd cor non est principium sanguinationis. Quia sanguis, qui distribuitur ad partes animalis, quæ sunt infra septum transuersum, non accipiunt sanguinem a corde, sed ab epate, ergo cor non est principium generationis sanguinis, illatio manifesta est. Quia si cor esset principium generationis sanguinis, cætera membra acciperent sanguinem a corde, antecedens probatur, quia uena caua ex epate descendit infra ad nutriendum omnes partes inferiores, non autem ex corde ipso, quia ex uena caua, cum septum transuersum pertransierit mittit magnum ramum, qui exiges appellatur, & mittit ad costas nutriendas, Ramus ergo uenæ quo sanguis defertur ad inferiora, ab epate oritur. Non autem a corde, quare &c. Ista domini est prima ratio ipsius Galeni aduersus Aristotelem, quare &c. Secunda ratio est, quia si prima generatio sanguinis esset in corde, sequeretur hoc inconueniens, quòd essent duo uasa & instituta sanguinis in corpore humano, in corde unum scilicet, quod defferent sanguinem generatum in corde ad reliqua membra, non enim tantum unum uas sufficit ad istas ambas operationes, perficiendas, sed non sunt ista duo uasa in corde ipso, ergo cor non est principium generationis sanguinis, quare &c. Prima propositio manifesta est a simili. Quia cor accipit aerem a pulmone in sinistra parte sui ab arteria uenali, ut scilicet euentetur. Postea cum ipsum aerem accipit, nec amplius indiget illo, ipsum expellit, non autem per eandem arteriam, per quam accepit, sed per omnes alias arterias. Et pulsus similiter est, unum uas in corde, per quod recipit sanguinem ab epate & uena caua, postea habeo aliam uenam per quam communicat sanguinem acceptum ipsi pulmoni, scilicet uena arterialis, & ita in omnibus patet, quòd per eandem uiam, hæ duæ operationes, scilicet receptionis & distributionis non possunt fieri, & ita hoc est, secundum argumentum Galeni &c.

Tertio arguit, quia est uena, per quam defertur sanguis extra cor, & est uena caua, Debet ergo aperiri ista uena intus extrorsum hoc autem falsum est, Quia uidemus quòd intra ipsam sunt cartilagines uel tunicæ cartilagineæ, quæ aperiuntur extra, & intus &c.

Quarto arguit Galenus: Quia in multis animalibus est sanguis, & tamen nulla est uena, quæ deferat sanguinem a corde ad cætera membra, ergo cor non est principium sanguificationis, probo antecedens. Quia in animalibus carentibus respiratione reperitur sanguis, nec tamen reperitur aliquod uas deferens sanguinem ad reliqua membra sicut est in piscibus, ergo cor non est principium sanguificationis, & ita his omnibus rationibus probat Galenus, quòd sanguis principaliter non fit in corde, probat secundo, quòd sanguis generatur, in epate. Quia sanguis simillimus est substantiæ ipsius epatis, & ipsi similior quàm substantiæ alterius membri, ergo sanguis generatur in epate, probatur antecedēs, quia omnis humor simillimus alicui membro generatur in illo membro, quia omne quod generat aliquem humorem facit sibi similem, ut scilicet ex ipso nutriatur, non potest autem nutrire, ipsum nisi conuertatur in eius substantiam, non potest autem conuerti in eius substantiam, nisi habeat substantiam & accidentia ei similia, quare &c. quia ergo omne membrum generat humorem principaliter, ut ex ipso nutriatur, & nō potest ex ipso nutriri nisi habeat substantiam, & accidentia ipsi membro similia, ergo cum sanguis habeat substantiam, & accidentia similia epati, sequitur quòd ipse sanguis ab ipso epate generetur, paret etiam hoc inductione, quia in uentriculo generatur humor albus, ut puta chilus, qui habet ipsum stomachum nutrire & quia tunicæ ipsius stomaci sunt albæ ideo generatur albus chilus, quare ita etiam sperma, fit album ex uasibus spermatricis, quæ alba sunt, eodem pacto sanguis arterialis aliquo modo albescit, quia generatur in corde & substantia cordis non est, ita rubra sicut substantia epatis, igitur sanguis arterialis non est ita rubeus sicut est, sanguis uenalis, quare &c. cum ergo sanguis ex quo nutriuntur membra animalis persimilis sit carni ipsius epatis, tum scilicet in mollitie tum etiam in rubedine, immo nihil aliud uidetur esse epar, quàm sanguis congelatus non a frigido, sed a calido, ideo epar uidetur esse principium sanguificationis

cationis, unde antiquiores medici appellarunt ipsum epar parechima, quasi coagulario succi, sequitur ergo, quòd maior propositio est uera, scilicet, quòd omnis humor per similis sit membro, in quo generatur, quare &c. Secundo dicit Galenus. Quia in eodem membro fit generatio humoris, & superfluitatis ipsius humoris, in quo enim membro generatur humor, in eodem, fit generatio superfluitatum, quæ generatur ex purgatione ipsius, itaque hæc propositio uera est, quòd scilicet in eodem membro in quo fit generatio alicuius humoris, in eodem fit generatio superfluitatum illius humoris, sed ita est, quòd superfluitates, quæ secernuntur a sanguinem generantur in epate, & in ipso epate secernuntur, ergo in ipso epate fit generatio sanguificationis, in epate enim generatur bilis flaua, & atra bilis, quæ est fex sanguinis, etiam generatur, Humor serosus, qui est urina, cum enim in generatione sanguinis fit quædam pars, quæ est nimis calida ideo illa ex sanguine secernitur, & demandatur in folliculum bilis, & hæc est, flaua bilis, similiter etiam cum in eadem generatione sanguinis, fit pars, quæ fit nimis terrestris, hæc a sanguine eodem modo secernitur, & demandatur in lienem, & hæc est atra bilis. Etiam in eadem generatione est pars serosa & nimis humida, & hæc similiter a sanguine secernitur, & demandatur in renes, & ex ista parte fit urina, quæ post modum ex renibus, per emulgentes dimittitur, in ipsam uesicam, quæ cũ est in uesica uel sui nimia quantitate uel qualitate prouocatur ipsa uesica, ad expellendum ipsam urinam, si ergo hæ tres superfluitates sanguinis, in epate, generantur & in ipso secernuntur, in epate, ergo fit, & non in corde, generatio sanguinis, quare &c.

Tertio dicit Galenus hoc patet experientia, quia debilitato epate, uidemus, q̃ elaborat uirtus nuiritiua, unde non generatur bonus sanguis, sed fit morbus quem appellamus aquã, inter cutem, quare ergo prima generatio sanguinis fit in epate non autem in corde sicut uult Aristoteles, quare &c.

Positis his, procedit Galenus soluendo rationes Arist. quibus, scilicet probat cor esse principium sanguificationis, & primo ad id quod dicebat. Quia in nullo alio membro, reperitur sanguis extra uenas, præterquam in corde, in quo est, tanquam in fonte & principio sanguis ipse, ergo in corde generatur. Respondit Galenus, quòd illatio non sequitur, in nullo membro reperitur sanguis extra uenas, præterquam in corde, ergo cor est principium sanguificationis, quare ergo ibi reperitur magis, quàm in alio membro, dicit Galenus, quòd ideo in dextro cordis uentriculo, reperitur sanguis extra uenas, ut depurgetur & fiat sanguis arterialis, quia ex dextro uentriculo cordis, transfertur in sinistrum uentriculum ut subtiletur transeundo, scilicet, per meatus septi transuersi cordis, quod diuidit partem dextram a sinistra, & sic in corde ulterior fit decoctio sanguinis, & depuratur, non autem generatur in corde, sed depuratur ut dixi, & subtiliatur, ut scilicet transferatur a dextro in sinistrum uentriculum cordis, ut ex ipso sanguine depurato & aere transmisso, per pulmonem, generetur sanguis arterialis, & ille spiritus quo animal uiuit, & cum hæc uirtus deperditur, ut scilicet non possit transmitti sanguis a dextro uentriculo cordis per meatus septi transuersi, cordis, in sinistrum uentriculum, statim deperditur uita; itaque ergo dicit Galenus, non ualet in nullo aliò membro, reperitur sanguis extra uenas præterquam in corde ergo cor est, principium sanguificationis, quia non ideo est, ibi sanguis, quia ibi generatur, sed iam ut ab epate generatus, in corde depuretur ut ex ipso generetur spiritus & sanguis arterialis, quare &c.

Sed uos dicetis quid dicit Galenus, quoniam sibi ipsi contradicit. Quia dicit, quòd generatio sanguinis nutritiui est in epate, arterialis autem fit in corde, O' sibi ipsi aduersatur, quia in lib. de Plat. Hippocratis & Plat. dicit, quòd generatio sanguinis fit in uenis, quæ pendet a caua parte epatis, scilicet in uenis porte quia ipse trahit a stomacho sicut radices a terra, ipse enim uenæ in animali se habet sicut radices in plãtis, & stomachus se habet sicut terra, generatio ergo sanguinis fit in uenis portæ, non autem in epate, quare &c. Postea in eodem libro de Plati Hippoc. & Plat. dicit, quòd nullum membrum exangue potest generare sanguinem, quia illud non rubet, ideo non est simile substantiæ sanguinis, cum ergo uenæ non sint similes substantiæ sanguinis, sed potius sint exangues nec rubescant, quomodo ergo in ipsis potest fieri generatio sanguinis, si nullum membrum exangue potest generare sanguinem, quare &c.

Possumus dicere domini ad hoc, quòd Galenus in proprie loquitur intelligit, in uenis ipsis fieri generationem sanguinis, re uera enim non generatur sanguis in ipsis uenis, sed ita dixit, quia aliquo modo alteratur a uenis & disponitur sanguis ipse, ut postea in carne epatis recipiat substantiam & naturam ueri sanguinis, ideo in proprie, ut dixi posuit Galenus esse quatuor membra, quæ sint principia sanguinis, scilicet os, gula, uentriculus, & epar, seu uena portæ, quia in ipsis primo sumitur cibus, ex quo habet fieri sanguis, cibus aliquo modo disponitur ad recipiendum substantiam & formam sanguinis, quia primo ex ore masticatur, secundo in gula aliquo modo alteratur. Tertio uentriculo concoquitur, & in chilum couertitur, & ita ista tria membra sunt primum principium generandi sanguinem, quartum membrum, quod est principium generandi sanguinem

guinem

guinem, est sicut uenæ portæ, quia ipsæ trahunt chilum a stomacho & ipsum deferunt, in epat, & sic etiam ipsæ aliquo modo disponunt materiam hanc ad formam sanguinis, tertium principium sanguinis est caro ipsius epatis, & hoc modo domini est principium, & principale principium conficiendi sanguinem, quartum principium dicit Galenus conficiendi sanguinem est uena caua itaque ergo, & si Gal. ponat quatuor hæc membra esse principium sanguinis, in proprie tamen loquitur, quia tantum est unum principale principium, quòd est ipsum epar, quare &c.

Lectio uigesimatertia.

REPROBAT Gal. sexto de Placi. Hipp. & Platonis rationem Arist. qua ostendebat quòd cor esset principium nutritionis, & uegetandi, scilicet, quia cor erat primum principium generationis sanguinis, quia sanguis est, ultimum & immediatum nutrimentum animalis. Primo Galenus reprobauit, quòd cor esset primum principium sanguificationis. Secundum argumentum Arist. ad probandum quòd cor sit primum principium generationis sanguinis fuit hoc, quia omne membrum quod est principium alicuius uirtutis, est etiam principium instrumentorum illius uirtutis, sed cor est principium instrumentorum sanguinis uenarum, scilicet quòd sunt instrumenta sanguinis, uenæ enim ortum habent a corde, ergo & cor est, primum principium sanguinis. Maior huius rationis est, propositio maxima, scilicet omne membrum quod est principium alicuius uirtutis, est etiam principium instrumentorum illius uirtutis, quòd autem cor sit principium primum uenarum dimisit Arist. ibi tanquam manifestum, quare &c.

Sed aduersus hanc rationem, est Galenus, qui asserit esse falsum, quòd cor sit principium omnium uenarum &c. Secundo dicit & probat hoc hac ratione, quia omne principium quantitate maius est, suo principiato, sed uenæ quæ deferunt sanguinem, maximo sui trunco in sunt Epati, non autem cordi, ergo cor non est, principium uenarum, sed ipsum epar. Maior propositio probatur inductione, & primo probatur de spinali medulla, quia ex quo ex ipsa omnes nerui oriuntur, exceptis illis neruis capitis, ita etiam illa, est maioris magnitudinis omnibus neruis, quare &c. Tum secundo de uena horta arteriali quæ maximo sui trunco inseritur sinistro cordis uentriculo, quia habet a sinistro cordis originem, quare &c. Tertio idem patet argumentum, argumento Hippocratis, & hoc in plantis quia dicit ipse in plantis, ea pars quæ primo generatur maior est, quantitate cæteris partibus plantæ, & ista pars plantæ, est illa quæ est media. Inter stipitem & radicem, ex materia enim seminis generatur primo illa pars, quæ genita, ex parte inferiori postea generantur radices, ex parte autem superiori generatur stipes, hanc eandem sententiam habuit Arist. in libris de plantis, & ita inquit Galenus, illa pars appellatur radicatio, quia ipsa est quæ primo generatur, ex qua postea generantur & emittuntur radices & stipes; hæc autem pars plantæ quæ primo generatur, est maioris magnitudinis, quàm sint reliquæ partes; Trifariam ergo inductione patet, quòd esse principium alicuius, est maius principiato, sed pars uenæ cauæ quæ inseritur gibbo ipsius epatis, est maioris magnitudinis, ergo &c. Et do exemplum de uena caua, quia ipsa est, prima uenarum, & maior pars, ergo uena caua quæ inseritur gibbo Epatis, est omnium maxima, ergo etiam hæc habet ortum ab Epate, non autem a corde; Quia si haberet ortum a corde, maxima sui parte insereretur cordi, sed non inseritur, ergo &c. Minor etiam patet dicit Galenus, tum ex uerbis Hipp. quia ipse hac ratione, appellauit hanc uiam iecoralem, etiam appellatur caua, propter sui magnitudinem, quare &c. Tum etiam patet, sui sectione, quia cum ab epate ipsa descendit & perforat septum transuersum cum ipsum perforauit diuiditur in duos truncos maximos, ergo ramus inferior, qui iungitur epati antequam diuidatur, quia non diuiditur intra septum transuersum, maior est, & ita sequitur conclusio intenta, quòd scilicet uena caua habeat ortum ab epate, secundo dicit Galenus quia uena portæ quæ oritur ex epate, etiam pertinget usque ad intestina ut trahat. Chilum confectum ex stomacho & deferat in epar, manifeste oritur ab epate, quia nullum ramum habet qui oriatur ex corde, ipso cum nullus ramus illius uenæ, ad ipsum cor pertingat, quare &c. Tertio probat Galenus, quia si uenæ omnes haberent ortum ex corde, omnes igitur uenæ pulsarent, & haberent dilatationem & restrictionem, sicut habent ipsæ arteriæ, quòd autem hoc sequatur probat Galenus. Quia hac de causa arteriæ habent pulsationem & dilatationem, scilicet & restrictionem. Quia scilicet oriuntur a corde, sed cor habet pulsationem, ideo etiam & ipsæ arteriæ, cum a corde oriantur, habent naturam cordis, ideo habent pulsationem, & eundem motum, scilicet dilatando, & constringendo, & hoc fit in ipsis propter motum cordis. Neque enim possumus dicere, quòd dilatantur, ipsæ arteriæ, ideo quia recipiant sanguinem, & spiritum. Receptum autem exprimunt demandando illum ad cætera membra, sed dicendum quòd ideo recipiunt sanguinem illum, & spiritum, quia dilatantur, & receptum spiritum ad cætera membra mittunt, & expellunt, quia constringuntur, non enim receptio est, causa dilationis, & expulsio restrictionis, sed dilatatio, est causa receptionis

& costrin-

& costrinctio est causa expulsionis, & extramittendi materiam, ex quo ergo arteriæ mouentur motu cordis, & habent ipsius naturam, quia ipsius motu mouentur, & sicut arteriæ omnes habent in se uirtutem cordis, sic etiam ab eo habent originem, ita etiam uenæ haberent uirtutem cordis & pulsationem, si ab eo originem haberent, & hoc manifeste patet, quia uena caua ea parte superiori qua inhæret cordi, mouetur motu cordis sic etiam tamen ab eo, non habet originem, si ergo ab eo oriretur, manifeste tota moueretur, non autem mouentur uenæ motu cordis, ergo etiam neque a corde oriuntur, quare &c. Dicit Galenus, sed tu dices uidetur sibi ipsi inconstans Galenus, quia in lib. de generatione fetus dicit, quòd nullum membrum, in animali habet ortum ab altero membro, dicit enim nullum membrum est, alteri origo, & probat hoc, quia omnia membra animalis generantur ex eadem materia & ab eadem uirtute agente & ita omnia habent originem ab illa materia & uirtute agente, quomodo ergo unum membrum habet originem ab alio &c.

Secundo arguitur sic, quia uenæ, nerui, & arteriæ, sunt corpora obnoxia motui, quæ exponuntur motui, debent ergo constare ex materia quæ resistere possit ipsi motui, quæ debet esse, uiscosa, materia autem sanguinis, non est, niscosa, sed materia seminis est uiscosa, ideo hæc membra generantur ex semine, non autem ex sanguine, substantia autem epatis, & cordis, fit ex sanguine, ergo ista membra non generantur ex corde, uel epate, sed ex semine, quare &c. Tertio addit Galenus, secundo libro de administrationibus. Dicit enim omne membrum quod ex altero originem habet, est eiusdem speciei cum illo, & hoc patet in plantis dicit ipse. Quia plantæ quæ inferuntur sunt eiusdem speciei cum stipite, sed uenæ non sunt eiusdem speciei cum epate, hoc enim patet, ex temperamento, quia diuersa sunt specie temperamenta uenæ & Epatis, quomodo ergo ab Epate oriuntur istæ uenæ. Ad hoc dico, ex uerbis Galeni, quòd scilicet aliud est, membrum membro inhærere & aliud ex membro oriri, primum enim scilicet membrum membro inherere est, quando unum membrum alteri ligatur, aut cartilagine aut neruo, aut ligamento, membrum autem ex membro oriri dicit Galenus. Primo est, cum ex ipso oritur, & ex eadem materia, & tamen unum sit prius genitum altero, illud scilicet ex quo aliud oritur, & quod continetur in illo. Secundo requiritur, quòd unum seruiat alteri, in sua operatione, & hoc pacto possumus dicere neruos oriri ex substantia cerebri, quia sunt eiusdem speciei cum cerebro, quia. Primo generatur cerebrum, postea ipsi nerui, & seruiunt eius operationi. Arteriæ uero colligantur cordi & similiter & uene colligantur Epati, & Primo generatur cor, postea uero arterie, idem de epate, quia primo generatur epar, postea uenæ, similiter iuuant in eorum operarionibus, quare &c. Sed dubium est, quomodo arteriæ sint eiusdem speciei cum Epare, quia uidentur inuicem habere proportionem, dicit Galenus, quòd non oriuntur ex substantia cordis & epatis, sed ex paniculo inuoluentæ ista membra, ideo dicuntur ex illis oriri quare &c.

Sed domini hæc responsio non caret difficultate, quia caro epatis est principium generationis sanguinis, non autem ille paniculus, sed cum omne instrumentum debeat oriri, ex membro in quo est uirtus, sed in substantia epatis est uirtus generandi sanguinem, non autem in paniculo, ergo instrumenta & uenæ debenr oriri, ex substantia Epatis, non autem ex ipso paniculo, ergo &c. Domini dico quòd possumus dicere, quòd uenæ sunt eiusdem speciei cum Epate ipso, non autem formaliter, sed uirtualiter, quia uenæ habent uim alterandi, & decoquendi sanguinem, ideo uirtualiter porest dici oriri ex Epate, & hoc satis est, dummodo uenæ primo oriantur & generantur ex eadem materia Epatis, sine modo sit substantia epatis, siue sit paniculus ipsum epar inuoluens, non refert, utraque enim principia sunt materialia epatis, & hoc pacto sunt solutæ omnes rationes in oppositum, quare &c.

Erat ultimum argumentum Arist. ad probandum, quòd cor esset principium uirtutis nutritiuæ, scilicet quia cor. Primo generatur & statim cum genitum est nutritur, & primo uiuit & nullo alio nutrimento nutritur, quàm sanguine & cum nón aliunde habeat sanguinem, quia cætera membra non adhuc sunt genita, ergo cor est principium primum sanguinis, & etiam est principium nutrimenti. O'iam soluimus assumptum, quia ostendimus quòd cor non primo generatur, etiam dato, quod primo generatum esset, tamen non ualet argumentum, quia cor primo statim, cum genitum est non nutritur, nec sanguine facto in ipso, sed ex sanguine matris delato, per uenas umbilicales & ita soluta sunt omnia argumenta Arist. quibus probabar cor esse principium generationis, quare &c.

Nunc remanet reprobádum. quia dicit uirtutẽ sensitiuam esse in corde, non enim hoc est, nerum dicit Galenus, quòd scilicet uirtus sentiendi & uirtus secundum locum mouendi, demandentur ipsi cordi, sed ipsi cerebro, demandantur hæ uirtutes, & hoc probat Galenus experientia, solutionis continuitatis, quia dicit ipse, si uulneretur cerebrum statim animal amittit sensum, & collabitur deciditque. Percipimus tamen motũ corbis, econtra uero, si cor findatur, animal ipsum perdit motum pulsationis, non tamen de-

cidit & perdit motum localem, neque etiam sensum, immo incipit multum currere & clamare be neque per aliquod spatium currit. Itaque ergo colliso corde, animal non perdit motum, neque etiam respirationem, neque motum localem, neque sensum. Colliso cerebro, animal statim perdit sensum, & motum, ergo cerebrum, non autem cor, est principium motus & sensus. Assumptum patet dicit Galenus, de uictima ipsa, quia uidemus ipsam extracto corde, habere motum localem, & motum respirationis, & sensum, extracto autem uel uulnerato cerebro, animal amittit motum, & sensum, quare &c.

Secundo arguit Gal. ex intemperie calida, existente in cerebro, & in corde, si enim existit in cerebro, animal amittit sensum, & motum, & fit morbus qui delirium appellatur, si autem in corde fit huiusmodi intemperies non fiunt hæc, nec sequuntur, quare &c.

Tertio arguitur, quia cum somnus sit ligamentum sensuum exteriorum, quia obstruuntur meatus neruorũ, ex uaporibus pro quos meatus pertransit uirtus sensitiua ad organa, cum uolumus obstruere istos meatus, & inducere soporem. Quare non applicamus remedia cordi, sed ipsi cerebro, & damus cibos euaporantes ad caput non autem. Ad cor. Tum etiam quia dum uolumus applicare remedia deperditis sensus & deleti applicamus ipsi capiti, non autem cordi, sicut oxeladinum, &c. ergo in passione sensus (delirium enim passio sensus est) applicamus remedia ipsi cerebro, non autem cordi, ergo ipsum cerebrum, est principium sensus & motus non autem cor ipsum, quare &c.

Vltimo arguitur, quia sensus & motus uoluntarius, fiunt mediantibus ipsis neruis. Nerui autem oriuntur, ex cerebro, non autem ex corde, ergo in cerebro est uirtus sensitiua, & motiua, & in ipso generatur, idem enim membrum est, principium generationis alicuius uirtutis. Quare ergo ad rationes Arist. quibus probabat sensum & motum generari, in corde, & primo arguebat, quia omnes notiones appetitus sensitiui sicut timor, ira, tristitia, confidentia, apparent in corde. Dico quòd hæ passiones, non fiunt in corde, sed apparent fieri, quia in ipsis fit commorio sanguinis in corde, ideo definimus iram quòd est feruor sanguinis, circa cor. Et ita appetitus harum passionum est in corde. Vis autem sentiendi minime est in corde, quare &c. Arguebat secundo Arist. quia cor ipsum acutissime sentit, cerebrum autem non habet sensum tactus, ergo nec etiam cæteros sensus, unde dicit Arist. contra Platonem, cerebrum non magis sentit quàm quodlibet excrementum, quare &c. Dico ad hoc secundum Galenum, cum dicimus cerebrum caret sensu, quia sensu tactus, ergo & omni alio sensu, ergo &c. Dico uerum est, ergo cerebrum non est, principium sensus, quia cerebrum appellatur principium sensus, quia instrumenta deseruientia sensui immediate fiunt in cerebro, spiritus enim animalis qui est, instrumentum immediatum sensus, fit in cerebro. Calor enim uitalis & spiritus uitalis, fit in corde, quia calidum est & etiam ille spiritus calidus est, qui ascendit ad cerebrum. Cum factus est in corde, & ibi in cerebro frigiditate ipsius cerebri contemperatur, & sic fit spiritus animalis qui est, instrumentum sensus & motus, etiam nerui, qui sunt instrumenta sensus & motus, fiunt & oriuntur ex cerebro, ideo propter hæc dico instrumenta, sensus & motus, quæ fiunt in ipso cerebro, cerebrum dicitur principium sensus & motus, non autem quia sentiat, & hoc pacto nulla ferme est discordia inter Gal. & Arist. nisi in uerbis tantum, quia eandem sententiam habuerunt, uidetur etiam mihi, quòd melius loquatur Arist. quia uidetur mihi ualde extraneum, quòd Galenus ponat sensum & motum, in cerebro, appetitum autem horum ponat, in corde, quia uis appetendi est coniuncta sensui, & motui, & ab ipsis est inseparabilis, quare &c.

Quod addebas, secundo principale, scilicet quia cor, est principium omnium neruorum, Nerui autem sunt instrumenta omnis uirtutis, uoluntariæ, scilicet & sensus, & motus, ergo & cor est principium, & sensus & motus, quia in eodem membro, est generatio uirtutis & instrumentorum deseruientium illi uirtuti, sed Galenus in hoc irridet Aristotelem, & Auicenna dicit Galenum obtulisse multam pecuniam, aliquibus qui inuenerint aliquem neruum in corde & re uera ita est, quia Arist. putauit quòd nerui essent in corde, quod tamen falsum est, sed potius sunt ligamema illa, in corde, quæ assimilantur neruis, quare in hoc ut uera fateamur, ualde deceptus fuit ipse Arist. quare &c.

Lectio uigesimaquarta.

ERAT discrepantia inter Galenum Arist. & Platonem, de principatu ipsius animæ, an scilicet in animali, esset unum membrum principalissimum, cui attribuerentur, primo & principaliter omnes uirtutes animæ, adduxi uobis multas obiectiones Gal. contra ipsum Arist. quia Arist. ponebat, quòd cor esset primum, & principalissimum membrum, cui omnes uirtutes demandantur, adduxi quoq; solutiones ad rationes ipsius Arist. probantis opinionem suam, & ideo uidimus, quomodo Galenus euadit rationes ipsius Arist. Nunquid Aristoteles in hoc possit defendi, esto quòd hæc quæstio dubia & difficilis sit. Dico quòd facillime possumus ipsum Aristotelem tueri, de ueritate tamen non possumus iudicare, sed ipsam Deo remittimus quelibet

bet tamen uia probabilis & persuasibilis est &c.

Tres erant præcipue dubitationes in hac materia. Prima erat nunquid cor esset principium animalis, cui scilicet omnes uirtutes demandentur, & probat Arist. quòd sic. Quia in omni multitudine rectè ordinata, est unum principium, & tanquam princeps aliorum, dicit enim Arist. 12. metaphysicæ, entia nolunt male disponi, unus ergo princeps, cum autem animalis membra sit quædam multitudo, necesse est, unum membrum aliorum esse principium, cui omnes uirtutes demandentur, & attribuantur. Quia in animali sunt per multa membra, quorum aliquod est, principium alicuius operationis tantum, aliud alterius, ita quòd alia membra non possunt esse principium illius operationis, sicut pulmo, est primum principium respirationis, guttur uero uocis, lingua loquelæ, &c. ergo Dico Domini ad hoc, quod Arist. innititur legi naturæ. Quia in omni multitudine, rectè ordinata, secundum differentiam, est aliquod aliorum principium, hæc enim est lex naturæ, & Aristoteles conuenit legi naturæ, si autem aliter ipse Galenus sentiat, ipse non loquitur, secundum legem naturæ &c. quod dicebat secundo Arist. probans quòd cor, esset principium primum in animali, Quia scilicet non potest pati sensibilem læsionem. Huic rationi aduersatur Galenus 3. de locis affectis, ubi dicit, quòd cor patitur sensibilem læsionem, & ita cor non est primum principium, sed cerebrum ipsum; Cor enim patitur sensibilem læsionem, quia uulnerato corde animal adhuc per aliquod spatium uiuit, & per diem dicit Galenus, & sentit & mouetur & currit & clamat animal ipsum, uulnerato autem cerebro, animal statim decidit & deperdit sensum & motum & statim moritur, dum tanguntur uentriculi ipsius cerebri, quare &c.

Dico primo ad hoc, quòd inter ea uerba quæ recitauimus ipsius Galeni sunt alia ipsius Galeni uerba, quæ faciunt pro Aristotel. quia dicit Galenus quòd ex intemperie cordis, tolluntur temperies, & operationes aliorum membrorum, stante autem intemperie cerebri, adhuc cor habet suas operationes, quia habet pulsationem, itaque ergo si tu accipias illa uerba præcedentia pro Galeno, ego accipiam ista pro Arist. Possunt tamen aliqui dicere ad hæc quòd cor potest parti, secundum effectum naturam, scilicet secundum temperamentum & complexionem, tamen secundum solutionem continui, & secundum diuisionem, non potest pati, & tunc ad argumentum cum dicis, secundum uerba Galeni, quòd ex intemperie cordis, tolluntur temperies cæterorum membrorum, ita secundum hoc, dico, quòd cor non potest pati sensibilem læsionem intemperie scilicet, quia cætera membra, scilicet patiantur, si autem loquaris de solutione continui, & diuisibilitate eius. Dico quòd cor est, facilioris sensibilitatis læsionis posse, scilicet, pati melius sensibilem hanc læsionem, quàm cerebrum ipsum, quia extracto corde, animal adhuc per diem potest uiuere, diuiso autem cerebro, usque ad uentriculos, animal statim moritur, & in hoc consistit principatus membrorum, ideo &c. Secundo dico quòd si consentiamus Galeno, quòd animal uulnerato corde etiam per diem uiuat, uulnerato autem cerebro statim moriatur, possumus dicere quòd hoc est per accidens, quatenus animal non potest operari, & uiuere, sine spiritu animali, qui fit, & est in cerebro, fit enim spiritus animalis in cerebro, ex spiritu uitali, primo generato in corde, ideo accidit cerebro, quòd spiritus uitalis generatus in corde ascendat ad cerebrum ubi ex frigiditate cerebri, eius calor contemperatur & efficitur spiritus animalis, & ideo per accidens hoc euenit, non quia cerebrum sit membrum nobilius, ipso corde, sed quia accidit cerebro, ut in ipso fiat spiritus animalis. Quia forsam etiam si spiritus uitalis ad alia membra animalis demandetur, eorum frigiditate contemperaretur, & fieret spiritus animalis &c.

Addebatur secundo, quia cor est, primum membrum quod generatur in animali, ergo etiã est principium cæterorum membrorum, Galenus autem in lib. de generatione fetus dicit, quòd nõ est cor, quòd primo generatur, sed est ipsum epar, & ideo recitauit illud dictum ipsius Hipp. de abhorto ipsius mulieris, dicit enim quòd in embrione illo, uisum est, unum membrum distinctum, quod putabatur esse epar, sed tamen de hoc domini difficile est scire ueritatem, utraque enim opinio probabilis est, non autem habent demonstrationes, neque rationes demonstratiuæ Arist. etiam in lib. de hist. animalium cap. 3. dicit quòd in ouis ex quibus generatur auis primis diebus inuenitur quoddam Globum sanguineum, quod per substantiam oui ducit quosdam meatus sanguineos, & hoc est, cor ipsum, quis tamen scit hoc & ita quælibet opinio potest tueri nec rationes Gal. probant opinionem suam aduersus Arist. quia dicit Galenus cuius membri facilior est generatio illius prior est generatio, Dico, quòd non sequitur hoc, quia sit facilioris generationis quòd sit uelocioris, quia alia ratione cor primo generatur, non enim primo generatur, quia scilicet sit facilioris generationis, sed ideo quia scilicet cor est membrum, natura prius ceteris membris a quo scilicet cetera membra dependent, &c. Arguebat, secundo Galenus, quia animal dum generatur, primo uiuit uita plantæ, ideo non indiget, quòd cor primo generetur, quia scilicet non indiget sensu, uel motu, uel pulsatione, sicut nec planta habet has operationes. quæ fiunt a corde & cerebro &c. ergo

 animal

animal primo indiget epate non autem corde, primo enim debet generari epar quam cor. Dico quòd hoc argumentum ualde leue est, quia etiam hoc argumentum probat quòd fœtus completus in utero matris non habet cor neque cerebrum, quia adhuc uiuit uita plantæ, quia sicut planta trahit nutrimentum a terra per radites, ita fœtus trahit nutrimentum a matre, per uenas umbilicales, ergo si hac de causa, scilicet, quia uiuit uita plantæ, fœtus non indiget, pulsatione & sensu & motu, semper uiuit uita plantæ donec stat in utero matris; quia semper nutritur ex sanguine matris attracto per uenas umbilicales, ideo cùm dicunt fœtum uiuere uita plantæ, non intelligunt quòd careat pulsatione, sensu, & motu; sicut faciunt plantæ, sed intelligunt per hoc, quòd sicut planta stat affixa terræ, & per radices trahit sui nutrimentum a terra, ita fœtus stat affixus utero matris, & per uenas umbilicales trahit nutrimentum a matre, & ita rationes Gal. nullæ sunt contra opinionem Aristotelis; quare &c. De ueritate autem domini dico, quòd deus scit, satis est, quòd pro utraque parte sunt coniecturæ &c. Erat secunda dubitatio, principaliter, quia dicebat ex Arist. quòd cordi primò attribuitur uirtus uegetandi, & nutriendi scilicet, & probabat primo Aristoteles, quia cor est principium omnium uenarum, ergo etiam & generationis ipsius sanguinis; quia omne membrum in quo fit aliqua uirtus, fiunt & instrumenta necessaria, ad illam uirtutem, quare &c.

Aduersus Aristotelem instabat Galenus, primo quia partes animalis inferiores, nutriuntur ex uena quæ exit ab epate, non autem a corde, ergo &c. nutriuntur enim partes animalis inferiores a parte illa uenæ quæ exit a gibbo epatis, non ergo omnium membrorum nutritio est a corde; quare &c. Tum etiam adducit Galenus, quia si cor esset principium generationis huius uirtutis scilicet, in corde essent duo uasa, & duæ uenæ necessariissime ad hanc uirtutem, unam, scilicet per quam defertur materia sanguinis, in corde aliam quæ deferat sanguinem iam confectum, ad nutriendum cætera membra, patet hoc inductione, quia cor indiget aere quem ipsum recipit a pulmone ut euentetur in sinistro sui ex arteria uenali, postea, cum amplius illo aere non indiget expellit ipsum non per eandem arteriam, sed per omnes alias arterias & per pulsus, sed in corde non sunt duo uenæ necessariissime ad uirtutem generatiuam; ergo nec uirtus generatiua fit, in ipso corde; quare &c. Tum etiam addebat Galenus, quia sanguis perfectissimæ assimilatur substantiæ epatis, non autem cordis, ergo sanguis non generatur in corde, quia omne membrum generat humorem sibi simile ut scilicet, ex ipso nutriatur, quare humor generatur in isto membro cui maxime assimilatur, sed sanguis, quo nutriuntur membra, per similis est epati, non autem cordi, ergo in epate generatur non autem in corde, sanguis, quare &c. Confirmabatur etiam, quia in eodem membro generatur humor & excreméta, & superfluitates illius humoris, sed excrementa sanguinis generantur, in epate, ergo & sanguis ipse in epate generatur, quare &c. quòd autem hæ superfluitates fiant in epate, probauimus ex Galeno, quia uesica, & renes attrahunt bilem atram ab epate; & renes etiam serosum trahunt humorem seorsum ab epate, ergo in epate fiunt hæ superfluitates, quare &c. Confirmabatur etiam, quia epar, cum male afficitur male afficitur uirtus generatiua, in animali, unde animal laborat illo morbo, qui appellatur aqua intercutim, & transmutatur in suo calore, quod ergo dicit Arist. ad has rationes Galen. quare &c. Dico quòd facile Respondent peripatetici, & ex Alexandro in paraphr. sua de anima, faciliter; Respondetur & ita primo secundum istos dicendum, quòd duplex est, sanguis, in animali unus imperfecte coctus & non est uerus sanguis, & hic generatur in epate, alius est sanguis perfecte coctus & iste meretur simpliciter dici sanguis, & iste est perfectus sanguis, & est ille qui generatur in corde & hoc est, principale nutrimentum membrorum, quia primus sanguis nō sufficit ad nutriendum membra, nisi concurrat iste sanguis generatus in corde, qui est sanguis arterialis & hoc est, perfectum & cōpletum nutrimentum animalis, quod generatur in corde; ideo natura optime fecit, congiungendo cùm qualibet uena, suam arteriam, ut perfecte nutriatur animal ipsum, non enim sanguis uenalis solus posset nutrire membra animalis, quare &c.

Disceptatio etiam maxima fuit inter medicos utrum scilicet animal ipsum nutriatur sanguine arteriali. Aliqui uoluerunt, quòd sic, Galen. autem uoluit arterias esse factas, solum propter euentationem caloris naturalis, Arist. autem non solum propter hoc, sed etiam propter membra nutrienda, uoluit arterias fuisse factas & dicit, cùm in phlobothomia, trahitur sanguis a uena trahitur etiam ab arteria, ideo patet, quòd Arist. etiam uoluit sanguinem generari in epate, sed tamen ille est imperfectus sanguis, & simpliciter nō debet dici sanguis, ideo dico, quòd Arist. loquutus est de sanguine, qui fit in corde, & tallis sanguis simpliciter potest dici sanguis, quòd dicebat secundo, quia cor est primum principium uenarum, Galen. autem dicit, quòd est epar, quia maximus truncus uenæ cauæ fit in epate, & omne principium maius est principato, cum ergo magnus truncus uenæ cauæ fit in epate illa ab epate oritur & principium ducit, quare &c. si tu dicas, O' non est uerum, quòd scilicet omne principiū est maius principiato, quia spinalis medulla est, minor,

minor, quàm sint nerui dispersi per totum cerebrum ex quibus ipsa oritur, quare &c. Dico dicit Galenus. quòd non est uerum hoc, immo nerui oriuntur, ex spinali medulla, sicut radices plantæ oriuntur ex parte media ipsius plantæ, quæ maior est, & primo oritur, & ita Gal. uult, quòd hæc propositio sit uerissima, quòd scilicet omne principium sit maius principiato suo. Dico domini ad hoc argumentum Galeni primo, quòd Galen. loquitur de uenis, quæ deferunt sanguinem a corde, & Arist. eas appellat uenas, quia antiqui appellarunt arterias etiam uenas ipsas, & ita Arist. loquitur de uenis deferentibus sanguinem, de quo loquitur, loquitur de sanguine arteriali, ergo & loquitur de arteriis, quare &c. Secundo etiam dico quia adhuc rectius loquitur Arist. si etiam intelligamus de uenis sanguinem deferentibus ab epate, quia ille eximius uir Andreas uessalius oculata fide ostendidit mihi, quòd uena caua oritur a corde, & in ipso aperitur, in epate autem non aperitur, quia ipse dixit, scilicet Andreas, quòd misit stilum fereum per dextram auriculam cordis & uidimus ipsum pertransire sub epate & exire & pertingere ad truncũ illum uenæ cauæ, quæ defertur super dorsum hominis, ideo sicut experientia uidemus sentit rectius de hoc Arist. quàm Galen. Nec maximus est truncus uenæ cauæ, qui exit ab epate, immo maior est, ille qui oritur a corde, & continuo subtiliatur, & descendit deorsum ad partes inferiores, scilicet sub septo transuerso, ideo plures Anhatomici ut Mondirius, & ceteri fauent Arist. ipsi quare &c.

Quod dicebatur tertio, quòd si uenæ orirentur a corde, haberent motum pulsatis, sicut habent ipsæ arteriæ, quia ipsæ oriuntur a corde. Dico quòd dissentiunt Galen. & Arist. in alio principio, quia sicut etiam diximus supra, Galen. nõ uult, quòd arteriæ dilatentur & constringantur, quia recipiunt sanguinem & spiritum a corde, constringuntur autem, quia ipsum expellunt, sed dicit Gal. quòd ideo recipiunt sanguinem & spiritum, quia scilicet dilatantur & ipsum expellunt, quia constringuntur & ita uult Galenus, quòd cor habeat per se istum motum, & sine sanguine, & spiritu, & consequenter arterie ipse, & quòd ista uis insit, per se cordi, ex natura sua, Arist. autem in lib. de causis respirationis totam causam pulsationis non attribuit ipsi cordi, quia scilicet in corde sit illa uis, & natura pulsationis, sed imaginatus est Arist. illam pulsationem cordis, fieri ex feruore sanguinis, in corde, quia cum sanguis, in corde concoquitur. feruet, ideo ex feruore tumescit, & attollit arterias, & ita ipsæ arteriæ deciduut, & fit motus constrictionis, & ita uidetis quomodo Galenus, & Arist. sunt diuersi, in hoc motu pulsationis, quæ autem sit ueritas ut dixi difficile est uidere domini de rebus. Tam occultis, solum deus scit ueritatem &c. & ideo secundum opinionem Arist. dicemus ad argumentum Galeni, quòd ideo uenæ & si habent principium a corde, non pulsant, quia ipsæ non deferunt sanguinem feruentem, sed tantum deferunt sanguinem, qui est in dextero cordis, qui non est. tam calidus, ut scilicet ferueat, & ideo non fit ille motus. Arteriæ autem quia deferunt sanguinem feruentem, qui modo tumescit modo refrigeratur, ipsæ etiam modo dilatantur modo constringuntur, quare patet solutio &c.

Quòd dicebat tertio Galen. quia uena portæ nullam habet colligantiam cum corde, quare &c. Dico quòd uena portæ non proprie est uena, quia illa non defert sanguinem, sed chilum quod est, album, Arist. autem loquitur de uenis differentibus sanguinem, quare &c. Remanet alia dubitatio, quia Arist. scilicet dicebat quòd uirtus sensitiua etiam primo demandatur cordi, ita quòd cor sit principium sensus & motus. Reprobauit autem Galenus opinionem Arist. Primo, quia colliso cerebro, animal amittit sensum & motum, & uulneratis uentriculis cerebri animal ipsum defficit, colliso autem corde animal non amittit; nec sensum nec motum, sed tantum perdit pulsationem, iste ergo uirtutes fiunt in cerebro non autem in corde, probabat Galenus quia in affectibus sensus, sicut in deperditione sensus & in delirio, & in somno, non applicamus remedia, ipsi cordi, sed cerebro, ergo in cerebro fit sensus, quia non ligamus sensus nisi ubi sunt, quare &c. Addit etiam Gal. si permutetur ipsum ex sui temperie naturali ut quòd inflametur, non fit delirium ipsum, si autem inflametur cerebrum a suo naturali temperamento, ita quòd superflue calefiat, fit ipsum delirium, sed delirium ut patet omnibus, est passio sensus ergo sensus sunt & fiunt in cerebro, quare &c.

Ad hæc dico domini, facillime enim euademus hæc argumenta Gal. quia omnia ista quæ dicit Gal. uera sunt. Nec tamen ex ipsis sequitur, quòd hæ uirtutes sensus, scilicet & motus fiant in cerebro, & non in corde, & primo cum dicis, colliso corde, animal non statim amittit sensum, & motum, dico quòd hoc est, per accidens, quia si etiam incisum sit cor, remanet tamen, ut relinquunt spiritus, in membris, qui spiritus faciunt has operationes per aliquod spatium temporis. O' dices male affecto cerebro & ipso colliso statim perditur sensus, & motus ergo &c.

Dico quòd non sequitur colliso cerebro, statim perditur sensus & motus, ergo in cerebro fiunt hæ uirtutes, quia hoc fit ex sententia Arist. quoniam cerebrum concurit ad hæc opera. quia ista opera fiunt a spiritu animali, qui primo generatur in corde, & quia est nimis feruens, ascẽdit ad cerebrum & ex frigiditate cerebri, contemperatur, & fit spiritus animalis, qui est imme-

meditatum instrumentum harum operationum, ideo per accidens accidit hoc, scilicet inquantum in cerebro continetur spiritus animalis &c. Etiam applicamus remedia paßionum sensus capitis, non propter hoc, quia cerebrum sit horum principium, sed quia accidit cerebro, quòd sui frigiditate temperatur spiritus uitalis, & fiat animalis, quare &c. Postea etiam in his paßionibus applicamus remedia cordi, Quòd etiam dicitur, quòd superflue calefacto corde, non amittitur sensus nec motus & non fit delirium, calefacto autem cerebro fit delirium, Dico quòd cor etiam cum sit supercalefactum, & laboret febre, adhuc generat spiritum uitalem calidißimum, tum etiam feruentißimum, qui etiam ascendit ad cerebrum, & ab ipsius frigiditate contemperatur, & ita etiam fit spiritus animalis, quòd est immediatum instrumentum sensuum, quod etiã addit quia extracto corde animalis, adhuc mouetur animal & currit &c. extracto autem cerebro moritur statim, quare &c. Dico quòd iste non est motus uoluntarius, uel dicamus, sicut dixit Auer. cuidam adducenti hoc argumentum dixit enim se uidisse uictimam extracto corde per ambulasse per tres passus, cui respõdit Auer. Ego uidi asinum deciso capite, de ambulasse per quinque passus, & ita finita est hic quæstio, & si in ipsa magis me dilataui, quàm libebat parcatis domini, hæc solum uolui dixisse, propter meam satisfactionem, ut scilicet dicerem quæ mihi in mente erant de tali quæstione.

Textus septimus.

FORMIDANDUM autem quatenus non lateat, utrum una ratio ipsius est, sicut animal aut secundum unumquodque altera, ut equi, canis, hominis, deique, animal autem uniuersale, aut nihil est aut posterius, similiter autem & si aliquod commune aliud prædicetur.

Lectio uigesimaquinta.

CAVENDUM *autem est ut non lateat &c.* Dupliciter exponitur hic textus, primo modo a Simplicio & Themistio, qui ita exponunt, quòd Arist. postquam dixit, quòd in uestiganda deffinitione animæ, accidũt difficultates. Nũc iminet nobis alia dubitatio, nunquid scilicet hæc deffinitio, scilicet de anima, inuestiganda sit generica, ut aliæ, uel specifica, ut hominis, & causa dubitationis est ista, Quia omnis deffinitio est rei subsistentis, non entis enim domini non est, deffinitio, nisi quid nominis, ut dicebat Arist. 2. posteriorum, cap. 2. sed genus non subsistit, genus enim ut dicit Themistius, aut mera notio est, sine aliqua euidenti soliditate, sed ex tenui subobscuraq; similitudine singularium collecta, &c. species autem dicit, ~~materiam~~ animam aliquam subsistenteni, species enim natura quædam esse amet, ergo uidetur esse danda deffinitio animæ specifica, non autem generica, hæc est, ratio huius quæstionis secundum Themistium, & Simplicium, & ita Arist. postquam quæsiuit an animæ essent eiusdem speciei specialißimæ, an eiusdem generis proximi, an diuersarum specierum, an diuersorum generum. Nunc uult adducere aliam dubitationem, an scilicet quædam sit deffinitio animæ generica, an specifica, quia uidetur quærenda esse deffinitio animæ specifica, non autem generica, quia omis deffinitio est rei subsistentis, genus autem non subsistit, sed species ipsa, ergo &c. Et tunc Arist. soluit hanc dubitationem dicens, quòd hæc deffinitio animæ quærenda est tum generica, tum specifica, dicit, enim Arist. uniuersale animal, aut est nihil, aut posterius suis singularibus, & quicquid aliud communiter prædicatur, hæc est, & species, hoc est dictũ secundũ Them. & Simplicium, licet tamẽ obscure isti loquantur deffinitio animæ, quærenda est, tũ generica tũ specifica, quia omne animal uniuersaliter prædicatur, idest tam genus, q̃ species nullam habet subsistentiam, ideo nulla est differentia in hoc, an quæramus deffinitionem animæ genericam, uel specificam, quia animal & omne illud quod communiter prædicatur, aut nihil est, aut posterius est, suis singularibus, quia sunt rationes collectæ, ex singularibus, in ipso intellectu. nec maiorem subsistentiam habet species, quàm genus, hæc est expositio Simpl. & Them.

Alia est expositio quæ melior est, iudicio meo, quæ est Ioan. Grammatici, scilicet & Alexan. ut scilicet Arist. reddat aliam difficultatem ex parte inueniendi deffinitionem animæ, quia scilicet dixit, quòd in ista deffinitione animæ, quærende erant plures difficultates, nunquid scilicet animæ sint eiusdem speciei, uel diuersæ, & si diuersæ, nunquid differant genere, & specie, uel specie tantum, ideo Arist. nunc addit aliam difficultatem, idest, esto, quòd animæ differenetes specie, conueniant genere. Nunquid scilicet poßimus, quærere unam deffinitionem communem animæ genericam quæ sit tanquam genus cuiuslibet animæ & ratio huius difficultatis est ista, & eam aßignat, Arist. quia duplex est genus, quoddam est genus uniuocum, quod non habet ordinem in suis speciebus, sed equaliter de omnibus ipsis prædicatur, sicut animal respectu canis, equi, hominis &c. & istud est genus uniuocum, quia canis tantum est animal, sicut & homo & equus, & ita etiam de equo & homine, & istud genus habet deffinitionem. Aliud est genus equiuocum, non autem uniuocum, quod habet ordinem in suis partibus subiectiuis, quia de una prius, quàm de alia specie dicitur, & istud genus haud habet deffinitionem, ut si sumamus animal

mal quod est genus, commune cani equo & homini, & deo, quia etiam deus dicitur esse animal, tunc tale genus equiuocum est, & habet ordinem in suis speciebus, quia una species, est natura prior altera, & per prius animal dicitur de una specie, quàm de altera, ut deus est natura prior aliis speciebus, quia prius animal dicitur, de ipsa, quàm de aliis, si ergo capiamus tale genus, quod habet ordinẽ in suis speciebus, tale genus est equiuocum, & ipsius equiuoci nõ est deffinitio, itaque neque huius generis est deffinitio, ita etiam cum uideatur esse ordo inter species animæ, ad communem animam, quod est genus, quia anima uegetatiua est natura prior sensitiua, & rationali, quia posita sensitiua, & rationali, necessario ponitur uegetatiua, sed posita uegetatiua non necessario aliæ ponuntur, Plantæ enim uiuunt sola anima uegetatiua; ex Arist. enim in post prædicamẽtis habetur, quod illud est natura prius, quo posito non necessarie est, quod alia ponãtur, sed aliis positis necesse est ipsum poni, cum ergo anima, quod est genus, habeat ordinem in suis speciebus, & sit genus equiuocum quæritur, nunquid animæ deffinitio sit generica, & ista est difficultas, quæ nobis remanet, scilicet nunquid animæ sit deffinitio generica, quæ scilicet conueniat omni animæ, & ratio est, quia si anima esset genus uniuocum, bene eius esset deffinitio, non si esset genus equiuocum, sicut uidetur, eius non esset deffinitio, quia equiuoci non est deffinitio, hæc expositio est primorum uerborum, secundum Ioannem Grammaticum, & Alexandrum, &c.

Sed tu dices quid dicendum est, huic dubitationi, quia Arist. ipsam non soluit, nec aliquid dicit, quod scilicet ad hanc quæstionem pertineat, quia uerba sequentia sunt alterius sententiæ, O' dicit Ioan. dicendum, quòd reuera deffinitio animæ dabitur communis, & generica, ut uidebimus inferius, & si tamen ipsa anima habeat ordinem in suis speciebus, secundum materiam prior est uegetatiua, secunda sensitiua, tertia rationalis, quia deffinitio quæ dabitur de anima, non est uera deffinitio, & una, sed est una, analogia, & proportione quadam, quia est ordo inter species animæ, unde possumus quærere unã deffinitionem competentem cuilibet animæ, sed ista non esset uere una, sed per Analogiam una, & tunc Arist. addit illa uerba, *animal autem aut nihil est, aut posterius, similiter & si aliquod commune aliud prædicetur*, id est species. Sed quorsum, dicit hæc uerba, Arist. uos dicetis, O' dicit quia, iam dixit, quòd unum est genus, in suis speciebus, & habet ordinem, & aliud non subdit, modo animal, cuius paulo ante meminimus, quod potest esse uniuocum, & equiuocum, aut nihil est, aut si aliquod est, quòd deffinitur quia ipsum prædicatur de suis speciebus, est posterius suis singularibus, hæc uerba domini quattuor habent expositiones, prima inquit Ioã. est, quòd Arist. proferat hæc uerba, ut inuehatur contra Plat. quia ipse Plat. posuit genera & species esse ideas in mente diuina & exemplaria, quædam, sicut in artifice est exemplar rerum fiendarum, ideo dicit Ioannes Arist. dicit contra Platonem animal, aut quòd est uniuersale, aut nihil est &c. quod neque uniuersale Plat. ponat, esse ideam, & exemplar in mente diuina, & quòd dico de genere intelligatis de omni communi ut de specie, sequitur ergo, quòd genera, & species non sunt exemplaria in mente diuina nam ille ideæ in mente diuina, sunt causæ omnium singularium, ut dicit Plat. ergo essent priores illis, sed inquit, Arist. quòd sunt posteriora suis singularibus, ergo genus & species non sunt exemplaria, in mente diuina, & hæc etiam est expositio Auer. horum uerborum, sed hæc expositio non placet Ioan. Grammatico, neque etiam Alexandro. Quia Arist. non differt a Plat. in hoc, sicut, & Plato posuit genera, & species, in mente diuina sicut exemplar, ita etiam & Arist. posuit, non ergo affert Arist. ista uerba, contra Platonem, & quòd Arist. in hoc consentiat Platoni, probant ipsi primo, quia Arist. 12. met. dicit, quòd duplex est ordo, Vnus in exercitu, alius in imperatore & dicit, ille qui est in mente imperatoris, est causa alterius ordinis, qui est in exercitu, etiam est aliud exemplum Arist. qui dicit ibi, quòd duplex est sanitas, una est, quæ est in anima medici, alia uero, quæ est in Socrate, illa quæ est in Socrate, oritur a prima, ut prima causa est. Secundo dicit, corpora quæ habent secundum ordinem, primo est, Terra postea aqua postea aer, postea ignis, postea Luna, iste ordo habet causam in primo opifice, nam Deus uoluit ista corpora ita disponere. Deus ergo habet exẽplaria, & notiones & ideas omnium horum corruptibilium, quare ergo Arist. est eiusdem sententiæ cum Platone quare &c.

Tum etiam quia tertio huius Arist. inquit, intellectus, qui est actus est ille qui intelligit, id est est illa res quã intelligit ipse exponit Alexãder intellectus actu est ille cœlestis, id est intellectus agẽs potentia uero, intellectus est humanus, quia intellectus humanus potest intelligere, & non intelligere, & cur iste est actus dicetis uos, O quia omnia primo sunt notiones in deo, & omnia quæ generantur habent esse in primo opifice, quare &c.

Tum etiam 12. met. dixit Arist. mens diuina cõtinet in se, & intuetur omnes formas caducas, cũ ergo dicis intuetur omnia corruptibilia in deo ergo sunt exemplaria omnium horum, ergo Aristoteles in hoc consentit ipsi Plat. quare &c.

Ideo est secunda expositio horum uerborum, Alexandri in lib. naturalium quæstionum problemate undecimo ubi dicit Alexãder, quid nã sensu

ra

rit Arist. in hoc tex. & dicit Alexandr, quòd iste est sensus illorum uerborum, scilicet quòd animal quod est uniuersale, idest quod est commune homini equo, & deo, & habet originem in suis speciebus, illud tale, aut nihil est, aut est posterius suis singularibus, cum ergo genus animæ sit idem, cum ipso de quo quærimus, quia & ipsum habet ordinem, in suis speciebus & sicut illius nō habetur uere una deffinitio ita nec istius scilicet animæ, habebitur uere una deffinitio, quasi quòd Arist. per hæc uerba innuat, quòd illa deffinitio, quam dabimus, de anima non erit uere una deffinitio, sed proportione quadam. Et ideo dicit si deffinitio animæ est una, est sicut unius uocis, quia secundum uocem cuilibet animæ est, communis, & subdit Arist. illa uerba, *& si quod commune est aliud*, exponit Alexander si aliquod aliud est, quod prædicetur communiter, sicut animal quod est commune homini, & boui &c. & sicut istud non habet unam deffinitionem, nec etiam illud, habebit unam deffinitionem communem, quare &c.

Secunda expositio quam hic citat, Ioan. est, quòd possumus intelligere uerba Arist. de omni genere, siue equiuoco, siue uniuoco, dum modo sit uniuersale, quia omne uniuersale aut nihil est, aut si aliquid est, posterius est, suis singularibus, quia quatenus uniuersale, non potest deffiniri, animal enim quatenus uniuersale, & quatenus genus & similiter homo, quatenus, uniuersale & species est, non potest deffiniri, quia deffinitiones generum & specierum, non dantur quatenus sunt uniuersalia, quia quatenus uniuersalia, non habent deffinitionem, quia omnis deffinitio debet esse rei subsistentis, uniuersalia autem non subsistunt, quatenus uniuersalia sunt, quia animal quatenus genus & uniuersale non subsistit, ergo ipsorum uniuersalium quatenus, uniuersalia, non est deffinitio. Quia ergo deffinitio de anima est nobis danda, ideo non quærimus de illa deffinitionem quatenus est genus; quia generis non est deffinitio qua genus est, ista enim quatenus genera non subsistunt, quia sunt notiones collectæ ex singularibus in intellectu, quare &c.

Tertia expositio Alexandri alio pacto est, quòd scilicet uniuersale est duplex, unum est, quod est prius suis singularibus, aliud est, quod est posterius. Vniuersale quod est prius singularibus, est illud exemplar quod est in primo opifice, & notio illa, & hæc est causa suorum singularium, ipsa enim sunt, quia Deus prius habuit exemplar & hoc uniuersale, ex quo est causa suorum singularium, est etiam ipsis prius, omnis enim causa est prior suo causato, uniuersale autem quod non est prius suis singularibus, sed posterius, sunt actiones collectæ, in anima rationali, ex suis singularibus, deffinitiones ergo uniuersalium quas debemus quærere, sunt deffinitiones uniuersalium, quæ sunt posteriora suis singularibus, non autem uniuersalium, primo modo. Quia cum deffinitur animal deffinitur illa notio collecta, ex suis singularibus in anima rationali, nec tamen pro se ipsa, sed pro singularibus, quia illam notionem nos non uidemus, ideo cum dico animal est corpus animatum sensibile, deffinio illam notionem, non pro se ipsa, sed pro singularibus, suis, illa enim notio non est corpus animatum, quare &c. Sed hic est dubitatio, quomodo scilicet Ioannes, & Alexander dicunt, quòd Arist. consentit ipsi Platoni, in positione idearum in mente diuina, hoc tamen uidetur falsum. Quia Arist. 7. met. & primo poster. dicit, cessent ideæ Platonis, quia nihil sunt, aut si aliquid sunt nihil ad nostram demonstrationem pertinent, quare ergo Arist. reprobat, Plat. in hac opinione idearum, quare &c. Tum etiam quia 12. met. dicit Arist. melius est menti diuinæ non nosse quædam, quàm nosse, & per quædam, intelligit Arist. ipsa corporalia, & caduca. Nam cognitio uilis non pertinet ad deum, sicut nec cognitio rerum uilium, quæ sunt in domo imperatoris, non pertinet ad imperatorem. Rei enim uilis cognitio & ipsa uilis est. Quomodo ergo Arist. ponit hic horum corporalium notionem in mente diuina, quare &c. Tum etiam, quia ex hac opinione, est dare infinita in actu, quia cum indiuidua sint infinita, quæ ab eterno fuerunt, & erunt, si horum omnium est notio in mente diuina, ergo deus ipse cognoscit infinita actu, quod repugnat Arist. Quomodo ergo Arist. consentit Platoni. Dico domini, quòd de hac re sum ualde dubius quid nam senserit Arist. & dicit Alexander, quòd nihil certius habet de prouidentia diuina, in his singularibus inferioribus corruptibilibus, & in hoc differunt philosophi ualde, Auer. enim uult, quòd deus non habeant cognitionem horum inferiorum corruptibilium, nisi per accidens, id est nisi quatenus deus in se continet omnia & omnium perfectionem, in gradu perfectiori, & ideo intuens se ipsum, intuetur omnia, quia intuetur rem continentem perfectiorem, omnibus rebus, & continentem perfectionem omniū rerum; ideo cognoscit omnia non in seipsis, sed per accidens, quatenus scilicet illa in deo continentur, quare &c. Reliqui expositores, ut Io. & Them. dixerunt, quòd intellectus diuinus habet notitiā, per se horum corruptibilium non ipsorum singularium, sed generum, & specierum, singularium autem, non habet notitiam, nisi per accidens, quatenus continentur in ipsis uniuersalibus, & ita dico, quòd hoc ponimus genera, & species, in mente diuina, sicut etiam posuit Plato, & ipsa comprehendit deus non sub esse indiuidui, & corporalis, sed sub esse perpetuo, scilicet generico specifico, quod perpetuū est, quare &c.

Obiiciebamus, quia Arist. 12. met. & in primo post. reprehendit Plat. in hoc quòd scilicet posuit ideas, quare. Dico quòd Arist. reprehendit uerba Plat. non autem sensum ipsorum, ne scilicet illa uerba sint causa errandi ipsis hominibus, ideo reprehendit illa uerba, quasi quòd Plat. per ipsa uoluisset ideas esse substantias quasdam separatas a mente diuina, & quòd sint sicut tabellæ pictæ assistentes menti diuinæ, quas scilicet speculetur sicut artifex, cum uult facere aliquam rem, habet exemplar illius rei, ideo Arist. reprehendit uerba Plat. quasi quòd haberent hunc sensum, sed in rei ueritate idem uult Plato quod Arist. hæc est, opinio horũ philosophorum, de mẽte diuina, & de ideis, sed quam prouidentiam in rei ueritate Arist. posuerit in deo ipso, dicit Alexander difficilioris est, perscrutationis, quia de hoc nihil certi habemus ab Arist. Quantum tamen potest capi ex uerbis Arist. Dicit ipse, nullam habet prouidentiam istorum inferiorum, & corruptibilium nisi per accidens, si aliquam habet, quia omne agens dicit Arist. quod per se operatur, ex prouidentia intendit utilitatem alterius cuius gratia operatur, & operatur agens gratia illius, quia agit gratia boni illius, ut sit, aut ut melius sit, sed intellectus diuinus tantum per se agit, & gratia sui, non autem gratia alterius id est, si enim ipse mouet cœlum, ab ortu ad occasum quia mouet, mouendo semet ipsum tantum, mouet propter se ipsum, non autem propter generationem, & conseruationem, horum inferiorum corruptibilium. Et ita non operatur nisi propter se, ergo dicis non habet prouidentiam horum corruptibilium, & ne dum ipse. Primus motor, sed etiam aliæ substantiæ separatæ, omnes agunt aut propter se ipsas, aut propter finem uniuersalem, scilicet propter primum motorem, & ita agunt aut propter finem particularem, scilicet propter seipsas, aut propter uniuersalem, scilicet propter primum motorem, nullam ergo prouidentiam, habet dicis horum inferiorum, sed per accidens solum, quatenus scilicet, ex motu cœli quem intendit. Primus motor, propter seipsum prouenit utilitas, & commoditas horum inferiorum, quia ipsorum fit generatio, & corruptio, & ista uidetur mihi esse mens Aristotelis, pro nunc, quia alias disputabimus de ista prouidentia diuina, Plato autem recedit ab Arist. quia ipse ponit intellectum diuinum habere prouidentiam horum inferiorum, ut patet in decimotertio de Republica, & ob hoc dicit Plato, quòd sicut patet familias habet curam suæ domus, ita dicit habet prouidentiam totius uniuersi, & dicit, quia si boni non præmiantur in hoc seculo, præmiantur in altero, & Plato loquitur conformiter Theologis nostris, & ita dicit secundum Plat. ne dum habet prouidentiam in uniuersali horum inferiorum, sed etiam indiuiduorum, & in particulari, Arist. autem hanc curam & prouidentiam particularem, in deo non ponit, quia aliter non posset defendi sua opinio, & tota sua philosophia rueret, & præcipue illud quòd Arist. ponit, deum ex necessitate agere. & necessario mouere, non tamen cogitur, quia libenter ipsum facit. Quia illa perpetua actio, & motio, & operatio, est eius perfectio, ita quòd non cogitur, & tamen necessario agit, nec habet libertatem humanam, quia illa libertas humana agendi, scilicet & non agendi dicit imperfectionem in ipso deo, itaque ergo si poneremus deum libere agere, & non necessario diceret potius imperfectionem, itaque dicit non habet prouidentiam horum inferiorum singularium & indiuiduorum, quia si haberet prouidentiam, quomodo ergo possent solui argumenta, quòd scilicet multa sunt producibilia, quæ tamen nunquam producuntur, & etiam qua re potius nunc generatus est, Soc. & non Plat. quia si haberet, dicit, omnium prouidentiam, oporteret reddere rationem huius differentiæ, sic deberent omnia esse bene disposita, & cum recta ratione, & ita curremus ad uoluntatem diuinam, & diceremus, ita factum esse, quia deo ita placuit, & ita poneremus ueram & liberam uoluntatem, in ipso deo, & ita dicit non ageret necessario, sed tantum contingenter, & ita mundus aliquando poterit cessare, quod tamen est, contra Arist. Tum etiam quia Plat. dissoluens illam quæstionem, quare scilicet adueniat bonis aduersa, dicit ipse, quia boni præmiantur, si non hic, in alio tamen mundo, Arist. autem ponit tantum unum mundum, & non istum alium, quia neque sensus, neque ratio istum ostendit. O tu dicis, quòd boni præmiari debent & mali puniri. O secundo quomodo ad hoc quia Arist. dicit quòd actus bonus est, sibi ipsi præmium, quia ex actu bono & morali prouenit Gaudium, & lætitia, quæ est præmium ipsi homini bono. Etiam agens moraliter malus, est sibi ipsi pœna, immo sempiterna pœna, quia ex actu prauo, prouenit tristia, & dolor agenti illum, & ita Arist. loquitur magis naturaliter, Plat. autem uerius loquitur, & secundum nostram fidem, satis est, quòd Alexander recte loquitur, quod scilicet Arist. non noluit deũ, habere curam horum inferiorum, neque prouidentiam, nisi in uniuersali, quare &c.

Lectio uigesimasexta.

QVIA Arist. in tex. lecto dixit animal aut nihil est, aut posterius suis singularibus, ideo est secunda difficultas de uniuersali, scilicet ex quo ortæ sunt duæ sectæ, & opiniones inter expositores nominales, scilicet & Reales, quia nominales dicunt, quòd uniuersalia sunt nomina, Reales autem dicunt quòd sunt res, triplex ergo accidit dubitatio, quid de uniuersali,

sali, primo quæritur nunquid scilicet, uniuersale habeat aliquam subsistentiam in re, secundo quæritur in quo habeat esse effectum. Tertio nunquid uniuersale sit posterius suis singularibus sicut dicit Arist. in tex. &c.

De primo sunt opiniones duæ scilicet, extremæ, & una media. Prima extrema, est, quòd uniuersale est aliquod subsistens in re, & hæc opinio est bipartita, aliqui enim dicunt, quòd uniuersale subsistens in re, est separatum a suis singularibus, ut dicit Plato, & est idea in mente diuina, scilicet substantia quædam separara existens præsens intellectui diuino, tanquam exemplar, & tabella picta, ratione cuius aut ratione instituti exemplatis, intellectus diuinus producit res ipsas. Non ponit ergo Plato ideas omnium rerum in mente diuina, quia non ponit ideas accidentium, quia accidentia non sunt per se, a primo opifice, sed per consequentiam, ad substantias, & ad formas ipsas, neque posuit ideas artificialium, ut scamni domus &c. quæ nos homines facimus, quare &c. Tertio Plato non ponit ideas, substantiarum, quæ casu generantur & præter intellectionem naturæ, sicut sunt monstra, neque etiam ponit ideam materiæ, aliorum autem ideæ & exemplaria in mente diuina, & ne dum specierum, & generum, sed etiam singularium, hanc opinionem dicunt, isti, habere ortum e pluribus speciebus rationum, seu a pluribus nominibus. Primo ex modo intelligendi, quia intelligemus aliquando uniuersale, ut animal equum & hominem, nullo tamen intellecto singulari, nec tamen propter hoc, hæc intentio falsa est, quia falsitas solum consistit in secunda operatione intellectus, non autem in prima. Sed hæc est prima operatio intellectus, ergo non est, falsa, sed uera, si autem est uera, ergo aliquid ei correspondet ex parte rei, & aliquid ei subsistit aliter esset falsa, sicut intellectio chimere est falsa, quia ipsi non correspondet nihil in re, illud ergo quod correspondet in re illi intellectui est, uniuersale, aut singulare, non singulare, quia conciperetur res aliter, quàm esset, cõciperetur enim res sub modo uniuersali, & tamen esset singularis, ergo est, uniuersale ergo uniuersale ipsum subsistit, & est in re, quare &c. Secundo arguitur ex modo definiendi, quia definitiones sunt rerum uniuersalium, non autem singularium, ut dicit Arist. primo post. quia scientia est rerum eternatum, non autem corruptibilium, ideo de singularibus, non est scientia, quare &c. Tertio arguitur ex uia generationis, quia omnis generatio uniuoca debet fieri a sibi simili in specie ut habetur septimo metaphysicæ, sed mortuo patre, emisso semine in matrice mulieris, generatione uniuoca, generatur filius, ergo filius generatur a sibi simili in specie, non a patre, quoniam iam supposuimus oppositũ patrẽ esse mortuum, neq; etiam a semine, quia semen est, alterius speciei & dissimile, ergo generatur ab idea, quæ est per se existens, ista est opinio Plat. de uniuersali, quare &c.

Sed contra hanc opinionem est Arist. nono metaphysicæ, per longum processum, & primo posteriorum, ubi dicit, ualeant ideæ Platonis, quia aut nihil sunt, aut ad demonstrationem nihil faciunt, & nihil pertinent ad scientiam ipsam. Quia scientia nostra est de conceptibus nostris, & ita illud uniuersale Platonis, non est ad propositum nostrum. Quia illas ideas diuinas nos non definimus, sed solum facimus definitionem de uniuersali quod nos nescimus. Et ita quæritur de illo, nunquid scilicet subsistat, ideo dico ad argumenta Plat. & primo ad primum, cum dicit nos intelligimus uniuersale intellecto nullo singulari, & hoc non concepto falso. Quia in prima opinione intellectus, non datur ueritas nec falsitas, ergo uniuersale subsistit, quia isti conceptui & intellectui, aliquid debet correspondere, in re, si debeat esse uera, quare &c. Dico cum dicis nos intelligimus uniuersale, nullo intellecto singulari. Verum est, & etiam non falsa intellectione, uerum est, ergo aliquid correspondet ex parte rei, concedo, & dico quòd ipsi correspondet ipsum singulare. O' tu dices, contra, quia hoc pacto, intelligeretur res aliter quàm esset, uerum est, ergo intellectu falso intelligitur, negatur argumentum, quia intelligere rem aliter q̃ sit, secundum Boetium, in prædicamentis est dupliciter, unomodo cum intelligimus unã rem, & ipsam concipimus esse sine aliqua re, sicut cum concipimus hominem si ipsum concipimus sine risibilitate esse, hoc est concipere rem aliter quàm sit unomodo. Aliomodo concipitur una res aliter quam sit, quando concipimus ipsam rem sine alia re quam ei conuenit, & hoc pacto, est scientia mathematicalis, quæ considerat lineam, corpus, & huiusmodi sine materia, nec considerat ista etiam sine materia, sed considerat ipsa non considerata materia, attamen hæc consideratio non est falsa; Quia abstrahentium non est mendatium, secundo physicorum decimooctauo. Ita etiam concepimus hominem, id est, illa singularia uniuersaliter, & est in prima operatione intellectus, quia apprehendimus singulare sub modo uniuersali, id est sine propriis differentiis, & propriis accidentibus, quæ faciunt tale esse, hoc tale, id est hominem esse hominem. Quia cum illis accidentibus, & proprietatibus Soc. est Soc. & ita si consideremus hominem sine istis, hæc conceptio est uniuersalis quia concipimus singulare, sub modo uniuersali, & ita consideratur ipsum aliter quam sit, quia abstrahimus substantiam hominis a propriis differentiis, & propriis accidentibus, nec propter hoc hic conceptus est falsus, sicut nec intellectio

mathe-

mathematicalis falsa est, quare ergo solutum est primum argumentum opinionis &c.

Quod dicis secundo, quia definitio est rerum uniuersalium, definimus enim uniuersale, non autem singulare, definitiones autem sunt rerum uniuersalium, ergo uniuersale subsistit. O non sequitur, definitiones sunt rerum uniuersalium, ergo uniuersale subsistit, quia definitiones sunt rerum & uniuersalium, id est singularium, quæ sunt uniuersaliter conceptorum, id est non consideratis propriis differentiis, & accidentibus quibus ipsum singulare est singulare ab aliis, scilicet separatum, quare &c. Et ita etiam soluitur illud de nostra scientia quæ non est corruptibilium, sed est eternorum, ergo uniuersalium. Dico quòd conceptum singulare uniuersaliter est eternum, quia consideratur singulare in eo quòd est eternum, quia consideratur cum ea conditione, qua omnes conueniunt, ut scilicet est abstractum a conditionibus propriis, quæ cum singulare corrumpuntur, ita istud uniuersale nec generatur, nec corrumpitur, & de ipso est scientia, & definitio, quare &c.

Ad tertium sumptum ex uia generationis uidelicet, quia dicit Arist. & Auer. 7. met. quod omne quod uniuoca generatione generatur a sibi simili in specie generatur, sed patre mortuo prius emisso semine in uterum mulieris filius generatur, non a patre, nec a sanguine, ergo ab idea, ergo datur uniuersale reale, extra singularia, existens in re. Dico domini quòd eodem modo, possumus dicere nos quòd neque filius generatur ab idea, quia ut patet dissimilis est, Soc. enim est corruptibilis, idea uero eterna. Dico ergo quòd filius ut puta Socrates, generatur a sibi simili in specie, quia generatur a patre mortuo. O' tu dices, non potest a patre generari, quia iam est mortuus, dico quòd & si pater sit mortuus tamen derelicta est uirtus in semine deciso ab ipso patre in matricem, ex quo filius generatur, & ita generatur a patre, quia generatur a uirtute patris derelicta, in semine. Ideo est secundus modus dicendi omnium latinorum, & hic inuentæ sunt sectæ inter expositores, quia una est ipsorum nominalium, una realium, qui posuerunt uniuersalia esse in re, illi appellati sunt reales. Qui uero posuerunt uniuersale esse solum in intentione, & nomine, illi appellati sunt nominales. Est ergo secundus modus dicendi, quòd uniuersale est, aliquod in re, extra animam, omnino tamen immersum in singularibus, & illis coniunctum, quòd autem detur tale uniuersale probant, & primo quòd uniuscuiusque scientiæ, debet esse subiectum reale, & uniuersale ut patet, ergo datur uniuersale reale, antecedens probatur, quia scientiæ speculatiuæ specificantur ab obiecto, aliquæ enim dicuntur scientiæ reales, quia habent subiectum reale, aliquæ dicuntur rationales, quia habent subiectum ens rationis naturalis etiam & aliæ dicuntur reales, quia scilicet habent subiectum reale, ergo datur uniuersale reale, aliter frustra esset hæc diuisio, quare &c.

Secundo arguitur quia Arist. secundo huius distinguet, quia duplex est uirtus animæ, una actiua, alia passiua, actiua est sicut nutrire, uegetare generare &c. Passiua autem sicut sensus & intellectus, & differunt hæ uirtutes, quia uirtus actiua agit circa primum obiectum, ut nutritio, & augumentatio, similiter generatio agunt circa primum subiectum, uirtutes autem passiuæ, non agunt circa primum obiectum, sed ipsum supponunt, sicut, sensus uisus præsupponit suũ obiectum, colorem, scilicet, arguo, ergo sic, quælibet uirtus passiua præsupponit suum obiectum in actu, sed intellectus est uniuersale sicut dicemus infra, ergo uniuersale est reale, quare &c.

Tertio arguitur argumento Burlei, primo physicorum, quia Socrates exuriens appetit cibum non hunc uel illum, in particulari, & tamen appetit aliquod reale, quia appetitus naturalis non est ad impossibile, ergo appetit cibum in uniuersali, & realiter, ergo datur uniuersale reale, quare &c.

Quarto arguitur, quia Arist. in prædicamentis diuisit substantiam, in primam, scilicet, & secundam, & secunda substantia est, in prædicamento, atque substantia, ergo subsistit, non enim est in intellectu, quia omne existens in intellectu est per accidens, cum ergo secunda substantia subsistat, & sit uniuersale, ergo & ipsum uniuersale subsistit, hæc sunt argumenta, quibus corroboratur hæc opinio &c.

Sed aduersus hanc opinionem, sunt multæ auctoritates Arist. & primo septimo metaphysicæ, dicit, omnis substantia cuius est substantia illa est propria, sed uniuersale non est proprium ei cui est, uniuersale, quia est, commune multis, ergo substantia non est uniuersalis, & ita ideæ Platon. non sunt substantiæ, sed Aristot. arguit contra Plat. & facit has rationes, scilicet omnis substantia est, propria ei cui est, substantia implicat enim Arist. dicit, quòd aliquid sit uniuersale, & quòd substantia, quare &c.

Secundo ibidem arguens contra Platonem, de ideis dicit Arist. nulla substantia est communis pluribus, uniuersale autem est, commune pluribus, ergo &c.

Tertio arguitur quia cum Socrates sit animal, & sit homo, ergo in Soc. est uniuersale, tunc quæro quid addit Socrate illud uniuersale, non enim in ipso est, accidens, ergo est substantia, & omnis substantia aut est forma, aut est, materia, aut compositum, ergo uniuersale aut erit forma, aut materia, aut compositum, etiam singulare cum non sit accidens erit uel formæ, uel materia, uel compositum, ergo in Socrate

erunt, duæ formæ, uel duæ materiæ, uel duo cõposita, & ita hæc opinio uana est. Quare soluamus eius argumenta. Et primo cum dicit, subiectum scientiæ realis debet esse reale, & uniuersale. Dico si intelligamus ens reale, id est per se subsistens, sic non est uerum, quòd subiectum scientiæ sit reale, & uniuersale, si autem intelligamus reale, secundum modum considerandi, qua tenus consideratur secundum aliquam considerationem realem, & a natura, ut corpus naturale consideratur a philosopho naturali, hoc est, philosophus naturalis considerat corpus, ut est naturale, scilicet cum ista conditione naturale, quatenus, scilicet habet naturam, & quatenus, scilicet habet principium motus, & quietis, quod conuenit ei ex parte rei, non autem per opus intellectus, sed secundum, quòd conuenit ei hæc conditio naturalis, ut etiam dicimus, quòd mathematicus considerat quantitatem, ut quantitas est, quæ habet aliquod extra animam, scilicet secundum modum considerandi, & consideratio, secundum condirionem quæ ei insunt a natura; appellatur, ergo scientia naturalis realis, quia est de aliquo quod consideratur secundum conditiones, quas dat natura ipsa, non autem, quia sit de re, quæ non subsistat, quare &c.

Quod arguitur secundo, quia omnis uirtus passiua præsupponit subiectum siue obiectum in actu, sed intellectus est uirtus passiua, ergo intellectus præsupponit subiectum in actu, quod scilicet sit uniuersale in actu. Dico quòd duplex est obiectum intellectus, unum, quod mouet intellectum, & appellatur obiectum motiuum, & illud est singulare, simulacrum enim alicuius rei singularis, idest simulacrum rei sensibilis, quod accipitur in uirtute imaginatiua, id est intellectum agentem, producit primum actum intelligendi, sicut simulacrum albedinis, quod est, phantasma, in uirtute imaginatiua, illud cum intellectu agente, producit actum intelligendi, & hoc obiectum præsupponitur in actu, ab intellectu, in sui actione. Aliud est obiectum intellectus non mouens intellectum, sed quod terminat actum intelligendi, & hoc est uniuersale, quia simulacrum illius rei sensibilis, & albedinis mouet intellectum, & est acceptum in imaginatiua, fit postea intellectio non illius albedinis, determinata tantum, sed intellecte uniuersaliter de albedine, ideo terminata & sine loco determinato, & tempore, & ita ex illo obiecto singulari quod mouet intellectus, fit postea obiectum uniuersale, scilicet intellecto uniuersali & hoc obiectum sequitur actum intelligendi &c.

Quod dicis tertio, de Socrate exuriente, qui appetit cibum & non hunc uel illum, & appetit aliquid, quia appetitus non est impossibilium, & ad impossibile, ut dicit Arist. primo physicorum, Dico cum dicis, quòd Socrates, nullum particularem cibum appetit, Dico quod falsum est, quia non potest appetere cibum uniuersalem nisi appetat hunc uel illum cibum, uerum est tamen, quòd non appetit hunc cibum, sub ratione cibi particularis, sed sub ratione uniuersali scilicet qua cibus est; non autem qua hic cibus uel ille, Quia per casum cum appetitus panem, non autem appetit hunc uel illum panem, sed aliquem panem, scilicet sub ratione uniuersali, quare &c.

Ad quartum quod dicis, quia secunda substãtia quam ponit Arist. in prædicamẽtis est substantia, & est uniuersalis, ergo uniuersale per se subsistit. Dico quòd secunda substantia bifariam potest summi. Vnomodo materialiter aliomodo formaliter, secundomodo substantia materialiter considerata, est sola illa notio, quæ habetur in intellectu, & hæc est accidens, non autem substantia, formaliter considerata. Secunda substantia, est significatum illius notionis, & illud significatum est singulare uniuersaliter tamen consideratum, Quia illa notio in intellectu representat nobis substantiam, & substantiam particularem, sub modo tamen uniuersali, quare &c. si autem modo tu quæras, an ista secunda substantia sit res, Dico quòd si accipiatur. Secunda substantia, ut est notio rei in intellectu, sic non est res, si autem accipiatur secunda substantia formaliter, scilicet pro eo quod significatur, sic est res, quæ est, singulare uniuersaliter conceptum, & abstractũ a propriis differẽtiis, & a propriis accidentibus. Secunda opinio principalis extrema, est nominalium. Qui dicunt, quòd uniuersale nihil aliud est, nisi nomina, & notiones rerum in intellectu, representantes primo plura singularia in intellectu, & etiam termini isti in scripto, uel in uoce proportione quadam appellantur, termini uniuersales, pro ut scilicet ordinantur sub illa notione uniuersali, quia illa dant nobis intelligere illam notionem &c. Et probatur hæc opinio auctoritate Auer. primo met. & tertio huius 36. qui dicit, quòd uniuersalia non sunt aliud nisi notiones cito debilis & ueloci transitus colligatæ cum phantasmatibus, quæ cũ ipso corpore corrumpuntur, quare &c. Teste etiam Boetio super porphirio, qui dicit, quòd species est quædam tenuis similiter rerum collectio, ex singularibus, & ita dicit Themist. genus magis est tenuis similitudo, quàm species, quare &c.

Pro hac opinione est, etiam ratio. Quia si uniuersale significat aliquid ex parte rei, aut significat aliquid separatum a singularibus, & hoc non, quia hæc est opinio Platonis, quam supra reprobauimus, aut significat aliquid in singularibus immersum, nec etiam hoc, quia hæc est, opinio Burlei, & utrumque est reprobatum, &c.

Sed cõtra hanc opinionẽ est Alex. in lib. de problema-

blematibus naturalibus, problemate tertio, ubi disputat, quid nam sit uniuersale, & quid nam sentiat Arist. de uniuersali, Et dicit Alexan. quòd deffinitiones quas damus non sunt notionum, quæ sunt in mente, cum enim deffinimus hominem, & dicimus, quòd est animal rationale, non deffinimus notionem, dicit Alexander, quia illa notio non est animal rationale, sed est quid incorporeum, ideo dicit ipse Alex. deffinitiones sunt rerum singulariũ, quas intellectus non facit uniuersales, qa præscindit ipsas a proprietatibus, differẽtiis, & a propriis accidentibus, per quæ sunt singularia, & sic uidetur, quòd opinio Alexan. sit alia ab opinione istorum de ipso uniuersali, quare &c.

Secundo arguitur cõtra hanc opinionem, quia unius notitie, est tantum unum obiectum, assumptum est Arist. qui dicit unius notionis, est tantum unum obiectum, sicut etiam unius actus, est unum obiectum, quia operationes, per ipsa obiecta distinguntur, & si est una notio, unum est etiam obiectum, & si plures notiones, plura etiam obiecta, ergo quid dicit hæc opinio, quòd notio uniuersalis, quæ est una, primo significat multa & notio hominis, primo significat Socratem, Platonem, Alexandrum, & sic unius notionis erunt plura obiecta, quod tamen est, contra ipsum Arist. non ergo in notitia uniuersali repræsentantur primo multa, sed unum tantum, quare &c.

Tertio arguitur, quia secundo huius dicit Arist. quòd nomina omnia significant idem, sed tantum differunt in modo significandi. Quia unum significat expanse, omnia enim nomina, primo significant, formam, & deffinitio & deffinitum idem significant, sed tantum differunt in modo significandi. Quia unum significat expanse, & est deffinitio ipsa, aliud collecte, & implicite, ut deffinitum, est enim deffinitio & deffinitũ, ut manus expansa, & ipsa eadem collecta seu ut clatius dicam, ut nedum expansum, seu explicitum, & inuolutum seu implicitum, ita etiam homo & humanitas idem important, quia ambo significant formam differunt tamen connotato, id est in modo significandi. Quia homo cõnotat post animam rationalem subiectum in quo est, sed hoc est secundario, humanitas tamen tantum formam significat non connotato subiecto, unde recte dicebat Arist. 2. physicor. quòd nomina artificialia, primo significant accidentia quia primo significant formam artificialium, sic etiam naturalia primo formam, tam scilicet abstractã, quàm concretã, nomina, secundario autem subiectum, concreta ipsa sic etiam illa notio, & illud uniuersale, quod ista opinio appellat nomen, debet primo significare formam, non uniuersalium, ergo illud nomen primo significat formam singularium uniuersaliter conceptam, Credo domini, quòd intelligatis, ideo hæc opinio omnino est falsa, & nullo pacto tueri potest, quare &c.

Lectio uigesimaseptima.

IN præterita lectione, duas opiniones declarauimus, de uniuersali, quid nam sit, Nunc est tertius modus dicendi, ex Alexandro, in lib. de quæstionibus naturalibus, qui dicit, cum quæris an uniuersale habeat subsistentiam in re, dicit, quòd bifariam potest summi uniuersale, uno modo, pro signo, & hæc est notio in intellectu, ut terminus communis, alio modo summitur uniuersale, pro re significata, & de hoc est deffinitio, & scientia, non enim deffinimus notionem, & hoc nihil aliud est, nisi ipsum singulare, uniuersaliter apprehensum, & sic etiã uniuersaliter sumptum, pro re signata summitur dupliciter, scilicet pro prima intellectione, id est pro primo intelligere, alio modo summitur pro secunda intellectione, id est pro eo quod secundo intelligitur & ita uniuersaliter sumptũ, pro prima intellectione, est duplex, scilicet & in actu, & uniuersale in primo quod est singulare ipsum, uniuersale autem in actu est singulare, uniuersaliter cõceptum, & sic iste terminus homo non significat, primo plura singularia, ut nominales dicunt, neque compositum ut Thomistæ, neque secundam entitatẽ ut dicunt scotistæ, scilicet primo significat formam singularium uniuersaliter conceptã, & ita uniuersale actu, nihil aliud est nisi singulare, uniuersaliter conceptum, non consideratis propriis differentiis, & accidentibus, uniuersale autem quod sumebatur pro secunda intellectione est uniuersale de quo loquitur porphirius, genus, scilicet & species, hæc enim sunt respectus & collectiones quædam, quas facit intellectus ad singularia ipsa, ut scilicet de illis communiter prædicatur, & sic genus & species dicunt quandam relationem, quæ fit ex uno obiecto cognito, ad aliud obiectum cognitum. Nec dico quòd secunda intellectio resultet ex prima illa comparatione, quia secunda intellectio est illa comparatio, Ex quo enim tale taliter de singulo prædicatur, illud appellamus species, ex quo autem taliter, illud appellamus ipsum genus, intellectus ergo apprehendit ista, esse cõmunia omnibus singularibus & ex quo comparatur ipsa suis singularibus, ex hoc ea inuenit & appellat talia, & ita istæ sunt secunde intellectiones, Alexander hic inquit, uniuersale autem tale, id est singulare uniuersaliter conceptum, est idem omnibus suis singularibus, quia est, ipsamet singularia, illud est etiam immortale, quia semper est aliquod indiuiduum eius secundum generationem successiuam, & continuam. Etiam apud Arist. hoc uniuersale est ubique, quia singularia nata sunt esse ubique, & ubique existere,

existere, quare ergo omnes hæ conditiones, quæ conueniunt uniuersali, conueniunt singulari, ulto modo concepto, id est uniuersaliter concepto, & notione uniuersali, ergo singulare uniuersaliter cōceptū est ipsū uniuersale, & ita ex hoc soluitur illa triplex quæstio, scilicet, cum primo quæris an scilicet uniuersale, subsistat nec ne, Dico quòd si loquaris de uniuersali, ut est uotio in intellectu, & accipitur tantum pro signo, sic est, tantum in intellectu, nec in re habet aliquā subsistentiam, Si autem loquaris de uniuersali pro signato ut accipis pro secunda intellectione, aut pro prima, si pro prima loqueris de uniuersali in potentia, aut in actu, si de uniuersali in potentia, sic existit in re, & est singulare ipsum, nec tale est propriæ uniuersale, sed uniuersale potentia; sicut etiam homo in potentia, non est homo, si autem loquaris de uniuersali in actu, sic dico, quòd non subsistit, nec aliquid est, in re, sed solum in intellectu, si etiā accipitur uniuersale pro secunda intentione, ut scilicet est genus uel species sic etiam subsistit, & est, soluta prima quæstio. Eodem modo etiam soluitur, secunda quæstio, cum scilicet quæris a quo sit illud uniuersale, quod esse efficiens habet. Dico quòd si uniuersale accipitur, pro notione intellectus, sic est a simulacro in fantasia, simul cum intellectu agente, notiones enim fiunt in intellectu a simulacro rei ipsius cohoperante intellectu agente, si autem loquaris de uniuersali in potentia, sic habet esse a generante ut a patre, si autem loquaris de uniuersali in actu, eodem pacto, est ab intellectu agente cum phantasmate & simulacro rei in fantasia, si autem loquaris de uniuersali, pro secunda intentione, ut scilicet de hoc differit logicus, hoc est, ab intellectu potentiæ, comparando, scilicet unum obiectum alteri, ita etiam soluitur tertia quæstio, an scilicet uniuersale sit posterius suis singularibus, Dico si loquamur de uniuersali pro signo, loquimur enim de nostro uniuersali de quo scilicet habetur scientia; & quod deffinimus, non enim loquimur de ideis ipsis, ut Plato, si ergo nostrum uniuersale accipiatur pro signo, & pro illa notione in intellectu, sic est posterius suis singularibus, quia singularia cum sint illius notionis, ut V.G. Socrates uidetur ipse Soc. prius producit sui phantasma, ad oculum, oculus autem ad imaginatiuam, & ita uidetur in hoc processu Socrates prior illa notione, si autem loquaris de uniuersali in actu, sic etiam est, posterius suis singularibus, quia etiam illud uniuersale habet esse in intellectu, & existit in intellectu obiectiue; & illud obiectum a quo producitur illa notio est, in intellectu prius, aliter uero produceretur, si autem loquaris de uniuersali in potentia illud non est posterius suis singularibus, sed est, idem cum ipsis, & sicut iam diximus, illud est impropriè uniuersale; si autem loquaris de uniuersali, pro secunda intellectione, sic etiam illud est, posterius suis singularibus, quia ab ipsis causatur, in intellectu; sed dices uidetur quod uniuersale sit prius suis singularibus, non autem posterius, quia in prædicamentis dicit Arist. illud est, natura prius a quo, non conuertitur subsistendi consequentia, id est, a quo non conuertitur illatio a uerbo substantiuo, sed ab uniuersali non conuertitur illatio, ad singulare, ergo uniuersale est prius, ualet ergo, Socrates est homo, non autem ualet homo est, ergo Socrates est, quare &c. Secundo arguitur ex dictis Arist. secundo de generatione animalium cap. 3. quia uniuersale prius generatur, quam singulare, ergo uniuersale non modum prius subsistit, sed etiam prius generatur quam singulare, antecedens patet, quia ibi de generatione animalium, secundo di cit, quòd animal cum primo generatur, primo uiuit uita plantæ postea uiuit uita animalis simpliciter, antequam uiuat uita huius animalis, & ita prius uiuit uita animalis, in genere, quàm huius animalis, & etiam est prius uiuum, quam animal uniuersale, ergo nedum prius subsistit, quam singulare, sed etiam prius generatur ut patet, quare &c. Tertio arguitur, quia eternum est prius corruptibili uniuersale autem est, eternum singulare, uero est, corruptibile quomodo, ergo uniuersale est posterius suis singularibus, quare &c.

Dico ad primum cum dicis, ex regula Arist. in prædicamentis, s. quòd prius est a quo non conuertitur subsistendi consequentia, concedo quòd uerū est quod dicit Arist. O dices, tu dixisti oppositum. Dico quòd utrumque est uerum, & quod dicit ibi Arist. & quod dicimus nos hic, quia duplex est prioritas in natura, una scilicet secundum rem, alia secundum intellectum, in prioritate secundum rem, uniuersale est posterius suo singulari, quia singulare est causa uniuersalis, est, enim causa illius notionis, in intellectu, & ipsam producit, in prioritate autem secundum intellectum est, econtra, uniuersale enim est prius suo singulari secundum intellectionem, & secundum consequentiam, quia illud est, prius secundum intellectum a quo non conuertitur subsistendi consequentia, quare &c.

Quod dicis secundo, quia uniuersale prius generatur, quam ipsum singulare, ex Arist. secundo de generatione animalium cap. 3. qui dicit quòd animal prius uiuit uita plantæ, postea uita animalis in genere, quam in particulari. Dico quòd bene uerum est, quòd id quod primo est prius est, sub genere, quam sub specie, quia non inconuenit, id, quia mundus habet esse perfectum, nec tamen illud est uniuersale, bene est, singulare generis, & non speciei, & ita est sensus quod generatur non inquam uniuersale, sed indiui-

diuiduum, prius scilicet, quo ad uitam uegetatiuam, quam sensitiuam, posteaquam perdit istã formam, & acquirit aliam, magis determinatam & sic iste transitus, non est ab uniuersali ad singulare, sed est, ab indiuiduo generis ad indiuiduum speciei &c.

Quod addis tertio, quia eternum est prius corruptibile, sed uniuersale eternum est, ergo &c. Dico quòd eomodo quo uniuersale, est eternum eomodo est prius singulari, sed etiam eternum, secundum intellectionem, quia habet esse per intellectum, non enim habet esse in re, quia non est neque substantia, neque accidens, sed ens rationis, & sic nec generatur nec corrumpitur, ergo est prius suo singulari, secundum intellectum, quare &c. Sed uos dicetis tu bene dixisti, quòd scilicet non datur uniuersale quod subsistat, ut sit in re, quia solum habet esse per opus intellectus; nunquid modo ex quo non datur tale uniuersale. An detur natura cõmunis quæ subsistat, multum enim differunt, natura cõmunis & uniuersale, & primo uidetur quòd detur ista natura communis, quia si accipiatur Socrates, uidetur, quòd ipse duas tes includat, singularium, scilicet & unam naturam communem, quia in homine est una tes, per quam est homo hic, & alia res quæ est singularis per quam scilicet est hic homo, & illa res per quam est homo, est humanitas quæ uidetur una natura communis cuilibet homini, & ista natura communis scilicet, humanitas est prior singulare, & sic sui natura est prior, ergo ex sui natura abstrahitur ab illa singulari, ergo ipsa ex sui natura est in re, & est communis, & propter hoc argumentum dicunt Scotiste, ꝙ re uera & si non detur uniuersale, reale, datur tamen ista natura communis subsistens, ex parte rei, & ut melius intelligatis natura communis dicitur duplex, unomodo per participationem a tribus personis. Patre, Filio, scilicet, & Spiritu sancto. Alio modo dicitur natura communis, propter indifferentiam, quia & si illa sit in uno singulari, quantum tamen est, ex se non repugnat esse sub hac uel illa singulari, simpliciter tamen repugnat, & declaro, quia ista singularitas, quæ est, cum natura communi Soc. est eadem cũ ipsa natura communi, quia ista natura cõmunis secundum istos, est quædam tertia entitas & natura resultatis ex compositione formæ cum materia, nec etiã est, uerũ quod dicebat Alexander, ꝙ scilicet singularitas esset per propria accidentia; quia substantia ut substantia est, habet propria indiuidua, nullo communi currente accidente; quia non sunt accidentia, sed sunt quædam realitates substantificæ, & indiuiduum aliud ab illa natura communi, & Deus non posset facere, ꝙ scilicet singularitas esset sine illa natura communi & econtra, scilicet humanitatem esse sine singularibus, sed quia illa natura communis est quodam prius suis singularibus, ideo in eo quod prius, ei non repugnat esse siue ista singularitate, & sine determinata; Eadem autem cum sint coniuncta. Deus non posset eas separare, ex quo sequitur, quòd tot sunt naturæ communes, quot sunt indiuidua, & ita imaginanda sunt tria in Soc. primo humanitas, quæ est tertia entitas resultans ex materia & forma, secunda singularitas per quam Soc. est hic homo, tertia duplex negatio incommunicabilis, qua indiuiduum est, incommunicabile, ut quo, & ut quod, seu quid est, si autem quæras nunquid ista natura communis sit unitas singularis, uel simul unitas numeralis, uel specifica. Dico, quòd nullo istorum modorum est una, sed est unitas media. Inter numeralem & specificam, quæ est unitas naturæ. Hæc est opinio Scoti, quam ipse probat multis argumentis. Primo ex dictis Arist. decimo metaphysicæ, quia dicit quòd in omni genere est unum, quod est primum pœnes cuius accessum & recessum, mensurantes perfectiones aliorum, illud unum, non est unum, per numerum. Quia hoc est singulare, & corrumpitur, & ita non semper remanet uerum dictum Arist. neque etiam est, unum specie. Quia hoc est, per intellectum; si autem pœnes ipsum debeat mensurari, perfectio rerum, oportet, quòd sit in re est ergo aliud unum quod est in omni genere; & hoc est, unum unitate naturæ, id est illa natura communis indifferentiæ, quare &c. Tum etiam & fortius. Quia quinto metaphysicæ dicit Arist. quòd tres sunt relationes, scilicet similitudo, identitas, & equalitas, & dicit illa esse similia, quorum qualitas est una dicit illa esse eadem, quorum substãtia est una, & dicit illa esse equalia, quorum quantitas est una. Tũc quæritur aut ista unitas quod est fundamentum harum relationum sunt una numero in hoc & in illo, aut una specie, aut una genere, aut una numero, quia inter eadem numero raro sit comparatio, neque est una genere, neque specie, quia hæ unitates sunt per intellectum, hæc autem debet esse realis ergo est una unitate communi, quare &c. Tertio addit, quia obiectum sensus, puta uisus, est, singulare, singulare enim mouet sensum, & illud est unum, non unum numero, quia tunc sensus discerneret unum singulare ab alio, & ita distingueret, inter singularia omnino similia, quod est falsum, Exempli G. si sint tria oua, & unum uideres, postea comisceres cum aliis, sensus uisus amplius non sciret ipsum discernere, ergo singulare illud quod mouet sensum, non est unum numero, neque unum specie, quia illud est propter operationem intellectus, est ergo unum quod est medium iter unum numero & unũ specie, quod est maius unitate numerali, & minus unitate specifica, quare &c. Quarto arguitur, quia Socrates generat Plat. uniuoce, quia 7. met. ista generatio

generatio uocatur uniuoca ab Arist. ergo Gen. & generans, sunt eiusdem materiæ, non inquam unius unitate numerali; quia hoc est impossibile nec unitate specifica, quia seclusa est operatio intellectus, ergo illa est unitas media inter istas, ut dictum est, quare &c.

Sed contra hanc uiam sunt Thomistæ, ut dicit Diuus Thomas in lib. de ente & essentia, quia dicit ipse si repartiretur ista natura communis per indifferentiam, aut ista communicatio per se, primo conuenit naturæ, aut per accidens, si ista communitas per se primo conuenit naturæ, ergo per se conuenit singulari, scilicet ipsi Socrati Plat. &c. Quia in prædicamentis dicitur, q quæ prædicamenta conueniunt superioribus, per se conueniunt etiam inferioribus, quare &c. Si tu dicas, quòd hæc communitas conuenit per accidens naturæ, tunc prædicamenta, quæ per accidens conueniunt superiori, primo conuenient inferiori, ex regula ipsius porph. si ergo ita est, ergo primo conuenit singulari, ut cursus per accidens conuenit homini, & primo & per se Socrati, sed hoc argumentum soluitur, quia dicam, quòd hæc communicatio conuenit, per se primo naturæ, quare &c. Ad porphirium. Dico, quòd intelligendum est dictum eius, quòd scilicet prædicamenta, quæ conueniunt superiori, non absolute conueniunt, & per se inferiori, sed ut est in singulari, non autem absolute per se conueniunt singularibus, idest inferioribus, sed tunc communicatio non conuenit isti naturæ, ut est in singulari, sed ex se, ipso communicatio conuenit & præscindit a singularibus, sed quid dicendum, O' dico quòd & si nos loquamur, ut ipse Scotus magis debeat ponere naturam communem, ipsi Thomistæ, quàm Scotus. Quia si quælibet natura est singularitas quædam, & est singularis per aliquod, ut per quantitatem, quia secundū Thomistas principium indiuiduationis est materia, cum quantitate, sed quia in utroque indiuiduo hominis est humanitas, quæ scilicet non includit quantitatem, ergo non est indiuiduum ipsa humanitas, sed forma sine quantitate, ergo prius quid est quantitate & substantia indiuidui, ergo natura communis, quare &c.

Ideo ego dico, quòd secundum opinionem Arist. non datur illa natura communis nec communis participatione, nec communis indifferentia, & omnis res a quo habet esse, & ab ipso habet esse unum, & indiuiduum, & dicitur esse unum, ex se, & singulare, negatione tamen, id est quia non est per aliud sicut dicemus superficies est per se subiectum coloris, quia scilicet non per aliud, & sic forma, per se est singularis etiam, & natura & negatione, & ideo pluralitas entium est fugienda, quare ad eorum argumenta, & cum primo dicitur. Hic homo includit naturam hominis, & humanitatem, & singularitatem, ergo &c.

Dico quòd non est uerum, quòd scilicet in homine sit illa natura communis, quia non est ponenda pluralitas in rebus dum modo non sit necessarium, dicit Arist. ideo in Socra. non est solum singularitas, ex sui intrinseca natura, ex propriis principiis. Quia scilicet constat ex propria forma, & propria materia, & dicitur significare esse unum & significare ex se negatione, sicut diximus, quia non est ab alio, & ita dico, quòd hæc materia, & hæc forma hæ duæ naturæ sunt per se singulares priuatiue, id est quia nō ab alio uerū est forma, primo est, causa indiuiduarionis, ut unitatis. Quia indiuiduum, habet primo esse a forma, secundario uero a materia, & ita a quo res habet esse (sicut diximus) supra, habet etiam esse unum & ita secundum uiam Arist. Nos non cogimur, ponere hanc naturam communem. Quia Arist. non posuit, hanc unitatem naturalem & specie & analogia, & unitatem genericam & ita ne cogamur ponere hanc naturam communem dicemus, quòd omne præexistens extra animam est singulare, & ita ad aliud argumentum quod dicebat. Quia in omni genere est unum primum penes cuius accessum & recessum, mensurantur perfectiones rerum & illud natura est, unum numero, quia corruptibile, nec nnum, quia in intellectu, ergo remanet, quòd sit unum unitate, naturæ, Dico quòd illud uerum singulare & est unum numero, O' tu dices illud singulare, corrumpitur. Dico quòd & si corrumpatur illud, remanent tamen alia singularia, in illa specie, ut in specie hominis, semper sunt singularia penes, quorum accessum mesurantur perfectiones aliarum specierum, & si tamen corrumpatur unum indiuiduum succedunt tamen alia, quare &c. Quod dicit secundo unitas est fundamentum trium relationum, & non est naturalis, neque specifica, Dico, quòd illa unitas est specifica, O' tu dices specifica est per modum intellectus, Dico, quòd non est una specie, in actu, sed specie in potentia, tamen unitas specifica in potentia, non habet per intellectum, quare &c.

Quod dicis tertio, quia singulare mouet sensum & non est, unum numero, quare &c. Dico, quòd hoc falsum est, quòd scilicet non sit unum numero, quia omnia singularia quæ mouent sensum, sunt unum numero. O' tu dices, sequeretur, quòd sensus destingueret inter ipsa singularia. Nego argumentum, quia hæc albedo mouet sensum, non tamen in eo, quòd hæc albedo, sed qua color est, & in eo quod genus, non autē in eo quod indiuiduum est, color enim est primum obiectum adequatum ipsius sensus uisus, & ita non sequitur, singularia quæ primo mouent sensum, sunt unū numero, ergo sensus distinguit inter ipsa. Quia & si sensus mouetur a singulari, quòd est unum numero, tamen mouetur & non apprehendit ipsum, quia singulare,

sed

ſed quia genus, & uniuerſale, quare &c.

Eodem modo ſoluitur quartum argumentum, quia tu dicis, Socrates generat Platonem, ergo generatione uniuoca, uerum eſt, illa unitas non eſt unitas numeralis, neque ſpecifica. Dico quòd eſt ſpecifica in potentia, tamen non eſt in actu, ut ſupra diximus, quare &c. Sunt alia argumenta Ioannis Scoti, pro confirmatione ſuæ opinionis, tamen nolui ipſa adducere, quia omnia poſſunt eiſdem ſolutionibus ſolui, quibus hæc ſupra dicta ſoluimus. Ideo iſta ſatis ſint pro iſta dubitatione ualde difficilis de ipſo uniuerſali, quare &c.

Textus nonus.

AMPLIUS autem, ſi non multe animæ, ſed partes, utrum oportet prius querere totam animam, aut partes: difficile autem & harum determinare quales apte nate altare ad inuicem eſſe.

Textus decimus.

ET utrum oportet querere prius partes, aut opera ipſarum: ut intelligere aut intellectum: & ſenſibile an ſenſitiuum: ſimiliter autem & in alijs. Si autem opera prius, iterum utique dubitabit aliquis: ſi obiecta horum prius querendum: ſicut ſenſibile ſenſitiuo: & intelligibile intellectiuo.

Lectio uigeſimaoctaua.

AMPLIUS *autem ſi non multe anima.* Procedit Ariſt. oſtendens difficultates animæ in inuenienda eius deffinitione, ut dicit Ioan. Gram. quòd Ariſt. reuertitur ſuper illam quæſtionem, quàm propoſuerat in inuenienda deffinitione ipſius animæ, quia dixit, quòd erat quærendum an ſcilicet anima ſit una communis, an ſint plures animæ, etiam ſi eſſent plures, an ſpecie ſeiungantur tantum. An etiam genere, dicit Ioannes, quòd Ariſt. ſummit membrum uerum, quòd ſcilicet animæ ſint plures, non autem una, & intelligendum eſt, illud plures, dicit Ioannes, ſecundum potentias, quòd ſcilicet anima ipſa habet plures potentias, & ideo ſunt, hic aliæ plurime quæſtiones. Et primo, quo nam pacto diſtinguantur iſte potentiæ, ut dare, ſcilicet differentias quibus diſtinguantur, quia inter aliquas eſt facile diſcernere, & inter aliquas difficile, ut ſcilicet inter intellectum, & imaginationem, ſecunda difficultas, quòd cum fuerint manifeſtæ ille potentiæ animæ, nunquid, ſcientia de anima ſit incipienda, ab eſſentia & ſubſtantia animæ, ad potentias. An econtra, ſcilicet a potentiis, ad ſubſtantiam animæ, & pro utraque uia uidentur eſſe rationes, quia primo phyſic. dicit Ariſt. quòd tota ſunt notiora ſuis partibus, ideo cum a notioribus ſit incipiendum, uidetur nos a tota anima debere incipere, ex aduerſo eſt, quia ex partibus comprehendimus totum, & partes, natura priores, & ſimpliciores ſunt ſuo toto, ergo ordine naturæ ab illis incipiendum eſt, quare &c.

Tertia dubitatio eſt, quòd ſi inuenerimus, quòd ſcientia de anima ſit prius incipienda a potentiis animæ, quia natura priores & notiores, eſt quæſtio modo. An prius determinandum ſit de actibus, id eſt de operibus potentiæ. An de ipſa potentia, Ratio ſimiliter dubitandi eſt, quia ſicut prius agendum eſt de potentiis, quàm de tota anima (quia ille ſunt manifeſtiores) ita etiam prius uidetur eſſe agendum de operibus, quàm de potentiis animæ, quare &c. Quarta quæſtio adhuc, quòd ſi prius determinandum, ſit de operibus, quàm de potentiis. Quæritur an prius agendum ſit de potentiis & de oppoſitis, dicit Ariſt. quàm de ipſis operibus, quia etiam obiecta uidentur manifeſtiora, obiecta enim refferuntur ad actum, & manifeſtiora ſunt, Quia color manifeſtior eſt uiſu, & actu uidendi, itaque nobis iminent quattuor aliæ difficultates, ſcilicet in inuenienda deffinitione animæ. Ponderat Io. duo uerba in textu primum, ſcilicet. Quia Ariſt. appellat oppoſita, quæ nos appellamus obiecta, & quare ita appellatur, O' dicit Ioannes, Quia obiecta opponuntur ad actus, & non uera oppoſitione, ſed relatiue opponuntur, niſibile enim opponitur uiſioni relatiue, Quia uiſibile eſt uiſionis uiſibile, quare &c. Secundum uerbum quod ponderat Ioan. eſt, quia dicit Ariſt. ſi operata prius ſint inquirenda, ſicut ſenſibile & ſenſitiuum, & intelligibile, & intellectiuum, quia iſta nomina ſignificant potentias, & ipſe exemplificauit de accidentibus, dicit Ioan. quia Ariſt. abutitur his nominibus Ariſt. enim accipit ſenſitiuũ, Ideſt actus ſentiendi, ſimiliter intellectiuum actũ intelligendi, quare &c. Sed uos dicetis quid dicendum eſt de his dubitationibus quas hic proponit Ariſt. quia ipſas non ſoluit, quare &c.

O' dico dicit Ioan. quòd duplices ſunt potentiæ animæ, quædam ſenſitiuum, ut potentiæ uegetandi, ſentiendi, uidendi, & ſecundum locum mouendi, aliæ ſunt potentiæ ſecundum intellectum, ſicut intellectio, ita ergo ſi per potentias intelligas potentias, ſecundum ſenſum, ſic incipiendum eſt, prius ab obiectis, ad opera, ab operibus ad potentias, in potentiis autem ſecundum intellectum, eſt, econtra. Quia potentia eſt notior ſua operatione, ideo a potentiis incipiendum, intellectio enim eſt nobis manifeſtior, quàm actus intelligendi, quia intellectus apprehendit duo ſenſibilia, ſcilicet quæ non cadunt ſub ſenſu, ſunt difficilis notionis, ideſt intellectio, quæ ſit in nobis eſt manifeſtior, quàm ſit actus intelligendi illius inſenſibilis, & actus manifeſtior eſt, ipſo obiecto, quare non cadit ſub ſenſu, ſed eſt difficiM-

difficilime cognitionis, & ita etiam dicit, Ioan. procedit Arist. infra tertio huius, scilicet cum agit de intellectu. Sed hoc quod dicit Ioã. non est uerũ, ostendo primo ex processu Arist. quia procedit ad potentiam intelligendi, deffinit.n. potentiã intellectiuam, per intelligibile, quia dicit, intellectum esse capacem omnium intelligibilium, & solum intellectum humanum dicit Aristot. quia hoc addit imperfectionem, scilicet esse capacem omnium intelligibilium, quia cum magis intelligit plura simulacra rerum recipit, & recipiendo ista simulacra rerum, patitur, ergo cum plura simulacra recipit, magis patitur, & ita hoc addit imperfectionem, ipse dicit. Et ideo Aristot. non posuit simulacra horum inferiorum in Deo, quia Deus non intelligit, per simulacra, ideo Arist. noluit Deum habere prouidentiam & curam horum inferiorum, deffinit ergo Arist. intellectum, per intelligibile, ergo intelligibile notius est, quia omnis deffinitio, & pars deffinitionis est notior suo deffinitio, quare &c. Secundo arguitur, & fortius, quia intelligibile est duplex, scilicet intelligibile absolute, & hoc non est obiectum intellectus, aliud est intelligibile determinatum, quod est obiectum intellectus, sicut etiam uisus non apprehendit simpliciter etiam uisibile, ut obiectum potentiæ non apprehenditur a uisu, quia intelligibili absolute apprehenduntur substantiæ intelligibiles, & sensibiles, intellectus autem comprehendit, per se solum substantias sensibiles, per accidens uero uel secundario substantias intelligibiles, cum ergo Arist. loquitur de obiectis, non intelligit, de obiectis simpliciter, sed de obiectis, quæ primo apprehenduntur, & per se ab intellectu, & hæc sunt substantiæ sensibiles, non autem separatæ, quare &c. Tum etiam quia Arist. tertio huius dubitabit, nunquid substantiæ separatæ, cadant sub intelligibili, & non soluit illam quæstionem, sed ipsam dereliquit indeterminatam, ergo non est, uerum quod dicit, Ioannes, Quid ergo dicendũ de his quæstionibus Albertus Alemanus, dicit quòd duplex est substantia operans, scilicet quædam per se sensibilis, & non manifesta nobis, & sensibilis, quæ habet qualitates, & opera, & in hoc prius procedendum est a substantia ad potentias, a potentiis ad opera, ab operibus ad obiecta, dicit Albertus, alia est substantia insensibilis & imanifesta, quæ est occulta nobis, in substantia & partibus, sed sunt manifesta ea, circa quæ operantur, & in hoc prius procedendum est ab obiectis, ad opera, ab operibus ad potentias, a potentiis ad substantiam, & totum ipsum, sicut inuestigamus substantias separatas, & ipsas animas, dicit Albertus, quia sunt ipsis, quæ spiritualia sunt & non sunt obiecta sensibus nostris, Dico sunt genera potentiarum, scilicet sunt potentiæ actiue, & pasiue, & genere potentiæ actiuæ est, quod est factiuum formarum, ut sensus, & intellectus possibilis, & tunc in actiuis, quia operatio specificatur a forma, sic agit in aliquod, & sic in his procedendum est, prius a substantia ad potentias, secundo a potentiis ad opera, tertio ab operibus ad obiecta, in pasiuis autem, quia ipsa per se carent specie, sed obiectum agit in eis speciem suam, & econtra, primo scilicet ab obiectis ad opera, est procedendum, secundo ab operibus ad obiecta, tertio ab obiectis ad substantiam, quare &c.

Sed contra hanc expositionem. Primo arguitur, quia nulla substantia est per se sensibilis, sicut dicemus infra, scilicet secundo huius tex. 66. sed tantum accidentia sunt per se sensibilia, quare &c. Secundo arguitur, quia ipse dicit, quòd si potentiæ animæ fuerint actiuæ prius procedendum est ad opera, O' contrario modo processit Arist. in uirtute nutritiua, quia scilicet processit ab obiectis ad opera, ab operibus ad potentias, sicut etiam in pasiuis, scilicet in potentia prius incipit a colore, Secundo ab operibus, ad potentias, tertio a potentiis ad substantias, sed contrarium fecit hic Arist. Quia prius incipit a suabstantia animæ ad potentias, prius enim deffinit animam, postea potentias animæ, quare &c. Secundo arguitur, quia ordo doctrinæ, debet conformari ordini naturæ, non enim est, secundum nostrum modum, & libitum ordinare res in scientia, & scientias ipsas, sed oportet, ꝙ quo ordine, disposuit eas natura, eo ordine procedamus, tradendo, scilicet scientiam earum unde sicut natura incipit a propriis principiis rerum ad corpora cœlestia, ita etiam facit, Arist. tradendo doctrinam de his rebus, itaque ergo cum substantia animæ sit natura prior potentiis, & potentiæ naturæ priores operibus, prius etiam incipiendum est secundum ordinem doctrinæ, a substantia animæ ad potentias, & a potentiis ad opera, quare &c. Confirmatur, quia illud quod est principium alicuius, illud est principium cognoscendi, illud, sed anima est, principium essendi potentiis, & potentiæ operibus, ergo prius incipiendum est a substantia animæ ad potentias, & a potentiis ad opera, & sic dico, quod hoc pacto, processit Arist. primo scilicet ab obiectis ad opera, secundo ex operibus ad potentias, tertio a potentiis ad substantiam, O' tu dices, contrarium fecit hic Arist. quia ipse prius deffiniuit animam, scilicet antequam traderet notitiam de eius potentiis, Dico duplici processu utitur, Arist. in danda deffinitione de anima, uniuersali, scilicet, & particulari, processus uniuersalis est, quo tradit nobis notitiam communem de omni anima, processus uero particularis est, quo tradit nobis particularem, cuiuslibet animæ notitiam, Et ita in tradenda notitia communi de omni anima, processit prius ab obiectis ad

opera

opera Arist. ipse, secundo ab operibus ad potentias, tertio a potentiis ad substantiam, sicut facit in tradenda particulari notitia de anima ipsa; sed statim dices, ubi nam habetur talis processus, O dico non habetur in his lib. de anima, sed in lib. de historia animalium & in libro de partibus, qui libri ordine præcedunt istos de anima, notum ibi fuit subiectum animæ, in quo etiam nota fuerunt, & organa, & opera, in his lib. similiter & potentiæ ex quarum notitia, nunc tradit deffinitionem communem animæ, postea hic descendit ad tres animas speciales, scilicet uegetatiuam sensitiuam, & intellectiuam, & etiam hoc ordine procedit prius, scilicet ab obiectis ad opera sicut patet &c. De secundo quod dices, quia ordo doctrinæ debet esse cõformis ordini naturæ, dico quòd uerum est, hoc per se, per accidens tamen quandoque cogimur peruertere ordinem, quando scilicet posteriora, naturæ sunt nobis notiora, ex ipsis priora naturæ pendent in notitia, tunc enim licet, peruertere ordinem, sicut dixi superius de lib. animalium & plantarum, quia plantæ præcedunt animalia ordine naturæ, tamen animalia præcedunt, quo ad cognitionem ipsas, plantas, scilicet cum similitudine quadam, partes enim plantarum innotescunt nobis, ex partibus animalium similitudine quadam, ideo peruertimus ordinem quandoque, ita etiam in proposito, quia substantia animæ innotescit nobis, ex potentiis, & potentiæ ex operibus, & opera ex obiectis, prius igitur incipiendum est, ab obiectis, licet substantia animæ ordine naturæ sit, prior tamen hac ratione peruertimus ordinem, quare &c. Similiter soluitur confirmatio, quia dicebas quod est principium essendi alicuius, est etiam principium cognoscendi illius. Dico uerum est naturaliter, & per se, per accidens tamen non; quia potentiæ innotescunt nobis ex operibus, & ex potentiis substantia animæ, peruertimus tamen ordinem, ut dixi gratia comoditatitis doctrinæ, quare &c.

Textus undecimus.

VIDETVR autem non solum quod quid est, cognoscere utile esse ad cognoscendum causas accidentium in substantiis, sicut in mathematicis quid rectum, & quid obliquum, & quid linea, & quid planum ad cognoscendum quòd rectis trian uli anguli sint equales, sed econuerso accidentia conferunt magnam partem ad cognoscendum quod quid est, cum enim habeamus tradere secundum phantasiam de accidentibus, aut omnibus, aut pluribus, tunc & de substantia habebimus dicere aliquid optime. Omnis enim demonstrationis principium est quod quid est, quare secundum quascunque diffinitiones non contingit accidentia cognoscere; sed neque de ipsis imaginari facile, manifestum est quod dialectica dicta sunt, & uane omnes.

Videtur autem non solum. Exponit nobis Aristot. in præsenti parte quæstiones quæ accidunt in inuenienda definitione animæ: Tum scilicet uniuersales, tum particulares, hic inquit Io. uult nobis Arist. tradere methodum generalem inueniendi quamlibet definitionem, Dicens, quòd quælibet definitio potest haberi ex accidentibus, per se, quædam enim accidentia, per se insunt, quædam ueto per accidens, quare ex accidentibus per se potest inueniri definitio, non autem ex accidentibus, per accidens, nam remota admodum accidentia sunt; quæ naturam rei de longinquo attingunt: Dicit Themistius ad rationem definiendi non conferunt, in quo genere peccat, ipse Chrisippus, inquit Themistius, quòd cum ipse deum definiturus, esset, id exemplis de altaribus, sacrificiis, statuis, comprobat. Ratus hæc argumenta habere uim magnam, ad demonstrandum; Verum, hæc aliena sunt & a natura deorum abiuncta, unde non dicunt in ipsis definitiones, sed debuit ipse definire Deus est, animal sempiternum mouens, & prouidens beneficium hominis, & per Deum intelligit Themistius, & Arist. non solum primam substantiam, sed totum animal cœleste, & totum ipsum cœlum, dicit ergo Arist. quòd ne dum definitio ducit nos in cognitionem accidentium sicut scilicet in mathematicis, ex definitione recti curui, & lineæ & plani, scimus quòd in rectis triangulis anguli sunt equales, uerum etiam econuerso, dicit Arist. accidentia ducunt nos in cognitionem definitionis, cum enim habemus tradere notitiam de accidentibus, aut omnibus, aut pluribus, tunc de substantia habebimus demonstrare aliquid, & hinc sequitur, quòd ipsa definitio est principium omnis demonstrationis, quia scilicet declarat per se accidentia rei, addit. secundo Arist. quòd quæcumque fuerint definitiones, quæ non declarant accidentia propria rei, & ex qua non licet coniectare, de propriis manifestum est, quòd ille definitiones dialecticæ sunt, & uanæ, ubi autem dicit Arist. in medio tex. scilicet. *Omnis enim demonstrationis principium* referuntur ista uerba, ad superius dicta, non autem ad proxima, quia mos ipsius Arist. semper fuit obseruare sermonem suum, quare &c. Hic est dubitatio ex uerbis Io. primo, quia inquit Arist. quòd definitio declarat per se accidentia, & etiam econtra, ex per se accidentibus inuenitur definitio, ergo uidetur uti circulo Arist. & ita idem respectu eiusdem erit notius & ignotius; per se enim accidentia erunt notiora; etiam erunt ipsa ignotiora, & definitio erit notior, hoc autem imposcbile est, quid igitur dicit Arist. secunda dubitatio est in exemplo Arist. in tex. quia dicit quòd mathematices ex definitione lineæ curui recti &c. Scit quòd triangulus habet tres angulos duobus rectis, hoc autem

non est uerum, quia est definitio subiecti quæ facit scire accidentia, non autem alterius rei, definitio enim demonstrans accidentia propria alicuius rei est illius rei,& ita ex definitione trianguli mathematicus scit ipsum habere tres angulos duobus rectis equales, non autem definitione alterius, quare &c. Tertia dubitatio est, quia Arist. dicit, illas definitiones quæ non declarant, per se accidentia rei; aut ex quibus non licet coniectare de ipsis, appellare dialecticas, & uanas, quare &c. Quarta dubitatio est, quia Arist. dicit quòd quæcunque fuerint definitiones quæ non declarant accidentia, propria rei, aut ex quibus non licet coniectare, de rebus propriis, hoc est dictu, de accidentibus propriis Dubitatur, ergo, quare Arist. addit hanc particulam, aut ex qua non licet coniectare, de propriis accidentibus, quare &c. Quinta dubitatio est quia dicit quòd principium demonstrationis est, definitio subiecti, sed oppositum uidetur dicere, 2. posteriorum, quia dicit ibi, quòd ratio primi termini, est medium in demonstratione ipsa, & est, eius principium, quia scilicet demonstramus passionem de subiecto per definitionem passionis, hic uero loquitur de definitione subiecti, quòd scilicet sit medium, & prncipium demonstrationis, quia ipse dicit in tex. quod accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum, quod quid est, & definitionem ipsius animæ, ergo &c. Sexta & ultima dubitatio, quia Arist. dicit quòd accidentia conferunt ad cognoscendam definitionem, addit enim Arist. magnam partem, & non dixit simpliciter, conferunt, quare merito dubitatur &c. Dico dicit Io. de primo, quòd hoc argumentum difficile est, ipsi Alexandro, quia Alexander exponit uerba Arist. de omnibus per se accidentibus, dicit enim ex omnibus per se accidentibus inueniri definitionem, & ita Ioannes Grammaticus sequitur Alexandrum, quòd scilicet idem sit notius & ignotius, & exemplificat Alexander opinionem suam, & dicit,quod accidentia,scilicet sint manifesta ante definitionem,ex ipsis enim inuenitur definitio ipsa, quia Arist. 4. phys. definiens locum, supponit accidentia loci, scilicet quòd locus contineat locatum, & subdit Arist. si cum inuenerimus per se accidentia loci,inuenerimus definitionem illam, Tunc definitio illa uera est, si autem ipsa accidentia non inuenerimus, tunc mala & incompleta definitio erit, quare &c. Secundo patet idem quia Arist. tertio phys. inuestigans de uacuo, & infinito, supponit per se accidentia horum, & ex ipsis accidētibus inuestigat horum definitionem ergo definitiones innotescunt, ex per se accidentibus, quare &c. Aliter dicit Io. & primo cum dicis definitio innotescit ex ipsis per se accidentibus, & accidentia innotescunt, ex definitione sicut dicit Arist. dico dicit Io. quòd non sunt eadem per se accidentia omnia, id est, & ex quibus innotescit definitio, & alia quæ innotescunt ex definitione, sed sunt diuersa, alia enim sunt, ex quibus inuestigamus definitionem, bene in ipsis mathematicis, omnia per se accidentia innotescunt, ex definitione, in naturalibus autem, quædam per se accidentia innotescunt nobis, ex sensibus, & ex ipsis inuestigamus definitionem, aliqua uero non sunt ita manifesta sensibus, sed ex definitione nobis innotescunt, quare &c. O tu dices dicit Alexander, iste ordo quæstionum, uidelicet si est, quid est, quia est, & propter quid est, duæ ultimæ quæstiones sunt de accidentibus per se, ergo quæruntur accidentia post ipsam definitionem, dico quòd non omnia accidentia, per se sequuntur ipsam definitionem, quia illa quæ sunt manifesta ipsi sensui, non sequuntur, quare &c.

Quod dicis secundo quòd Arist. sumit falsum in suo exemplo, quia dicit quòd mathematicus, ex definitione lineæ, & recti, sumit quòd triangulus, habeat tres &c. Dico dicit Io. quòd re uera exemplum Arist. falsum est, sed quia damus exempla pro maiori declaratione, non autem quòd ita in re sit, quare &c. Aliomodo possumus etiam dicere, quòd scilicet duplex est principium demonstrationis, alterum, scilicet uirtualiter demonstrationem ipsam ingrediens, ut sunt prima principia, immediata, & ipsæ primæ dignitates. Alterum uero formaliter ingreditur demonstrationes ipsas, & ita cum dicis quod ex definitione lineæ,& recti,non innotescit, quòd triangulus habeat tres, dico quòd innotescit uirtualiter, scilicet uirtute horum principiorum,& harum definitionum, quia Euclides in principio suæ mathematicæ, ponit istas definitiones. Tanquam, principia & propositiones maximas, per se inquam notas, super quas,omnes demonstrationes fundantur, & ita uirtualiter dicuntur ingredi ipsas demonstrationes; ita etiā definitiones aliquæ uirtuales sunt,& sunt illæ sicut diximus ut definitio puncti, lineæ, recti, & curui. Aliæ formales, ut est illa definitio trianguli, proprie, quare &c. Sed tu dicis, quia Euclides primo lib. elementorum propositione decimatertia non ostendit quòd triangulus habeat tres, per definitionem trianguli, sed per hoc quòd triangulus habet angulum extrinsecum. Et ex hoc uoluit Egidius, quòd definitio subiecti non sit medium in demonstratione ipsa. Sed definitio passionis, quare &c. Dico quòd licet mathematicus ita faciat, de facto tamen accipit illam definitionem, ut scilicet circumscribit nobis definitionem ipsius trianguli, quare &c.

Quod quæris tertio An scilicet Aristot. illas definitiones, quæ non declarant, per se accidentia, nt puta ex quibus licet coniectare de ipsis appellat dialecticas & uanas. Dico quòd ita appellat, ut scilicet quasi in uanum ferantur, quia scilicet non declarant substantiam eius, & quatenus

non

non consequuntur finem suum, & ideo ab Arist. uanæ esse dicuntur huiusmodi definitiones, sicut etiam nos dicimus, hanc definitionem iræ uanam esse, scilicet cum dicis, ira est appetitus uindictæ, est enim superficialis, & dialectica, quia non declarat substantiam intrinsecam ipsius iræ, nec etiam consequitur, finem suum: ideo dicuntur uanæ definitiones istæ, sicut etiam nos dicimus hanc definitionem iræ uanam, quare &c.

Quod quæris quarto, quare scilicet Arist. addat hanc particulam. *Aut ex qua non licet coniectare de proprijs accidentibus.* Dico quod addit Aristot. hoc, ut inuat nobis, quòd non omnia per se accidentia, ex definitione, ipsa nobis innotescere, quare &c. Quòd dicebas quinto, quia non omnis demonstrationis principium, est definitio subiecti, quare &c. Dico quòd duplex est demonstratio, una est per causam, quæ dicitur præcipua demonstratio, & est, per causam alia est demonstratio non præcipua & tamen est, per causam, & est, quando per definitionem passionis demonstramus passionem de subiecto, præcipua etiam demonstratio est, etiam per causam quando demonstramus, per proprias propositiones & indemonstrabiles, & sic cum dicit Arist. quòd ratio primi termini dicitur esse medium in demonstratione, intelligit de demonstratione per causam, non tamen præcipuam demonstrationem, quia ibi maior est, demonstrabilis, scilicet per definitionem subiecti, & sic si demonstratur risibilitas de homine, per definitiones passionis, puta per hoc quòd habet aptitudinem ad ridendum, quæ est definitio ipsius risibilitatis. Tunc hæc demonstratio non dicitur præcipua, quamuis, non sit per causam, cum hæc tamen posset demonstrari per definitionem hominis, & sic cum demonstratio habeat esse ex indemonstrabilibus, & ex immediatis, tunc debet accipere medium, definitionem subiecti, & sic omnis demonstrationis, per causam præcipuæ dico, & in resolubilis, in aliam demonstrationem, medium est definitio subiecti, & in hac standum, si nos loquamur, ut dixi supra de illa demonstratione præcipua, ut scilicet loquutus est, Arist. primo post. medium erit definitio ipsius subiecti, ut etiã hic dicit ipse Arist. non autem erit definitio passionis ut dicit Egidius, & ceteri, quare &c.

Quod addebas quinto, & ultimo, quòd Arist. dicit in textu accidentia ipsa conferre secundum magnam partem ad ipsam definitionem non autem ut dicit Simplicius, quare &c. O' dicit ipse Simplicius, quia ad definitionem habendam non tantum utimur propriis accidentibus, sed requiruntur etiam diuisio, demonstratio, & compositio, sicut diximus supra, quare &c.

Textus duodecimus.

DVBITATIONEM autem habent & passiones animæ utrum communes sint omnes & habentis, an sit & aliqua animæ propria ipsius, hoc enim accipere quidem necessarium est, non autem leue, uidetur autem plurimorum quidem nullum sine corpore pati nec facere, ut irasci, confidere, desiderare, & omnino sentire, maxime autem assimilatur proprio intelligere, si autem & hoc phantasia quædam, aut non sine phantasia non contingit utique nec hoc sine corpore esse.

Lectio uigesimanona.

DVBITATIONEM autem &c. Obiicit sibi Arist. in hoc tex. quia iã dixit quòd quælibet definitio est inuestiganda ex per se accidentibus, ideo dubitatur, an scilicet ipsa anima habeat per se & propria accidentia, ex quibus possit inuestigari definitio eius, quia uidetur, quòd accidentia animæ sint ipsius opera, de quibus dubium est, an sint ipsi animæ propria, an simul conueniant animæ, & corpori simul, & dicit, quòd de passionibus animæ appetitus sensitiuus, patet quòd sunt communes animæ, & corpori, quia hæ, passiones, non fiunt sine commotione corporis ut pati, irasci, facere, desiderare, Patitur enim corpus in his passionibus, & non possunt fieri absque passione corporis, quare &c. Sed uidetur quòd sit dubitatio de intellectione, quia hæc non uidetur communis corpori, sed ab ipso penitus seiuncta est, ideo solum de hac est dubitatio. An scilicet sit libera a corpore nec ne, tandem Arist. dissoluens hanc dubitationem, subiungit, cum conditione, quia scilicet intellectio est phantasia, id est, phantasiatio, quia solet Arist. appellare actus potentiæ, dicit, ergo si intellectus est, phantasia, id est, si est imaginatio, aut non sine imaginatione. Tunc ipsa est communis animæ, & corpori, quare &c. Sed est dubitatio, quid nam intendat Arist. per hæc uerba, quis scilicet sit sensus horum uerborum quia ex istis uerbis, & aliis quæ dixit Arist. tertio huius trigesimonono pendet tota illa difficultas, An scilicet anima rationalis sit corporea, uel incorporea, de qua diffusius, in tertio dicemus, pro nunc tamen dicit Ioannes, quòd hæc uerba Arist. intelligenda sunt sic, & iste est sensus uerborum, quòd si intellectus est imaginatio, uel non sine imaginatione, tunc esset communis corpori, quia aliqua est intellectio, quæ est sine imaginatione. Duplex enim est intellectio, dicit Ioannes, quædam est intellectio rerum sensibilium, & hæc est communis animæ & corpori, quia non possumus intelligere sensibilia nisi mediante sensu. Alia est intellectio animæ & est intellectio substantiarum abstractarum & est, in-

tellectio qua ſe ipſam intelligit, & hæc intellectio eſt inſenſibilis, nec eſt communis corpori, quia ipſa non indiget ſenſu, ſed ſolum animæ eſt propria, ideo illa operario eſt ſeparata a corpore, ſeu ab organo corporali, & eſt uirtus ipſius animæ rationalis, omnino inquam ſeiuncta a corpore & eſt ſine imaginatione, ergo omnis intellectio non eſt communis corpori, quare &c.

Sed obiicit ſibi ipſi Ioannes. Quia Ariſt. tertio huius, trigeſimonono dicit, quòd ſimplices intellectiones non ſunt phanraſmara, & non ſunt ſimulacra rerum in imaginatiua, & phantaſia ipſa, nihilominus non ſunr ſine phantaſmaribus ipſis, omnis ergo intellectio, ſubſtantiarum abſtractarum eſt mutatio animæ & eſt coniuncta, ſenſibus, quare &c. In hoc laborandum eſt dicit Ioannes, quia hoc uerbum non ſine phantaſmate, triplliciter ſumitur, Vno modo ſumitur non ſine, id eſt concomitanter, non tamen illi cui concomitatur eſt adiumento, ſiue nocumento, ſed tamen ſignificat nobis quandam conſequtionem, ſicut ipſa membra corporis, in Solis ſphera, quia quo pergit corpus ſemper ipſum cõſequitur, non tamen ipſi eſt, coadiumento, ſiue nocumento, nec hoc modo ſumltur hic in propoſito. Alio modo ſumitur non ſine, ut dicit neceſsitatem, quòd ſcilicet hoc non poteſt eſſe ſine illo, ſicut dicit Homerus, Achillem ſe uiriliter geſsiſſe, non ſine haſta, quia haſta erat ſibi neceſſaria, quare &c. Alio modo & hoc tertio modo ſumitur hoc uerbum, non ſine, ut dicit quodam impedimentum, non autem neceſsitatem, ſed quòd fuit illi impedimento nauim per ueniſſe ad portum, non ſine procella maris.

Sed iſta expoſitio primò dubia eſt, quia Ariſt. ubique ponit, omnem intellectum ſeu intellectionem ipſius animæ rationalis cum phantaſmate, quæritenim Ariſt. in ſecundo huius cur, ſcilicet animal non reminiſcitur poſt mortem rerum, quas egit in uita, cum anima ipſa rationalis perpetua ſit. Et ſubiectum ſuum ſit corruptibile. Reſpondit Ariſt. & dicit, quòd ideo hoc eſt, quia anima rationalis, non intelligit ſine ſenſu, quia non intelligit ſine phantaſmatibus, quæ apprehenduntur mediantibus ipſis ſenſibus, ſenſus autem præceſſi & correpri corruptus eſt. Ita etiam corrumpuntur intellectiones, & ita ex uerbis Ariſt. apparet, quòd omnis intellectio ſit cum ſenſu, alirer illa ſolutio non eſſet uera, quia intellectio aliqua ſi fieret ſine ſenſu, & poſt mortem Socratis, cum anima ſit perpetua & incorruptibilis deberet remanere illa intellectio, & ita ſolutio illius, quaſtionis nulla eſſet, quare &c. Secundo reprobatur iſta, quòd dicit ſimulacra rerum ſenſibilium impediunt, intellectiones rerum abſtractarum &c. Sed hoc non eſt uerum, quia eſt naturalis colligantia intellectus, cum ipſis, ergo non ſe impediunt. Quia nulla uirtus poteſt a natura impediri, quam ſcilicet ipſa natura, ordinauit, quare &c. Tertiò ex iſta opinione Ioannis ſequitur unum quod maxime repugnat, uerbis Ariſt. quia Ioan. ſupponit, quòd cum intellectus reflectitur ſuper ſe ipſum, tunc intelligat, & apprehendat, quod tamen falſiſsimum eſt, ſecundum Ariſt. quia inferius ex uerbis Ariſt. dicemus, quòd intellectus humanus tantum per accidens ſe, intelligit, ex ſenſu, ſcilicet. Et eius intellectio in ipſo eſt, accidens non eſt autem ſubſtantia, ideo appellauit Ariſt. ipſum potentia intellectum, quia aliquando intelligit aliquando, non, quando enim ipſi ſenſus non apprehendunt nec etiam ipſe intelligit, & ideo ſui ſubſtanria non eſt ſui inrellectio, ſicut eſt in ſubſtantiis, ſed ſua intellectio habetur & dependet ex ſenſibus, non ergo anima cum reflectitur, ſuper ſe ipſam etiam ſe ipſam intelligit. Quare dico, quòd reuera uerba Ioannis, potius ſunt ad mentem Platonis, quàm ipſius Ariſtotelis, Quia Plato poſuit hoc, ſcilicet, quòd cum anima ipſa reflectitur, ſuper ſe ipſam, ſe ipſam intelligit, ſecundum Ariſt. autem eſt alio modo, quia omnis noſtra intellectio, ſecundum ipſum, eſt, & dependet ex ſenſu, quid, ergo dicemus de uerbis Ariſt. quis erit ſenſus uerborum ſuorum, quia hic dicit ſi intellectus eſt phantaſia uel non ſine phantaſia, neque ergo erit ſine corpore, tertio autem huius dicit, quòd nullæ ſimplices intellectiones, ſunt ſine phantaſmatibus, ergo omnis animæ operatio eſt communis animæ & corpori, ergo &c.

Dico domini ſicut etiam dicit Auerroes, in ultimis uerbis hujus commenti ubi dicit, & hæc eſt ſententia eius in intellectu materiali, ſcilicet in intellectu potentiæ, quia ſcilicet ipſe eſt abſtractus a corpore, impoſsibile tamen eſt, quòd intelligat aliquod ſine imaginatione, & ita ratio habebit communicationem, cum corpore, ratio dico operandi ſed actio ſua habebit communicationem, cum corpore ipſo, quare &c. Et addit uerba obſcura ipſe Auer. quia dicit & non intelligit, per hoc quod apparet ex hoc ſermone, ſuperficie tenus, id eſt intelligere, quòd non ſit cũ imaginatione, quia ſic generabilis & corruptibilis eſſet anima ipſa rationalis, & tamen Petrus Pomponatius accepit, ubi probat mortalitatem animæ rationalis, ſed domini ego multum miror de ipſis, cum ex hoc loco non poſsit ſumi illa ratio, quare &c. Domini hæc uerba Auer. ſunt difficilima, & duplicem habent ſenſum, unum ſcilicet, quòd Alexander intellexerit, hoc quòd intellectio eſt, imaginatio, uel non ſine imaginatione, id eſt quòd omnis intellectio ſit cum imaginatione, quia ſit intellectio de ſubſtantiis ſeparatis, non per imaginationem, quare &c. Sed hæc expoſitio iuditio meo fatua eſt. Quia iam dixit Auer. ſecundum mentem Ariſtotelis, quòd omnis intellectio ſit cum imaginatione, intelle-

ctus

ctus autem cum ſit ſeparatus a corpore, quare &c. Tum etiam iſta expoſitio ſupponit, quòd nobis ſit poſsibilis ſubſtantiarum abſtractarum, per eſſentiam, ſcilicet non concurrente ſenſu, quod tamen ut uidemus, tertio huius falſum eſt quare &c. Alij alio modo exponunt, ſcilicet quòd ſi intellectio ſit imaginatio, aut non ſine imaginatione, quòd ſimpliciter intellectio ſit ipſa imaginatio, ut accipit ipſe, Alex. tun ſequeretur, quòd intellectus eſſet generabilis & corruptibilis, quare &c. Sed etiam hæc expoſitio uana eſt, & puerilis, quia argumentum Alexandri nullius eſſet momenti, ex tota enim diſiunctiua acciperet unam partem. Quia argueret, ſi intellectus, ſit imaginatio, aut non ſine imaginatione, ego dicam dicit ipſe, quòd eſt imaginatio, quia ſi dicas, tu es homo, uel tu es aſinus, ergo tu es lapis, uel tu es aſinus, hoc eſt puerile domini dicere, ſcilicet ſi intellectio ſit imaginatio, uel non ſine imaginatione, ergo eſt imaginatio, non ualet, quia in diſiunctiua tota, ad alteram partem tantum non ualet argumentum, ideo aliter. Et rectius exponitur, & alio pacto arguit Alexander, accipit enim hic, quòd ſi intellectio eſt imaginatio, uel non ſine imaginatione tunc communicat corpore, & non eſt ſine corpore & ita Alexander ex his uerbis, hic accipit maiorem ſuæ rationis, poſtea ſubdit minorem, ex uerbis Ariſt. tertio huius, ſed nulla intellectio eſt ſine corpore, ſeu ſine phantaſmate, & imaginatione, ergo &c. & ita patet, ſignificatur pro ſecunda parte diſiunctiuæ, ergo ſequitur, quòd omnis intellectio eſt communis etiam ipſi corpori, ergo non ſeparata eſt, a corpore, & ita iſte modus arguendi rectus eſt, quia eſt cum conditionali, cum poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis & hoc pacto, arguit ipſe Alexander, ſed ſi intellectio non eſt ſeparata a corpore, ergo nec etiam intellectus, quia dicit ipſe qualis eſt operatio, talis eſt ſubſtantia operantis, & ſi intellectus non eſt ſeparatus a corpore, ergo generabilis, & corruptionis. Quid ergo dicemus. O' domini, dico quòd facilis eſt ſolutio, ſi ſequamur uerba Alexandri, quia nullo pacto hæc eſt, opinio Ariſtotelis, quòd ſcilicet anima rationalis generabilis, & corruptibilis ſit, immo tenet expreſſe, quòd ingenita, & immortalis eſt. Cum ergo dicit Alex. ſi intellectio eſt imaginatio aut non ſine imaginatione, eſt communis animæ & corpori, O' dico quòd iſta propoſitio poteſt habere bonum ſenſum, & malum. Quia duobus modis, poteſt accipi etiam, ſcilicet cum imaginatione, unomodo per ſe, aliomodo, per accidens, per ſe ſcilicet, quòd dependeat a corpore, tanquam a ſubiecto, & organo corporali, & cum addis, omnis intellectio eſt cum imaginatione, dico quòd per accidens, quia ſcilicet in ſui intentione dependet a ſenſu, & ſenſus eſt communis corpori, ideo etiam intellectio eſt etiam communis corpori ipſi, per ſe tamen eſt ſeiuncta ab organo corporali, & a corpore ipſo, Et ſic per accidens eſt communis ipſi corpori, ita per accidens eſt, generabilis, & corruptibilis, quia aliquando eſt, ſenſus, cum quo operatur, & ſic aliquando eſt intellectio. Aliquando autem non eſt ſenſus, & ſic aliquando non eſt intellectio, & ita intelligit Ariſtoteles, & in hoc differt intellectio noſtra ab intellectione intelligentiarum, & ſubſtantiarum abſtractarum, quia illæ, omnino ſolutæ ſunt a corpore, per ſe, & per accidens, & nullomodo; nec in eſſe, nec in operari dependent a corpore, quare patet quòd errauit Alexander, & ſupra ſit hoc argumentum ſuperficialiter. Et dico quòd ita debetis exponere uerba Auerrois, & non intelligit per hoc quòd intelligere, non ſit niſi cum imaginatione tanquam in ſubiecto, quia intellectus omnino præſcindit a corpore, ſed communicat cum corpore, tanquam obiecto; neque propter hoc ſequitur quòd anima ipſa ſeu intellectus, ut uultis dicere, ſit generabilis, & corruptibilis; quare &c. Sed dices quia trigeſimoſexto huius, primi, dicit Auer. quòd ultima hominis perfectio eſt cognitio ſubſtantiarum abſtractarum, quomodo ergo loquitur ſecundum ſententiam Ariſt. hic, quòd ſcilicet omnis noſtra cognitio dependeat a ſenſu, cum illa cognitio ſubſtantiarum abſtractarum, non ſit cum ſenſu. Dico quòd intelligit Auer. quòd habemus cognitionem ſubſtantiarum abſtractarum mediante, tamen prius diſpoſitione, ſicut enim calor, & ſiccitas diſponunt lignum ad formam ignis, ita ſcientia moralis diſponit intellectum ad cognitionem ſubſtantiarum abſtractarum, & ideo quia iſtæ ſcientiæ, ut puta morales, ſunt ex ſenſibus, & illa cognitio ſubſtantiarum abſtractarum dependet ex iſtis ſcientiis, ideo etiam iſta cognitio dependet ex ſenſu, aut per ſe, aut per accidens. Quia omnes, hæ ſcientiæ, ut morales dependent ex ſenſu, & non poſſunt haberi niſi ex ſenſu ipſo, & niſi mediante ipſo ſenſu; cum autem cognitio ſubſtantiarum abſtractarum dependeat ex ipſis ſcientiis, & etiam ex ſenſu dependet, & in hoc diſconuenit Auer. a ueritate, & fide Chriſtiana, & Catholica. Quia domini Theologi noſtri ponunt, quòd cum anima noſtra ſeparata eſt a corpore poſſit cognoſcere Deum & ipſum intueri ad ſummum, abſque aliquo ſenſu, & abſque aliqua dependentia, a ſenſu ipſo, quod uerum eſt &c.

Textus decimuſtertius.

SI QVID igitur animæ operum aut paſſionum proprium, continget utique ipſam ſeparari, ſi uero nullum eſt proprium non erit utique ſeparabilis, ſed ſicut

recto

recto inquantum rectum multa accidunt, ut tangere eneam speram secundum punctum, non tamen tangit ab hoc separatum rectum inseparabile enim siquidem semper cum quodam corpore est.

Siquid igitur animæ operum. Hic tex. Domini ualde difficilis est, ideo bene aduertatis, postquam exposuit nobis Arist. quæ.s. passiones sint ipsi corpori, & animæ communes, quæ uero soli animæ propriæ, quia scilicet si est aliqua animæ propria operatio, maxime est intellectio ipsa, & demonstrauit quæ passiones sint separabiles a corpore, & quæ sint ipsi coniunctæ, hic ostendit idem ne dum scilicet de passionibus, sed etiam de operationibus,, quæ nam scilicet operationes animæ sint separatæ a corpore, & quæ coniunctæ, & ita quæ nam perpetuæ sint, & quæ nam corruptibiles, & tunc inueniemus an anima ipsa, sit separata a corpore, uel non. Quia scilicet ex ipsis operationibus talibus naturalibus, scilicet a corpore separabilibus, arguimus, potentias animæ separabiles a corpore, & ex potentia separabili arguimus animam ipsam esse a corpore separabilem, & duabus conditionibus, hoc ostendit Prima est, si est aliqua propria operatio animæ quæ scilicet non conueniat cum corpore, contingit ipsam a corpore separari, postea addit uerba, obscura Arist. *Sed sicut recto inquantum rectum.* Hoc est dictum, si secunda conditionalis est uera ita quòd antecedens & consequens sit uerum, quòd scilicet nulla potentia & operatio animæ sit ei propria, & non contingat a corpore separari, sequitur, quòd ita erit de passionibus animæ sicut de passionibus mathematicæ, quia passiones uidentur tantum per se, & propriæ figuris conuenire, sine materia sensibili, reuera tamen sunt communes figuræ & materiæ sensibili ita etiam erit de operationibus animæ, scilicet quòd aliquæ uidebuntur propriæ animæ, reuera tamen erunt communes animæ, & corpori, si uerificatur ergo antecedens & consequens, secundæ conditionalis, dictum erit de passionibus animæ, sicut est de passionibus mathematicalibus, & hoc pacto debetis intelligere exemplum Arist. Videtur enim difficile, quomodo & ad quid, ponat hoc exemplum, declarat hæc Arist. & si dicimus, quòd figura sphærica, tangit rectam in puncto uidetur enim quòd hæc passio insit figuris tantum sine materia sensibili, reuera sunt hæ passiones in aere, uel in terra, uel in ligno uel in aliquo alio materiali subiecto, hæc domini est tota sententia huius tex. &c.

Quo ad uerba autem dicit. Primo Arist. in tex. si est aliqua passio aut operatio animæ propria. Quæritur, quare ita disiunctiuæ loquitur Arist. dico dicit Ioannes, ideo disiunctiuæ loquutus est ut comprehendat omnes animæ passiones, instabiles, scilicet, & non affixæ, quæ aliquando eueniunt in sensato, & aliquando non, & istæ sunt cogitationes rerum sensibilium, quæ ueniunt ex sensibus, & istæ appellantur passiones quæ in sui apprehensione quandam passionem ingerunt; Aliæ sunt passiones animæ stabiles, & firmæ, ut cum anima apprehendit semetipsam, quia sui cognitio non est ex sensibus, & ita non fiunt, phantasmata, quæ scilicet inferant passionem; sed est simplex cognitio hæc & operatio, non autem passio, ut ergo Arist. comprehendat omnes passiones animæ, dicit Io. ita disiunctiuæ loquutus est, quare &c.

Sed hæc opinio ut heri dicebatur potius secundum Platonem, quam secundum Aristotelem est, quia Arist. non uult quòd anima rationalis cum reflectitur super semetipsam etiam seipsam intelligat. Quia sui intellectio, non est sui substantia, sed omnis cognitio in intellectu est accidens, non autem substantia, quare &c. Neque etiam uerum est, quòd intellectio sensibilium sit cum imaginatione, & sensu, operatio autem sine imaginatione, & sensu. Quia diximus ex Aristotele, quòd nulla intellectio est sine sensu, quia omni intellectui deseruit imaginatio, possumus, ergo dicere, quòd ideo Arist. usus est, disiunctione, ut scilicet generaliter loquatur de partibus animæ, cum autem quædam partes sint passiones, quia scilicet inferunt passionem, ille scilicet quæ sunt circa sensum, & intellectum sicut uisio, patitur enim oculus in recipiendo simulacrum albedinis, similiter etiam intellectus patitur a phantasmatibus, ideo hæc operationes appellantur passiones, aliæ autem sunt partes animæ uegetatiuæ, & istæ sunt operationes, scilicet generare & nutrire, hæc enim sunt operationes, & non passiones, ut autem Arist. generaliter comprehendat omnia opera ipsius animæ, ita disiunctiuæ loquutus est, scilicet dicens. *Actio aut passio.* Secundo dicit Io aduertens illa uerba Arist. *Sicut recto inquantum rectum* dicit Ioannes, quòd Arist. in his uerbis usus est, equiuocatione, & hoc miram fecit difficultatem usus est; enim equiuocatione terminorum, primo enim accipit Arist. rectum in concreto, ut cum dicit recto inquantum rectum, accipit enim rectum hic ut materia sensibilis est, postea cum accipit Eneam sphæram in abstracto, & ideo debebat dicere Eneam sphæricitatem, sed usus est termino concreto, pro abstracto, & ita uerba ipsius Arist. obscura sunt. Ex hoc dicit Io. &c. Tertio aliud adduxit Io. quia Arist. dicit recto multa accidunt, non solum (enim dicit) in recto, accidit sphæricitatem tangere in puncto, sed multa alia accidunt, ut quòd eius medium non extat extremum, & quod rectum recto potest iungi, & cum ipso continuari, ideo dicit Arist. recto multa accidunt, exemplum sicut istud contingere sphæricitatem in puncto Eneam &c. Etiam aduerten-

uertendum dicit Io. quod dicit Arist. in prima conditionali, non enim perperam dicit, si aliqua operatio aut passio animæ est ipsi propria, contingit separari a corpore, quia ad hoc, ut anima, sit separata a corpore, sufficit tantum unam potentiam a corpore esse separatam, non autem oportet, quòd omnes potentiæ a corpore sint separatæ, bene ad hoc quòd anima sit cum corpore, omnes passiones cum corpore esse requiruntur, exemplum, sicut diximus, animam rationalem esse separatam a corpore, non tamen omnes eius operationes sunt separatæ a corpore, ut motio est cum corpore, sola autem intellectio est separata a corpore, & tamen quo ad intellectionem est separata absolute. Tam ipsa anima rationalis est saparata a corpore, & est ingenita & incorruptibilis, quia si anima genita, potest, ergo generari, & omnis potentia essendi est a materia, quæ ergo præscindunt a materia, non possunt generari, iterum & est incorruptibilis, quia si corruptibilis, potest ergo non esse, & sicut potentia essendi est ex materia, ita etiam potentia non essendi est ex ipsa materia, sed anima rationalis est separata a materia, ergo ipsa non potest non esse, hæc est tota series nerborum Arist. in hoc tex. ut patere potest &c.

Lectio trigesima.

EXPOSVIMVS heri textum decimumtertium, qui difficillimus erat, & omnia secundum Ioannem Grammaticum examinauimus super ipso, tum quia est locus difficilis, multæ accidunt dubitationes. Prima dubitatio est, in prima conditionali Arist. ex Io. a quo latini ipsi acceperunt, est ergo dubitatio, quia dicit Arist. si aliqua est propria operatio, aut passio animæ, contingit ipsam utique separari a corpore, Dicit Io. quòd hæc conditionalis est falsa quia oppositũ cõsequẽtis stat cũ antecedẽti, quia potentia uisiua habet uisionem sibi propriam qua est, sibi passio, quia omnis sensus ab obiecto dicitur pati, nec tamen contingit ipsam separari a corpore, ergo conditionalis falsa est. Quia illa conditionalis dicitur esse, falsa, cuius oppositum consequentis, stat cum antecedente, ex regulis logicis, quare &c.

Secundo arguitur, quia etiam secunda conditionalis, falsa est, scilicet si nulla est prima operatio animæ, non utique a corpore separabilis erit, quia eodem pacto oppositum consequentis stat cum antecedente, quia ista stant simul, scilicet quòd nulla sit propria operatio alicuius, & tamen a corpore uel ab obiecto separabilis sit, & hoc clare patet de nauta ipso, qui nullam habet operationem propriam, sed omnes eius operationes, inquantum nauta, est communicare, cum ipsa naui. Et tamen ipse separabilis est a naui, non ergo ualet, secunda conditionalis Aristot. Tum etiam difficilius arguitur, ubi in argumentatione opus est fingere, quia Arist. peccat in modo arguendi. Quia ipse arguit a positione consequẽtis ad positionẽ antecedentis & a destructione antecedentis, ad destructionem consequentis, & totum hoc est contra suas regulas logicas, Alij enim arguunt a positione consequentis ad positionem antecedentis, quare &c.

Quòd autem ita arguat Arist. patet ex nerbis suis, dicit enim, si aliqua est propria operatio animæ, contingit ipsam separari a corpore, postea arguit sic, si nulla est propria operatio animæ, nõ contingit ipsam separari a corpore, arguit ergo Arist. a destructione antecedentis ad destructionem consequentis, arguit enim, ac si dicat, si Socrates est homo, Socrates est animal, sed Socrates non est homo, ergo Socrates non est animal, & hoc est argumentum, in qno expositores uarij sunt & intricati, omnes fere dico. Tertia dubitatio est, quia dicit Arist. quòd si aliqua est, propria animæ operatio, contingit ipsam separari a corpore, quare utitur hoc nerbo contingit, & non dicit Arist. necesse est &c.

Quarta dubitatio est, in exemplo Arist. quia dicit, quòd rectum uidetur tangere sphericum in puncto, qnod tantum figuris ipsis mathematicis contingit uel conuenit, non autem materiæ, O' contra dices tu, qnia Arist. secundo physic. dicit, abstrahere solum pertinet ad ipsos mathematicos, & ideo subdit illud dictum uulgatum, quòd abstrahentium non est mendacium, & Aristot. demonstrat tantum hanc passionem de ipsis figuris, ergo uere insunt hæ passiones ipsis figuris separatis a materia, & confirmatur idem, quia Auer. tertio metaphysicæ, & primo cœli dicit, quòd rectum tangere in puncto ipsum sphericum, conuenit tantum his figuris, ut scilicet sint separatæ a materia, quare &c.

Ad has dubitationes, Domini respondeamus, & Primo ad primam cum dicitur, quòd prima conditionalis Arist. falsa est, quia s. oppositum cõsequentis stat cum antecedente, quia potentia uisiua, habet uisionem, quæ est operatio sibi propria, & tamen est cum corpore, quòd autem uisionem operationem sibi propriam, patet, quia tantum oculo conuenit ipsi potentiæ uisiuæ, uidere, non autem est commune aliis sensibus, quare &c. O' dico, quòd est equiuocatio de propria operatione alicuius. Quia non communicat cum organo corporali illa operatio, & ita est, propria respectu organi, cum ergo hic dices, quòd uisio est propria uirtuti uisiuæ, si tu intelligas proprias, comparando, ad alias potẽtias, quia scilicet aliæ potentiæ non uidenr, dicitur propria non tamen dicitur propria respectu organi, ut scilicet fiat sine organo corporali, immo fit cum organo corporali, cum autem dicit Arist. si ali-

Qua est propria operatio animæ, id est quæ fiat sine organo corporali, tunc est separata a corpore, & ita sumendo, oppositum consequentis non stat cum antecedente, eodem pacto soluitur secunda dubitatio, scilicet in secunda conditionali, cum scilicet dices, quòd oppositum consequentis, neque ipsum stat cum antecedente, quia nauta habet omnes operationes communes cum naui, & tamē separatur a naui, quare &c. Dico quòd nauta bifariam potest sumi, uno modo in eo, quòd nauta, & hoc pacto omnes eius operationes, sunt cum naui, & ab ipsa naui inquantum nauta est inseparabilis. Alio pacto potest considerari nauta, non inquantum nauta, sed inquantum homo, & hoc pacto, sicut homo habet operationes, sibi proprias, quibus non communicat cum naui, sic dico, quòd est separabilis a naui ipsa, ita etiam anima rationalis, si tantum uiuificaret, & moueret, esset cum corpore, & ab ipso inseparabilis, & sic si consideretur secundū istas operationes, quæ sunt animæ, & corpori communes, ita etiam ab ipso corpore erunt inseparabiles, quia tamen ipsa anima intelligit sine corpore, & sic etiam ab ipso separabilis, & Domini non intelligatis separabilem, secundum situm, quia hoc falsum esset, est enim anima ipsa in corpore, sed intelligendum est, hoc secundum causalitatem, quia scilicet anima rationalis est incausata a corpore, non ergo generatur generatione illius, nec extenditur extensione illius, nec etiam diuiditur diuisione illius, hæc enim omnia competunt formis eductis de potentia materiæ, sed anima rationalis tota est, in qualibet parte, & tota in toto, & sciatis domini, quòd idem nos intelligimus de substantiis abstractis, quia nos dicimus, ipsas esse abstractas a cœlo ipso, non quòd secundum situm, quia patet, quòd ipse non sunt extra cœlum, sed intelligimus, quòd non sunt causate a cœlo, nec etiam sunt extense extensione illius &c. Nullus enim domini habet passiones a materia cœli, quare &c.

Quod dicebatur tertio, quòd scilicet ratio Arist. peccat fallacia consequentis, & tamen ipse Arist. fuit excellentissimus Dial. domini Arist. non magis excellit omnes alios in dialecticis, quàm in aliis scientiis, quomodo ergo hic arguit, a destructione antecedentis, ad destructionem consequentis &c. O' hic domini, uarij sunt modi dicendi, in hac materia, & primus modus est ipsius appollinaris. Et Reuerendissimi Cardinalis Gaietani, qui dicunt, quòd Arist. arguit a destructione antecedentis primæ conditionalis, sed ponit duas conditionales distinctas, & separatas, seorsum, & ita in secunda conditionali, non arguir a destructione antecedentis primæ, ad destructionem eiusdem, quare &c. Sed domini ego non intelligo hunc modum dicendi, quia ego quæro, an secunda conditionalis, sit uera, & necessario inferens, aut non si dicunt, quòd non est uera, nihil sequitur, ergo & errauit Arist. si autem est uera, & necessaria, & arguit ab opposito antecedentis primæ ad oppositum consequentis eiusdem, ergo aliquando licet arguere, quod tamen est contra ipsum Arist. quare iste modus uanus est, Ideo aliter dicunt Simpl. Alber. Alem. D. Thom. & Egidius, qui dicunt, quòd reuera Arist. arguit ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis, nec tamen semper ualet iste modus arguendi, sed aliquando ualet gratia dico terminorum, ualet inquam, sicut si dicamus, hoc est animal rationale, ergo est homo, ita in proposito arguit Arist. in terminis conuertibilibus, conuertuntur enim isti termini, scilicet esse aliquas animæ passiones proprias, & ipsas separari a corpore quare &c.

Sed contra istum modum dicendi insurrexit Paulus Venetus, dicit, quòd non potest defendi hæc responsio, quia scilicet non est uerum, quòd hæc conuertantur, scilicet esse aliquas operationes animæ proprias, & ipsas a corpore separari, quia in plus est esse animæ operationes proprias, quàm separari a corpore, patet inquit ipse de anima rationali, quia ipsa separatur a corpore, non tamen habet operationem sibi propriam, quia intellectio, quæ uidetur animæ rationali propria communis est ipsi, & angelis, quid ergo dicemus, O' dicit ipse Paulus Venetus dicemus, quòd ipse Arist. non arguit, ab antecedenti, ad consequens, sed arguit a specie, ad genus, quia scilicet in plus est separari a corpore, quàm esse aliquas operationes animæ proprias, illud enim se habet tanquam genus, ad istud, stat enim, quòd anima sit separata a corpore, & nullus habeat operationes proprias, sed quomodo arguit, in secunda conditionali, quia tunc argueret a negatione speciei ad negationem generis, O' dicit quòd facile soluitur, quia nos modo intelligitis, quomodo arguit Arist. quia ipse Arist. in secunda conditionali præponit consequens antecedenti, ipsius enim Arist. est peruertere ordinem subiecti & prædicati dicit ipse, sicut etiam in syllogismo sæpe proponit Arist. minorem maiori, & econtra, uel dicit, q̄ potuit hoc esse uitio translatoris, quare &c.

Sed domini ista responsio pueriliis est, nec unquam uidi hominem magis ignarum isto, ego enim legi omnia eius opera, quia ipse profitetur logicam ipsam & certe iudicio meo ipse peruertit, immo dico, quòd non intellexerit Aristotelem, ideo falsissima est sua responsio, nec intelligit Aristotelem, quia nos non accipimus hic proprium, quod scilicet non conueniat alteri, quia non intelligit proprium. quarto modo, sicut dicit, ista bestia, sed intelligimus hic proprium animæ, quod est sine organo corporali, accipimus enim propriam passionem animæ esse illam,

quæ

quæ est ipsius animæ sine corporali organo, quare &c.

Secundo etiam manifeste extorquet uerba Aristot. quia ita manent, & ita sunt in tex. Græco & ita intellexit & exposuit, Themist. quia autem ipse ignorabat litteras Græcas, recurrit ad uitium translatoris, quod perperam dictum fuit ab ipso, quare &c.

Quid ergo dicemus huic dubio, O' fugiamus ad Them. qui dicit, quòd duplex est, genus conditionalis, unum in quo genus necessario sequitur, ad antecedens, & in hoc est arguendum sicut declarauit Arist. secundo priorum & in libro topicorum, scilicet a positione antecedentis ad positionem consequentis, & ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis. Aliud uero est genus conditionalis, in quo consequens contingenter, & non necessario, sequitur ad antecedēs, & in hoc arguimus a positione antecedētis ad positionem consequentis, & a negatione antecedētis ad negarionem consequentis ut V. G. Si Dion nauiget contingit ut per sepe nauiget hoc antecedens si Dion nauiget, est tanquam totum respectu consequentis, & ideo hic arguendum est a positione consequentis supra positionem antecedētis, affirmatiue & a negatione antecedentis, ad negationem consequentis cum negatione arguimus, exemplū primi, ut si Diō persepe nauiget, ergo nauigat, Aliud exemplum, ut si hoc quod uidetur a remotis est animal, contingit quòd sit homo, sed nō est animal, ergo non est homo hoc modo etiam arguit hic Arist. s. si anima habet operationem sibi propriam contingit ipsam separari a corpore, sed nō est operatio aliqua ei propria, ergo non separatur a corpore, quia hic consequens non necessario sequitur ad antecedens, & hic est superficialis sensus Themistij, quare &c.

Sed uos dicetis, quid uult dicere Them. per hæc uerba, O' dico quòd preceptor meus quando eram iunior, & audiebam ipsum dicebat, q sensus Them. & Auer. talis erat, scilicet quòd duplex est genus conditionalis, unum est, in quo genus necessario sequitur ad antecedens, & in hoc genere arguendum est a positione consequentis ad positionem antecedētis affirmatiue, sicut nos dicimus, docuit nos Arist. & a negatione consequentis ad negationem antecedentis negatiue, tenet. Aliud est genus conditionalis in quo genus contingenter sequitur antecedenti & non ex quacunque causa contingentiæ, sed solum, sicut species contingit generi, ita quòd scilicet antecedens se habeat, sicut totum & consequens sicut pars, & ideo dicit iste modus hæc non est uera, conditionalis, si tu es homo, tu sedes, uel si tu es homo, tu curris, quia in istis consequens, non se habet, ut patet antecedenti, itaque ergo in hac conditionali consequens, debet contingenter sequi ex antecedente, sicut pars ad suum totum, & sicut species ad genus, & tunc licet arguere cum destructione antecedentis, ad destructionem consequentis, quare &c.

Et addit ista opinio, quòd modo contingens hic, non est pars consequentis, sed ponitur hic contingens ut notitia, quòd hæc illatio contingens est, & non necessaria, quia ex communi usu loquendi, acciperetur pro necessaria, ideo dico opinio addit ly contingit ipse Arist. tamen nos, possumus dicere si Dion nauigat per sepe nauigat & si hoc est animal, est homo, tamē addimus ly cōtingit ne acciperetur pro necessaria, quare &c. Quòd autem ita arguat, Arist. patet inquit opinio, quia in plus est, habere operationem propriam, quàm separari a corpore, stat enim, quòd habeat operationem propriam, & tamen non sit separata a corpore, quia anima rationalis habet intelligere, quod est sibi proprium, & tamen in sui intellectione indiget sensu, neque mirum est dicit ista opinio, quòd scilicet sit & detur conditionalis contingens, hoc enim non repugnat dialecticis, quòd patet apud sophistas, & præsertim apud Entisterum V. G. si dicamus aliqua conditionalis est uera, si sua contradictoria est uera, ut si dicamus contradictorium propositionis est uerum, tunc sicut ipsa significat, ita est uera, sed ipsa significat, quòd contradictorium eius est uerum, & si non sit uerum, falsa est illa conditionalis, & ita hæc qua hic utitur Arist. potest esse uera, & falsa, ideo dicemus, quòd contingenter uera est, do exemplum dicit opinio, si accipiatur talis propositio uera, tu es lapis, demōstrata aliqua propositione, quæ dicat, tu es lapis, sed talis reperitur, ergo tu es lapis, potest tamen non reperiri, & tunc erit uera, quare &c.

Sed iste modus dicendi præceptoris mei non mihi placet, quia non est ad mentem Arist. quia nusquam dicit Arist. quòd detur conditionalis, contingens, nam primo perihermenias, & secundo prior. dicit Arist. quòd omnis conditionalis uera, est necessaria, & omnis conditionalis falsa est impossibilis, ita etiam ex Boetio in libello de syllogismis conditionalibus ad mentem Arist. ponit omnem conditionalem ueram esse necessariam, quia omnis conditionalis uera est necessaria & omnis falsa est impossibis, sicut dicit Arist. & est illa in qua contradictorium consequentis repugnat antecedenti, similiter omnis conditionalis falsa, est etiam impossibilis, in qua scilicet oppositum consequentis stat cum antecedente, & id quod dico de propositionibus conditionalibus, ita etiam intelligatis de cōsequentibus, quia omnis conditionalis est consequentia quædam, sed cum consequens repugnar antecedenti hoc est bifariam, secundum ipsum Arist. primo & secundo priorum, aut enim repugnat antecedenti merito terminorum, significationis, ut cum arguimus, ad genus a sua specie, ut si tu es homo, tu

es animal, quia domini impossibile est, quòd quis sit in specie, & non sit in genere, similiter etiam & in correlatiuis, ut si pater est, filius est, hæ domini sunt conditionales necessariæ, seu cōsequentiæ; quæ tenent gratia materiæ, idest gratia terminorum, quia gratia significationis terminorum, & ideo illatio a specie ad genus tenet gratia materiæ, & similiter etiam in correlatiuis, &c. Secundo domini consequens potest repugnare antecedenti, scilicet merito ordinis terminorum, & tunc illatio, tenet gratia formæ, & hoc quando facit illationem formalem, Arist. ponit ipse terminos ignotos, & materiales, ut sunt ipsa elementa A. B. C. &c. eodem pacto tenet, quando arguimus, in terminis conuertibilibus, & ideo errant latini moderni, dicentes quòd iste sunt conditionales necessariæ de forma tu es homo ergo tu es animal, & dicunt etiam multas alias nugas, quæ non sunt ad mentem Arist. & ideo ad propositam redeundo, dico ꝙ ille modus dicendi ipsius Temistij est mihi paululum respectus, quia si omnis conditionalis uera est necessaria, & si est falsa, est impossibilis, sed illud quod dicunt puta, si aliquod animal est rationale, est homo, dico quòd hæc propositio potius est cathegorica habens, scilicet, unum extremum conditionalis propositionis, quàm sit conditionalis puta seu tota, & ideo ego uolo tenere, ut dixit Arist. in pluribus locis, nec uolo aliam logicam fingere ut isti faciunt, quòd scilicet omnis conditionalis uera est necessaria, & omnis falsa est impossibilis, quare &c.

Sed uos statim dicetis, quid dicit Themist. O' dico intelligamus hominem, quia uult dicere Themist. quòd duplex est conditionalis, una in qua consequens necessario sequitur ex antecedente, & de ista dantur regule arguendi, ut posuit Arist. affirmatiue, scilicet positione antecedentis ad positionem consequentis, negatione uero a destructione consequentis, ad destructionem antecedentis. Alia est conditionalis, in qua consequens non sequitur absolute, necessario ex antecedente, sed bene sequitur necessario, si addatur modus contingens, & in hoc genere conditinalis possumus, dupliciter arguere, uno modo affirmatiue a positione antecedentis ad positionem consequentis, quatenus, scilicet tota conditionalis est necessaria, V.G. si Dion nauigat quod est antecedens, quia est sicuti totum respectu illius consequentis, potest ipse Dion persepe nauigare, sed Dion nauigat, ergo contingit, ut persepæ nauiget, ita negatione tenet sic, si Dion non nauigat ergo non persepe nauigat, & oportet, quòd in hac conditionali antecedens, se habeat ut totum, consequens uero ut pars. Et Simplicius primo cœli tex. decimo disputat longissimis uerbis de hac conditionali contra ipsum Joannem Grammaticum, & dicit quòd oportet, in isto modo arguendi duas conditiones obseruare, prima est, quòd quando negamus consequens, debemus apponere negationem ipsi modo contingenti, & non uerbo substantiuo, scilicet sum es est, ut si Dion nauigat, ergo contingit ipsum persepe nauigare, ultima si non contingit ipsum persepe nauigare, ergo Dion non nauigat & ita ualet, si autem apponemus negationem ipsi uerbo substantiuo, non ualet exemplum, domini & ideo oportet addere negationem modo contingenti, non autem ipsi uerbo, & tunc est, uerum ut puta non contingit quòd sit Grammaticus, ergo non est homo, quare ergo prima conditio est, ut in negatione contingentis negatio apponatur ipsi modo contingentis, non autem ipsi uerbo, quare &c. Secunda conditio obseruanda inquit Simplicius est, ut accipiamus, ipsum contingens ad utrunque, Domini Latini habent triplex contingens, ut credo etiam uos scire unum, quod est, ut genus, & duo quæ sunt ut species, & ipsi appellant possibile. Græci autem non habent hoc possibile, scilicet quòd isti dicunt de inesse, sed appellant contingens, est enim contingens pro possibili, & contingens pro necessario, & est, contingens quod opponitur necessario secundum Græcos, & istud est triplex aut enim est ad utrunlibet, & est quando scilicet indifferenter, est uera propositio affirmatiua & negatiua, & ista contingit Socratem currere. Aliud est, contingens ut in pluribus, quod est ut homines in senectute canescere, aliud est contingens ut raro, ut exempli gratia, iuuenes canescere, quia hæc raro contingit, accidit tamen hoc modo dicit Simpl. debemus intelligere contingens quod est species, quæ opponitur ipsi necessario, & quod sit contingens ad utrunlibet, nam si dico, si hoc quod uidetur a remotis est animal, contingit quòd moueat mandibulā superiorem & aliquod inferiorem, sed non contingit, quòd hoc animal moueat, mandibulam superiorem demonstrato homine, ergo non est animal ipse homo, antecedens domini uerū est, & consequens falsum, & ideo peccat argumentū, sed cur peccat argumentum, O' dico quia accepisti, contingens ut raro, quia raro animal ipsum mouet mandibulam superiorem solus enim Crocodilus sensu percipitur quòd mouet mandibulam superiorem, quare ergo dicit ipse Simplicius habet accipi contingens ad utrunlibet, & ideo istæ duæ conditiones sunt obseruandæ; in tali modo arguendi &c. Iam dico sicut dicit ipse Simplicius, licet illa secunda conditio, superflua sit, ut dicemus infra, & tunc licet arguere, si Dyon, nauigat, ergo contingit, ut persepe nauiget, sed non persepe nauigat, ergo non nauigat, ut fit in illis conditionibus necessariis, scilicet a positione antecedentis ad positionem consequentis affirmatiuæ, & ab oppo-

opposito consequentis ad oppositum antecedentis negatiuæ. Aliomodo possumus arguere, quatenus consequens illud, scilicet contingit persepe nauigare, pro una parte est, ut uerificatur & non necessario sequitur ad antecedens, sed tantum contingenter, & tunc dicemus, si Dyon. nauigat, ergo contingit ipsum persepe nauigare, sed Dyon. nauigat, ergo contingit ipsum persepe nauigare, & hocmodo arguimus affirmatiuæ negatiuæ uero arguimus, si Dyon. non nauigat ergo non persepe nauigat & ita non ponimus modum contingentiæ, & hoc pacto arguit ipse Aristoteles in tex. Vbi inquit; sed non est, aliqua operatio animæ sibi propria, ergo anima ipsa non separatur a corpore, & ideo Arist. non posuit modum, neque affirmando, neque negando ipsum, & hocmodo recte arguit Arist. itaque ergo nos resolute dicemus, quòd non datur conditionalis uera contingens, sed omnis conditionalis uera, est necessaria, & omnis conditionalis falsa, est impossibilis, & illæ propositiones, quas adduxit Entisber, potius sunt Cathegoricæ, de altero extremo conditionali, quam sint hipotheticæ, & ita dico, quòd si illa conditionalis, scilicet si Dyon. nauigat, contingit ipsum persepæ nauigare, necessaria, & in ipsa arguimus sicut in aliis necessariis conditionalibus affirmatiuæ, scilicet, a positione antecedentis, ad positionem, cõsequẽtis, negatiuæ uero ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, seruatis tamen illis duabus conditionibus, quas assignauit Simplicius. Prima scilicet quòd negetur ipse modus. Secunda quòd contingens ipsum sit ad utrunlibet, & non ut in pluribus, nec etiam ut raro, si uero consideremus illud contingens, quatenus scilicet sequitur cum modo contingentiæ, ad antecedens ipsum, tunc econtra arguimus scilicet a destructione antecedentis ad destructionem consequentis, & ratio est, quia hic est, opposita habitudo dicit Themistius, in prima enim arguebamus a specie ad genus, & erat sicut pars respectu totius, ideo affirmatiuæ arguimus prius scilicet ponendo antecedens, postea consequens, negatiuæ uero a consequente ad antecedens, ut est homo, ergo est animal, sed non est animal ergo non est homo, quia a negatione totius, sequitur negatio partis, in alia uero cum dicimus, si Dyon. persepe nauigat. consequens est, ut pars & antecedens, ut totum quia nauigare, est in plusquam persepæ nauigare, antecedens enim est, sicut genus, consequens uero sicuti species, ideo hic arguimus oppositomodo affirmatiuæ, scilicet a positione consequentis, ad positionem antecedentis, negatiuæ a destructione, antecedentis ad destructionem consequentis & ideo. Dico, ꝙ recte dicit Arist. si est aliqua operatio animæ propria, contingit ipsam a corpore separari, quòd consequens est, ut pars antecedentis, & ita econtra dicit Arist. si non habet operationem propriam sibi, non ergo separatur a corpore, & tunc nullam mentionem facimus de uerbo; sed de modo contingenti, quia seruatur hic habitudo totius & partis, & quòd huiusmodi conditionalis Arist. sit ut illa Themistii, scilicet si Dyon. nauigat patet. Quia cum dico si anima habet operationem sibi propriam, in plus est, quam sit ista, scilicet ipsam esse separatam a corpore, quia non omne quod habet operationem sibi propriam, est a corpore separatum, nam anima rationalis habet operationem sibi propriam, scilicet intelligere, & tamen est cum corpore obiectiuæ, & ideo non erat uerum absolutæ illud, puta, si anima haberet operationem sibi propriam, ergo ipsa separatur a corpore, bene separatur cum modo contingentiæ, scilicet si anima habet operationem sibi propriam, ergo contingit ipsam separari a corpore, quia ipsa potest esse cum corpore & sine corpore, est enim cum corpore, si egeat sensu, ut anima cœlestis, & ideo utrunque contingit illi antecedenti, si Dyon. nauigat contingit bene seu prospere nauigare, & ob hoc facit Themistius conditionalem sub modo contingentiæ, non enim uerum esset dicere Dyon. nauigat, ergo persepæ nauigat, sine modo contingentis, quare &c.

Lectio trigesimaprima.

EXPOSVIMVS secundum Themistium quomodo scilicet possumus arguere in conditionalibus, scilicet a positione consequentis ad positionẽ antecedentis, & a destructione antecedentis, ad destructionem consequentis, cum modo contingentiæ, non autem absolutæ, sed etiam circa hoc dictum Themistii est dubitatio, primo quia uidetur, quòd iste modus adhuc peccat, quia dicit Them. si id quod uidetur a remotis est animal, ergo contingit quòd sit homo, ergo si non contingit quòd sit homo, non est animal, sed hoc non est uerum. Quia demonstrato equo, conditionalis non est uera, quia antecedens est uerum, & consequens est falsum, ergo &c. Secundo arguitur, quia tu dicis, quòd in illa conditionali debemus arguere a positione antecedentis ad positionem consequentis, & a negatione antecedentis ad negationem consequentis, & ita negatiuæ debes amittere, modum contingentiæ, sed non facit ita Them. Quia semper ipse ponit modum contingentiæ & negat & affirmat ipsum in suis consequentiis. Tertio arguitur, quia Arist. dicit primo priorum quòd omne Enthimema, & omnis illatio Enthimematica, tenet uirtute alicuius Cathegoricæ necessariæ, per quam reducitur, in syllogismum ipsum, ut ista, si tu es homo, tu es animal, tenet uirtute illius propositionis necessariæ, scilicet omnis ho-

sno est animal, ratione enim huius reducitur ad syllogismum, si ergo ista est consequentia necessaria, quæ erit Cathegorica necessaria, per quam & uirture cuius tenet ista, scilicet si hoc quod uidetur a remotis est animal, contingit quòd sit homo, non enim est ratione illius, contingit, quòd omnis homo sit animal, quia hæc est falsa immo dico, quòd omnis homo de necessitate, est animal, non autem contingenter, ergo sequitur quòd illud argumentum peccat, quare &c.

De primo cum dicis, quòd uidetur modus Themistii aliquantulum peccare, dico, quòd est deceptio quia cum taliter arguitur semper prius inquirendum est, quid sit quid demonstretur, si enim cum arguis, si quod uidetur, a remotis est animal, contingit, quòd sit homo, tunc si demonstraretur, quod sit equus illa conditionalis falsa est, quia equus necessario est equus, non autem contingenter si autem demonstretur homo ipse, falsa est, illa propositio, quòd scilicet homo sit contingenter animal, similiter sicut de alia, immo homo necessario est animal, quid ergo debemus dicere, dico domini cum arguitur, si quod uidetur a remotis est animal, cum tu quæris quid demonstretur dico, quòd non demonstratur homo, neque equus, neque aliquod aliud indiuiduum signatum, sed indiuiduum uagum, scilicet indiuiduum entis, quia prima cōditionalis, tunc sempet falsa esset, si primum assignaretur, quare &c.

Sed uos dicetis quid ergo dixit Simpl. quia ipse dixit, quòd iste modus arguendi debet habere duas conditiones, Prima fuit quòd addatur negatio huic uerbo contingit, secūda conditio fuit, quòd scilicet esset contingens ad utrumlibet, scilicet propter illud exemplum, quod attulit, scilicet dicendo si hoc est animal, ergo contingit, quòd moueat mandibulam superiorem, quia demonstrato homine non ualet argumentum dicit, Simpl. ergo innuit Simplicius ex hoc, quòd scilicet possit demonstrari indiuiduum signatum, quare &c.

Dico, quòd superflua est illa conditio, & quòd licet arguere, de quocunque contingenti, cum non demonstratur aliquod indiuiduum signatum, sed solum indiuiduum entis, & ita superflua est illa secunda conditio quam addit Simplicius, &c. De secundo quod dicis. Quia dictum est, quòd in hoc modo arguendi debet dimitti modus contingentiæ, oppositum facit tamen ipse Them. in exemplo suo, quia semper ponit ly contingit, V. G. si Dion nauigat ergo cōtingit, quòd prospere nauiget, sed Dion non nauigat, ergo non contingit, quòd prospere nauiget, postea dicit, si quod uidetur a remotis est animal, contingit, quòd sit homo, sed non est animal, ergo non contingit, quòd sit homo, quare &c. Dico domini quòd ego non uidi uerba Græca, ipsius Themistij, ideo nescio si recte sint translata, sed etiam dato, quòd ita dicat possumus uos dicere, quòd Themist. in primo exemplo neglexit istud, in secundo obseruauit, quia ita ipse arguit in secundo exemplo. Si hoc quòd uidetur a remotis est animal, ergo contingit, quòd sit homo, & ita patet quòd clarissimis uerbis loquitur Themist. in secundo exemplo, quare &c. Sed uos dicetis, de hoc etiam est, dubius sermo, Arist. quia dicit ipse, si est aliqua operatio propria animæ, ergo contingit quòd separetur a corpore si uero nulla est operatio propria animæ, nec utique ipsa a corpore est separabilis, Arist. uidetur uti hoc uerbo separabilis, quod uerbum dicit potentiam, & apritudinem, quandam, cum sit, quòd ipse potuisset dicere separatur, & ita uidetur, quòd etiam Arist. neget modum contingentiæ, quare &c. Dico domini, quòd Arist. non posuit hic separabilis, ut dicit aptitudinem & contingentiam, sed ut significat actum, sicut etiam nos appellamus substantias diuinas separabiles, non ideo quia potentia sint separabiles, sed actu, quare &c.

De tertio quod dicis, quia omnis cōsequentia necessaria tenet uirtute alicuius cōtingētiæ necessariæ, sicut exēpli gratia, ista si hō animal currit tenet uirtute huius, quia omnis homo est animal si ergo hæc illatio necessaria est, uirtute cuius cathegorica tenet non enim uirtute huius, quòd omnis homo contingat, quòd sit animal, quia illa falsa est, immo omnis homo necessario est animal, quare &c. Dico uerum est tuum assumptum, quòd scilicet omnis consequentia tenet uirtute alicuius cathegoricæ, & ista ideo tenet uirtute alicuius cathegoricæ, O' quæ est ista cathegorica, O' dico est ista, scilicet quòd non repugnat ipsi animali qua animal est, quòd sit homo, quia genus semper est una cum suis speciebus, omnes enim species compossibiles sunt generi, quia nulla species repugnat ipsi generi, & ita soluta est tertia dubitatio principalis, &c. Erat quarta dubitatio principalis, scilicet cur Arist. dixit in sua conditionali, si aliqua est propria operatio animæ, contingit ipsam separari a corpore, quare scilicet dixit contingit, & non necessariæ, Et Ioan. Gram. domini dat triplices responsiones, quare &c. qualibet falsa est, iuditio meo, prima est, quòd Aristot. nunc accipit animam ad statuui, ut scilicet est in corpore, quia dicit ipse, dum anima est in corpore, habet operationes sibi proprias, contingit ipsam tamen separari a corpore, quare &c. Vel etiam rectius dicit Ioan. quia Arist. ideo ita dixit, quia respexit non quòd hoc corpus terrestre, sed corpus cœleste, quod perpetuo habebit animam ipsam, anima tamen ex se & ex parte sui, potest esse sine illo corpore cœlesti, quia dicit ipse potest esse alibi, reuera tamen semper ibi erit, quare &c.

Vel

Vel etiam tertio dicit Ioan. possumus dicere, q ideo dixit Arist. ipse,contingit, idest necessario, quia contingens trifariam summitur,unde etiam sumebatur, pro necessario, sicut Arist. in primo priorum & Latini hoc appellant possibile, quod Graeci appellant contingens, quare &c.

Sed qualibet expositio, ut dixi falsa, de prima patet, quòd ideo Arist. dicit contingens, quia scilicet respicit ad eum habitum quem habet anima ipsa, cum corpore, O' dico,quòd decipitur Ioannes, quòd Arist. non intelligit animam esse extra corpus, id est quòd aliquando sit sine corpore, quia sic Arist. poneret dari alium statum ipsius animae rationalis, scilicet esse extra corpus, quomodo statum nullibi fatetur Aristot. scilicet animam ipsam esse substantiam separatā a corpore, quia non sit in corpore hoc idem de substantiis separatis a corpore posset dici. Dico quòd scilicet Arist. non ideo dixit ipsas esse separatas a corpore, quia non sint in corpore, sed quia non sunt causate a corpore ipso, quare &c.

Sed ut dixi Arist. intelligit extra corpus, id est quia non habet causalitatem a corpore, neque habet conditiones corporis, non enim diuiditur diuisione corporis, neque etiam generatur generatione illius, neque corrumpitur corruptione illius,bene uerum est, quòd anima sensitiua, & uegatatiua,habent causalitatem a corpore & habent conditiones corporis, quia scilicet generantur generatione illius, & corrumpuntur corruptione illius, quare uana est prima expositio Ioannis & est uanior, quàm secunda, quia Arist. intellexit de anima coelesti, fulgida & spendida, quia Arist. non habuit opiniones de animabus, bene secundum Platonem uera, non autem apud Aristotelem, quia neque sensus neque ratio ostendit hanc opinionem esse ueram, & si domini ponimus, hoc uerum est ex fide, neque etiam ratione, neque sensu corroborari potest, quare &c. Neque etiam uera est, tertia expositio, quia sicut supra exposuimus nos, ex Themistio consequens, in hac conditionali sequitur contingenter ex antecedente, non autem necessario, & secundum istam expositionem soluta est. Iam quaestio, uel dubitatio, quare male dicit Ioan. in omnibus conditionalibus responsionibus, & debemus, ut nunc dixi adderere opinioni Themistii, ut soluamus istam tertiam dubitationem, quare &c.

Quarta dubitatio erat in exemplo Arist. quia dicit, quòd ille passiones non conueniunt figurae nisi ut sunt in materia sensibili, O' abstrahentium non est mendacium, secundo physic. decimooctauo, & tamen ipsi considerant has passiones de figuris, ut scilicet sunt abstractae, a materia, & mathematicus demonstrat has passiones de ipsis figuris sine materia sensibili, quare &c. Dico cum dicis mathematicus considerat sine materia sensibili has passiones, sicut est contangere, in puncto &c. uerum est, ergo demonstrat mathematicus, quòd scilicet in puncto se contangunt sine materia sensibili, nego argumentum, quia scilicet tantum secundum imaginationes contangunt se, & hae passiones insunt figuris secundum imaginationem, uere autem se contangunt ut subsistunt uere,sed non subsistunt, nisi ut sunt in materia sensibili, quare &c. O' addebas, quia Auer. primo coeli trigesimosecundo, dicit, contactus eorum in puncto, non conuenit eis nisi in mathematicis, non autem ut sunt in materia sensibili, & si contangunt se in materia sensibili, contangunt se secundum partem, non autem secundum punctum, quare &c. Dico sanus est sensus Auer. si recte consideretur, quia ipse uoluit dicere secundum rem, non est possibile, lineam rectam contangere in puncto ipsam sphericitatem, quia secundum rem,nos non possumus habere perfecte sphericum, id est perfectae figuram sphericam, quia propria passio coeli est figura spherica, quare &c. & ita clare patet, quomodo scilicet uerba Auer. intelligantur &c.

Textus decimus quartus.

VIDETUR autem & anima passiones omnes cum corpore esse, ira, mansuetudo, timor, misericordia, confidentia, adhuc gaudium, & amare, & odire, simul enim his patitur aliquid corpus. Indicat autem hoc aliquando a duris quidem & manifestis passionibus concidentibus nihil exacerbari, aut timere aliquando, aut & paruis & debilibus moueri cum accendatur corpus, & si sic se habeat, cum irascitur, adhuc autem magis hoc manifestum, nullo enim terribili imminente in passionibus fiunt his aliqui timentes.

Videtur autem & anima passiones &c. Dixerat superius Arist. quòd omnes fere animae passiones erant communes animae & corpori, hic modo uult declarare hoc, & duplex argumentum sumit ad hoc probandum,& primo,quia in his passionibus permutatur corpus, ergo sequitur, quòd sunt communes animae & corpori,assumptum patet inductiue, in omnibus passionibus & primo in ira, quia inflammatur in ipsa sanguis & rubescit homo & fremit, in timore autem homo palescit & tremit similiter,in pudore rubescit facies. & in omnibus passionibus appetitus sensitini permutatur corpus, & fit motus in sanguine, in aliquibus enim harum passionum extramittitur sanguis,ut in ira,& in pudore, in aliquibus uero intramittitur, ut in timore &c. Secundum argumentum, ad hoc probandum est, dicit Arist. quia omnes passiones sequuntur temperamentū corporis, & huius signum est quòd permuttatur, permutatione illius,ergo sunt cōmunes animae,& corpori,assumptum patet similiter inductiue,qui

ficci & calidi sunt temperamenti, ut malencholici, difficulter irrascuntur, sed potius sunt timidi, & ita hæ passiones temperamentum corporis sequuntur & quod dictum est de his, intelligendum etiam de aliis est, sicut ex permutatione ætatis & ex egritudinibus aliqui fiunt irascibiles, uel etiam fiunt timidiores, & ex permutatione uictus permutantur hæ passiones, unde dicunt philosophi, quòd possumus nos contemperare a passionibus appetitus sensitiui, ex cibis ipsis, scilicet ut si sumus irascibiles abstineamus nos a cibis qui causant in nobis talem passionem, tunc efficimur mitiores, & sic de aliis passionibus dicendum, ideo Galenus in libello. proprio quòd mores animæ sequuntur temperamentum corporis, dicit enim ex temperamento, aliqui fiunt audaciores aliqui uero timidi, aliqui liberales, aliqui fiunt auari & adduxit uerba Platonis in Thimeo Galenus, ubi Plato dicit, nullus homo ex se malus est, sed est, aut ex prauo temperamento, aut ex praua aliorum conuersatione unde dicebat Socrates &c. & quoniam hæc possumus in nobis permutare, scilicet uictum, possumus etiam in nobis permutare, & moderare, has passiones, & uerum est, quod dicit Arist. quòd scilicet passiones appetitus sensitiui permutantur permutatione temperamenti, & ita ex permutatione ætatis & uictus, & consuetudinis, & sicut nobis ostendit Arist. de passionibus appetitus sensitiui, ita etiam possumus arguere de passionibus & uirtutibus cognoscitiuis, quia ipse uariantur uariato temperamento, dixit enim Arist. in lib. de memoria, & reminiscentia, quòd qui ficcioris sunt temperamenti cerebri, melioris sunt memoriæ, tardioris autem ingenii, econtra uero qui humidi sunt temperamenti cerebri, melioris ingenij, tardioris autem memoriæ, & ita patet quòd etiam hæ uirtutes cognoscitiuæ permutantur permutatione ipsius temperamenti, quare &c.

Sed uos dicetis, hic accidunt multæ dubitationes, & primo, quia dicit Arist. quòd permutantur hæ passiones in homine, ex permutatione temperamenti, sed hoc uidetur falsum, quia instrumentum artis & si uariatur uel corrumpatur non mouet artificem ab intentione sua, non enim uariatur intellectio artificis, uariatis, scilicet eius instrumentis, sed temperamentum est instrumentum ipsius animæ, ergo quomodo potest permutare passiones seu operationes ipsius animæ, quare &c. Confirmatur quia primo phy. dicit Arist. quòd anima dominatur corpori, & non econtra, non enim domini, corpus ipsum dominatur ipsi animæ rationali, scilicet, quomodo ergo uariantur operationes ipsius permutato temperamento corporis, quare &c.

Secunda dubitatio est, quia ex uerbis Arist. sequitur quòd temperamentum sit causa passionum animæ, quia uidentur causari ab ipso, si permutantur permutatione eius, consequens tamen falsum est, quia hæ passiones sunt qualitates spirituales, ergo sunt corpore nobiliores, & ita ignobile esset causa nobilioris, quare &c. Confirmatur, quia temperamentum corporis uariatur secundum magis, & minus, est enim uel magis calidum, uel magis frigidum, seu minus calidum, & minus frigidum, sed ex quo ex uariatione temperaturæ, uariantur passiones animæ, ergo etiam hæ passiones suscipiunt magis & minus, & hæ potentiæ nihil aliud sunt quam ipsa anima, ergo anima suscipit magis & minus, quare &c.

Tertia dubitatio est, quia stante eodem temperamento, uariantur passiones animæ, ergo &c. patet assumptum, quia ubi quis fuerit a natura calidi & ficci temperamenti ex consuetudine tamen & scientia, fit mansuetus, cum tamen prius esset iracundus, ideo temperatura harum passionum causa est, patet, quia stante eadem causa debet stare idem effectus, quare &c.

Quarta dubitatio est, quia ex hoc loco sumit Alexander, quòd anima ipsa sit generabilis, & corruptibilis, & etiam Petrus Pomponatius sequens Alexandrum, quia dicit Arist. quòd uirtutes animæ & passiones appetitus sensitiui sunt cum corpore, ergo hæc uirtus corporea est, dicunt isti, quoniam uirtus seiuncta a corpore non uariatur uarietate corporis. & ita arguemus de ipsa anima rationali, dicunt ipsi, quia eius passiones, & uirtutes uariantur uariatione temperamenti, patet ex Aristot. qui dicit in tex. 94. secundi huius, molles carne, apti mente seu perspicatioris ingenij. Duri carne inepti mente, ergo, & qui ficci sunt temperamenti cerebri, melioris memoriæ, tardioris uero ingenij sunt &c.

Quinta dubitatio est, quia dictum est, in his passionibus, quòd si sequuntur temperamentum corporis, & hæ erunt in corpore, ratio autem aduersatur quandoq; corpori, quia ratio semper trahit ad bonum, omnis autem nostra notitia est, ex sensu, in nobis, & hæc sunt a natura, quomodo ergo natura ita facit continuam pugnam, & discordiam cum corpore, seu in corpore nostro, cum sit quòd natura semper intendit ordinem, non autem discordare, seu discordes facere, quare &c.

Sexta dubitatio est, quia dictum est, in his passionibus mouetur corpus, quia scilicet reuocatur sanguis sicut in timore, & emittitur sicut in ira dubitatur a quo nam fiat iste motus sanguinis contrarius, quia contrario modo mouetur, quia sanguis est quoddam mixtum ex elementis, & unius mixti, est tantum unus motus secundum naturam, non ergo potest ex se ipso duobus motibus contrariis moueri, neque a corde potest moueri istis motibus contrariis sanguinis,

nis, quia septimo phys. dicit Arist. quòd necessariæ est, quòd mouens debet esse proximum cum illo quod mouetur, & debet esse illi coniunctum, nisi interueniat alteratio, sicut patet de magnete ex distante trahente ferrum, sed cor non simul est, cum sanguine & spiritu, quando ita mouentur, non ergo a corde fit iste motus sanguinis, a quo ergo fiunt hi contrarii motus, &c. hæ domini sunt dubitationes, quæ partim sunt Io. Gram. partim uero ego ipse addidi, quas in sequenti lectione ordinate soluemus, quia pulsauit hora 23. & ideo habetis rationem &c.

Lectio trigesimasecunda.

ERANT plures dubitationes soluendæ, quas in lectione præterita, ut uidistis adduximus, & primo dicebatur, quia Arist. dixit quòd permutantur hæ passiones ex temperamento ipso, & hoc uidebatur falsum, quoniam instrumentum artis non mouet artificem ab intellectione sua, sed temperatura est instrumentum animæ, ergo non mouet ipsam a propria opinione &c. Dico ad hoc, dicit Io. quòd temperatura non mouet animam ab intellectione suarum operationũ quomodo ergo uariantur hæ passiones. O' uariantur a temperamento, quia temperamenta ipsa inclinãt animam ad huiusmodi passiones, non autem quòd moueat, sed inclinat, ut dixi, quia anima proportionaliter agit suas passiones huic temperamento, nec simile est, de instrumentis artificialibus, & de temperatura ipsius hominis, quia quantumcunque uariantur instrumenta artificis, non tamen uariatur eius intellectio, quia intellectio artificis, nullo pacto dependet ex ipsis instrumentis, anima autem dependet in esse a naturali temperamento ipsius cordis, si enim cor esset dissoni temperamenti, non moueret animam, non est autem sic de artifice ipso, quare &c.

Quod addebas secundo, ex Arist. primo polit. quia anima dominatur corpori, & non econtra dicetis, quòd duplex est dominium, unum uidelicet simpliciter, aliud uero secũdũ, idem est, dominium cum prædominio, quia ab alio dominiatur, aliud etiam dominatur aliquomodo, sed cum subdominio, sed etiam corpus aliquomodo dominatur ipsi animæ, secundum quid scilicet, quia in aliquo dependet a corpore, quare &c.

Quando addis secũdo & principaliter, quia ex uerbis Arist. sequitur, quòd temperamentum sit causa passionum animæ, quia uidetur ab ipso causari, ex quo scilicet uariantur uariatione eius. Dico non sequitur, passiones animæ permutantur permutatione temperamenti, ergo ab ipso causantur, sed est simile, sicut in animalibus, quæ generantur ex putri materia, quia uariata natura materiæ putris, diuersa generantur animalia; idem est, de anima rationali, neque tamen putris materia est causa illorum animalium, sed principaliter a primo opifice, secundario a calore putredinali incluso in illa materia, non autem materia putris, sed quia illa materia putris uaria suscipit excrementa, ex uarietatem ergo temperamenti uariantur species animalium, & ita diuersa generantur animalia, idem est, de anima rationali respectu hominis temperaturæ. Quia temperatura disponit animam eius ad diuersas passiones, non autem, quòd sit causa, quare &c.

O' tu dices, uidetur quòd corpus sit causa harum passionum, quoniam perfectiori modo concurrit ad ipsas, quàm faciat anima. Quia corpus subsistit, anima autem in corpore subsistit, & non per se, perfectius autem est illud quod per se subsistit, quam quod in alio, quare &c. Dico quòd corpus non subsistit per se, & quòd anima in ipso corpore, est sicuti accidens in subiecto, immo corpus habet esse, ab anima quæ est forma ipsius. Quia ex unione animæ cum corpore generatur tertium quoddam, quod per se subsistit, & fit una tertia substantia quæ est, compositum ex unione accedentis tamen, non fit unum tertium per se existens, quare &c.

Quod addis, quia sicut complexio suscipit magis & minus, ita hæ passiones animæ, etiam ex quo scilicet permutantur permutatione eius. Dico non sequitur argumentum. Complexio sequitur magis, & minus ergo & passiones animæ, quia satis est, quòd uarientur, modo tamen secundum magis & minus.

Erat tertio dubitatio. Quia stante eodem temperamento permutantur passiones animæ, uel ex prudentia, uel ex consuetudine, quare &c. Dico temperamenti mutatio, non necessitat animam in his passionibus, sed solum inclinat, & nihil aliud concludit argumentum, quod tamen falsum est, nisi quòd permutatione temperamenti possint permutari animæ passiones, & hoc uerũ est, ideo dicebat Aristoteles, nemo sua sponte malus est, sed ex praua consuetudine, & perseuerantia mali fit malus, quare &c. Sed tu dices ex quo dictum est, quòd temperamentum, non est causa principalis harum passionum animæ, nunquid tamen sit causa instrumentaria harum passionum &c. Dicit Ioannes, quòd sic, quòd sunt causæ instrumentariæ, ex opposito autem est Themistius, qui dicit quòd nullo pacto, temperamentum est causa harum passionum, magis tamen ipse insequuntur, temperamentum, quàm faciat artifex suum instrumentum. Quia ex quacunque permutatione facta in instrumento non permutatur artifex, sed bene ex quacunque permutatione facta, in temperatura permutantur passiones, quid ergo dicendũ

O ad

ad hanc dubitationem, Ioannes enim dicit, quòd se habet sicut instrumentum Themistius uero non. O dico, quòd uerum dicit Themistius, quia hæ passiones omnino sunt a causa extrinseca, non enim ab anima ipsa sunt effectiuæ, dico in homine ipso, & in ipso possunt contemperari propter dominium animæ rationalis, in beatis autem minime, sed necessario agunt, quare &c.

Sed domini, id quod dicit Themi. difficile est, quia dicit, quòd oculus effectiuæ concurrit ad uisum, quia simulachrum rei imprimitur in ipso oculo, quomodo igitur effectiuæ concurrit, quia totus actus sentiendi imprimitur ab extrinseco. Dico domini, quòd mihi durum uidetur, possumus tamen dicere, quòd concurrit effectiuæ, instrumentaliter, quia sensorium uisus habet plures partes, & prima & principalis pars per quam uidemus est humor glacialis, ex ipso enim principaliter uidemus, aliæ autem partes aut deferendo ibi simulacra sensibilium, aut nutriendo, aut deferendo, ab extrinsecis, possumus itaq; dicere quòd organum ipsum effectiuæ concurrit. Quia ille partes proxime humori glaciali, primo recipiunt simulachrum rei sensibilis, & ipsum deferunt, ad humorem glacialem, & ipsi humori glaciali ipsum imprimunt, & hoc pacto organum sentiendi concurrit effectiuæ ad actum, dico, sentiendi &c.

Quod dicis quarto, quia ex hoc loco sumi potest, argumentum Alex. & Petri Pomponatii. Qui dicunt, quòd anima rationalis est generabilis, & corruptibilis. Quia dicit Arist. quòd uirtutes ipsius animæ, & passiones appetitus sensitiui, sunt cum corpore, eodem modo, arguitur de anima rationali, sicut de sensitiua ipsa, quare &c. Dico domini quòd non est simile de anima rationali & de aliis uirtutibus animæ, quoniã animæ per se uariantur uariato temperamento ipso, operationes autem animæ rationalis, dicuntur per accidens uariari, quia scilicet intelligimus, quòd in sui esse, & operatione dependet a sensu, & ita per accidens pendet a corpore aliæ uero operationes per se, quare &c.

Quod dicis, quinto, quia erit continua pugnã in nobis ex quo ratio aduersatur sensui. Dico uerum est, sed natura ipsa, ideo dedit uirtutes morales & disciplinas, quibus dico contemperari possumus, sicut etiam cum creator creauit nos, dedit iustitiam originalem, quod est peccatum originale, recuperamur autem illud peccatum gratia dei. Quia illa est habitus equales huic peccato, unde domini isti Theologi, qui dubitant nunquid Beata uirgo concepta fuerit in peccato uel ne, ipsi nullo pacto possunt scire, quia si Deus in utero matris, effundit gratiam, ergo ipsa non tenetur huic peccato originali, quare &c. Amplius, quia ut dixi, gratia dei est, habitus equiualens huic peccato si autem non effundit gratiam. Tenetur ipsa beata uirgo huic peccato, ergo &c. Sed domini ista sunt secreta. Dei, minime perquirenda &c.

Erat sexta & ultima dubitatio, quo nam pacto in his passionibus animæ sanguis moueatur intus & extra, & a quo nam moueatur, quia certum est, quòd non a se ipso, quoniam ipse est, quoddam mixtum quod necessario debet moueri motu elementi prædominantis, non autem motibus contrariis, neque etiam cor est, principium talis motus, quia septimo physicorum mouens proximum & motum debent esse simul, sanguis autem, cum his motibus mouetur, de facto a corde separatus est, non ergo ab ipso corde mouetur. Dico quòd istæ motus sanguinis fit a corde. O tu dicis mouens & motum debent esse proxima & simul. Dico quòd cor non est, proximum mouens sed arteriæ ipsæ, sunt proximum moueus, bene cor est, principale mouens, quia ipsum exprimit uenas, & arterias, ex quibus sanguis detruditur ad superficiem, & ipsum exprimunt, & hoc pacto mouens proximum, & motum sunt simul, arteriæ enim sunt simul cum sanguine, sed est difficultas, quoniam arteriæ mouentur solum motu dilatationis & constrictionis, istæ autem sanguis motus, est alius ab istis arteriis, seu a sanguine arteriali; quomodo ergo fit talis motus ab ipsis arteriis. O de hoc dicemus infra diffusus &c.

Textus decimusquintus.

***SI** autem sic se habet manifestum, quoniam passionum rationes in materia sunt, quare termini tales. ut irasci motus quidem talis corporis, aut partis, aut potentiæ ab hoc & gratia & huius, propter hæc igitur iam physici est considerare de anima, aut omni huiusmodi.*

Si autem sic se habent &c. Ex prius declaratis in tex. scilicet præcedenti, quòd scilicet fere omnes passiones animæ sunt communes ipsi animæ, & corpori, & quasi nulla operatio animæ propria est, consequenter explicat nobis Arist. duas regulas, quarum prima est, quòd ex quo omnes passiones animæ sunt cum materia, ergo omnes sunt rationes, id est, formæ in materia ipsa, ergo & per materiam, omnes debent definiri, quoniam materia & forma correlatiua sunt, quorum unum per alterum semper debet definiri, definitio enim relatiuorum, ut dicit Arist. 6. Topi. debet esse, per eque nota, quia correlatiua debent se inuicem definire, ideo cum ista correlatiua fiat unum per alterum, igitur definiri debet quare &c.

Hic inquit Io. Grammaticus Arist. tradit nobis uegetatiuam, in definiendo res naturales, quomodo scilicet naturalis debet definire res ipsas naturales, ut formam per materiam, & per causam,

causam, qua mediante, forma est, cum materia, & cum omnes artes, dicit Io. uersentur, circa formam, & materiam, omnes ergo debent definiri per formam, & per materiam; & causam per quam forma est, cum ipsa materia, V. G. naturalis debet definire iram, dicendo. Ira est, feruor sanguinis circa cor, appetitu contristationis, & ita in hac definitione, etiam includimus illud qui ingiuriam intulit, quia appetimus ut etiam ipsa tristitia patiatur, quare ergo definitio per materiam, & per causam, per quam forma inest ipsi materiæ, materia enim est feruor sanguinis circa cor, causa autem erit tum efficiens tum finalis, & ita hæc est prima regula, quam docet hic Arist. secunda regula, & hic est, ille locus, quem uobis superius citaui, ex quo scilicet accipimus, quòd anima ipsa pertinet ad naturalem philosophum. Est ergo secunda regula, quòd philosophi naturalis est definire de omni anima, aut de huiusmodi, si non omnis sit cum materia, sed aliqua tantum &c.

Sed hic est duplex dubitatio. Primo quia Arist. hic, & infra, definiens iram ipsam dicit, quòd ira est, feruor sanguinis circa cor, & non dicit, est feruor in corde, sicut facit in definitione timoris, quia sicut in timorem contrahitur sanguis, ab exterioribus ad interiora, ita etiam in ira, quia feruor sanguis in corde &c. Secunda dubitatio est, quid dicendum sit de secunda regula Arist. Quia ipse tradit illam sub dubio & non soluit, dicit enim quòd ipsius naturalis philosophi, est definire de omni anima aut de huiusmodi, uidetur enim quòd aliter omnis anima sit considerationis philosophi naturalis, quia omnis anima qua anima, uiuificat corpus, omnis enim animæ ratio, cum corpore est, de omni ergo anima philosophi naturalis differere est, &c.

De primo cum dicis cur, scilicet Arist. dixit in definitione iræ, ita est feruor sanguinis circa cor, & non dixit in corde, sicut fecit in definitione timoris, dico quòd dissoluitur ista difficultas ex problemate Arist. 23. tertiæ partis in quo Arist. quærit cur est, quòd ipsi timentes frigescunt, & tamen sanguis reuocatur ad interiora, contrario autem modo faciunt qui irascuntur, quia calescunt, & tamen etiam in ipsis reuocatur calor ad interiora, scilicet sanguis, & dicit ibi Arist. quòd hoc fit quia non in eundem locum sanguis contrahitur in ira, & in timore, quia in timore contrahitur ad cor. In ira uero ad membra circumstantia, ipsi cordi, scilicet ad pulmonem ipsum, & ex pulmone, etiam in ira pars aliqua sanguinis mittitur ad cerebrum, & ideo in ira calefit ipsum cerebrum, quare recte dixit Arist. definiendo iram sic. Ira est feruor sanguinis circa cor, non autem in corde. De secunda dubitatione, quid dicendum. O respondet Ioannes, & dicit ipse, quòd ideo Arist. dixit de omni anima aut de huiusmodi, quia quædam anima est, cum materia & quædam seiuncta a materia, & est anima rationalis, & ita dicit ipse Ioannes de anima rationali non pertinet ad philosophum naturalem differere, sed ad ipsum metaphysicum, quare &c.

Sed dices Ioannes dicit, cur ergo Arist. coniunxit hic sermonem de anima rationali, cum sermone ipsius animæ uegetatiuæ, & sensitiuæ, quæ cum materia sunt eductæ de potentia ipsius. O dico dicit Ioannes, quòd ideo hoc fecit Arist. ut congiungeret causas materiales, cum causis abstractis a materia, ita enim fecit 8. phys. cum ipse Arist. loqueretur de motu circulari, quia resoluit demum in causas cœlestes, quare &c. Eodem etiam ordine processit in secundo lib. de generatione & corruptione, quia tradens causas materiales generationis, ut puta quattuor qualitates primas corporis simplicis. Tandem reduxit in corpora cœlestia, scilicet motum cœlestem perpetuum, ita etiam hic Arist. considerans de anima sensitiua & uegetatiua, reduxit eas ad animam rationalem, quare &c.

Sed aliter dicit Simplicius, quòd ideo Arist. dixit de omni anima, aut de huiusmodi, quòd naturalis philosophi, scilicet quatenus habet habitudinem, ideo anima rationalis quatenus est principium motus, & quatenus ipsum corpus mouet, est naturalis philosophi, quatenus autem seipsam intelligit, & etiam substantias abstractas dicit Simplicius est ipsius metaphysici. Quia hæc operatio fit sine aliqua indigentia sensus. Sed utranque opinionem reprobaui supra, dum exponerem procemium, quia totus hic liber de anima, est philosophi naturalis, quia in libris metaphysicæ nullibi loquutus est Arist. de ipsa anima rationali, quare domini si in illis esset tractandum de anima rationali imperfecti igitur essent illi libri, quare &c. Secundo falsa est opinio Simpl. quia anima non habet eam operationem, quam ei ipse imponit, quoniam anima ipsa non apprehendit semetipsam, quia sic esset intellectus actus, & semper intelligeret, & sic in sui notione non indigeret sensu, non autem esset intellectus potentia, quare &c.

Bene uerum est, quòd apprehendit semetipsam, difficulter tamen, & per accidens a sensibus, scilicet, & ita circumscribimus ipsam & difficilime eam apprehendimus, quare &c. Feci etiam argumentum superius, scilicet quòd de omni anima erat philosophi naturalis differere. Quia homo qua homo, philosophi naturalis considerationis est, sed homo, qua homo continet in se animam rationalem, aliter non esset homo, quia homo, est homo per animam rationalem, ergo etiam de omni anima rationali est, philosophi naturalis differere, & considerare, ideo dixi quod totus sermo de anima erat philosophi naturalis,

O ij siue

siue, sit anima uegetatiua, siue sensitiua, siue rationalis, quare &c. O tu dices si de omni anima, est ipsius philosophi naturalis differere, ergo etiam de anima cœlesti, quod tamen isti ex positores Græci inficiantur, quia tu dicis, quòd omnis anima qua anima est, uiuificat corpus, ergo respicit ipsum, ergo, est philosophi naturalis de omni anima considerare, ergo etiam de anima cœlesti. Dico, licet anima cœlestis qua anima est, habeat respectum ad animam, scilicet ad corpus, quia ipsum uiuificat, communicat enim corpori operationes uitales, ideo secundum quòd dependet a corpore in istis operationibus consideratur a philosopho naturali, quo autem ad intellectionem, quia ipsa fit in anima cœlesti, nullo mediante organo corporali, ideo consideratio eius, non est naturalis philosophi, sed est supremæ scientiæ, scilicet metaphysicæ, quo autem ad alias operationes ut est, mouere &c. Est philosophi naturalis considerare. Vnde philosophus octauo physicorum, considerauit intelligentias ipsas quæ mouent cœlum, & ita dico, quòd anima simpliciter non est philosophi naturalis, scilicet differere de omni anima, quia anima rationalis habet duo opera, quorum unum est, sine corpore, scilicet intelligere, aliud uero est, cum corpore, scilicet mouere, ideo cum aliqua operatio fit ei propria, non est philosophi naturalis, anima autem rationalis humana dico, quia & in motu & in intellectione communicat cum corpore, saltem per accidens, de ipsa est, philosophi naturalis differere. Possumus itaque resolute dicere quòd Arist. addidit ly huiusmodi, quia anima cœlestis, quo ad eius propriam operationem non pertinet ad philosophum naturalem, quare &c.

Textus decimusextus.

DIFFERENTER autem diffiniet physicus & dialecticus unumquodque ipsorum, ut iram quid est, hic quidem enim appetitum recontristationis, aut aliquid huiusmodi, ille autem feruorem sanguinis, aut calidi circa cor. Horum autem alius quidem assignat materiam, alius uero speciem & rationem. Ratio quidem enim hæc species rei necesse est hanc esse in materia huiusmodi, si erit, sicut domus ratio quidem quædam talis, quia cooperimentum prohibens corruptiones a uentis imbribus & caumatibus, hæc autem dicit lapides & lateres & ligna, alia uero in his speciem propter ista. qua igitur naturalis harum utrunq; circa materiam, rationem autem ignorans, aut qua circa rationem solum, aut magis quæ est ex utrisque, illorum autem quit uterque.

Differenter autem diffiniet &c. Postquam autem Arist. declarauit & dixit quòd passiones animæ communes, dico, sunt in materia & declarauit modum definitionis, scilicet quòd etiam per materiam debent definiri, uult modo hic declarare Arist: quo nam genere definitionis sit definienda anima ipsa. Ad hoc autem declarandum, altius orditur Aristoteles. Dicit Ioannes, quoniam prius ostendit, quibus nam modis potest philosophus naturalis definire, & quot modis, & postea quarum artium sint reliquæ definitiones, & isti textus domini difficillimi sunt, solus Io. Gram. uidetur mihi bene declarare, & exponere ipsos, & recte eos intelligere. Et ideo inquit Ioannes, hic sermo obscurus, & difficilis est. Quia intendit nobis declarare Arist. definitionem communem animæ, ideo altius dicamus summam nerborum, Aristoteles inquit in rebus naturalibus tria sunt, scilicet materia, forma, & causa per quam forma est, cum materia, ideo res naturales, per hæc tria debent definiri, & ostendit philosophus, quòd quinque uersantur circa hæc tria, primo scilicet philosophus naturalis, secundo ars mechanica, tertio dialecticus, quarto mathematicus, quinto metaphysicus, seu diuinus, scilicet ipse primus philosophus, sed quidam horum uersantur circa hæc omnia tria simul, aliqui uero circa aliqua tantum, & ita Arist. hic declarabit nobis modum philosophi naturalis, scilicet in tradendo definitiones rerum, & modum mechanici, & dialectici, dicit ergo Arist. quòd philosophus naturalis uersatur circa omnia hæc tria, & omnes suas definitiones tradit per hæc tria, exemplum dicit Ioannes Grammaticus, si consideremus corpus cœleste, in ipso considerabimus materiam, quòd scilicet materia corporis cœlestis est substantia quinta ab elementis constans ipsis qualitatibus elementorum perfectis, considerabimus etiam propter, quam causam forma ipsa inest materiæ, & hæc est multiplex, & dat multiplicem Ioannes, & dicit, quòd hæc forma inest huic materiæ, quia figura circularis est capacissima figurarum, ideo apta est huic materiæ, extra quam nihil est, quòd autem figura circularis, sit capacissima patet, Quia in figuris habentibus multos angulos, semper illa figura, quæ est plurium angulotum est minoris capacitatis, seu continentiæ, quàm penthagonus, quare figura circularis capacissima est &c. Secundo do aliam causam, quia scilicet hæc figura caret principio, & fine seiuncto, ideo conueniens motui circulari, quo mouetur cœlum, quia sic motus sphericus, & circularis in se ipsum recurrit, ita ista figura in seipsam recurrit, uerissima tamen causa est, quia intelligentia utitur hac figura in sua intellectione, Arist. etiam uersatur circa hæc tria, sicut medicus, qui est artifex mechanicus, ut dicemus infra, uersatur circa hæc tria, uersatur enim circa materiam, & circa corpus humanum, uersatur etiam circa formam, scilicet circa comensurationem humorum, & eorum qualita-

qualitatem, uersatur etiam circa causam, scilicet ut perfecte exerceat opera sua, ita etiam architectus uersatur circa hæc tria, quare ergo & philosophus naturalis, & artifex mechanicus uersantur circa omnia hæc tria, quare &c. Sed philosophus naturalis, uniuersaliter, scilicet de omnibus, artifex autem, particulariter, dialecticus etiam uersatur circa hæc tria, sed non circa omnia, sed tantum circa formam, non autem circa materiam, neque circa unionem formæ cum materia ipsa, ut causa est, ideo si deffinit iram, dicit ipse, ira est appetitus recontristationis, & hoc ideo est, quia dialecticus non considerat res in fine scientiæ, sed tantum specialiter, ideo dicit deffinitio dialectica uana est, Quia non consequitur finem suum, finis enim deffinitionis est scientia, quæ est per causam &c. Quarto loco est mathematicus qui uersatur circa hæc tria, non etiam omnia, quia considerat formam sine materia est tamen in materia, sed ipsa considerat istas quatenus abstrahuntur, & separantur a materia ipsa cogitatione scilicet, Ideo dicitur artifex, quasi ex ablatione deperdit formam a materia &c. Quinto est ipse mathematicus, qui considerat res separatas a materia, non tantum secundum cõsiderationem, sed etiam secundum rem, & ita non considerat materiam, neque causam illam, cur scilicet forma est, in materia, quia hoc non spectat ad ipsum, & ita uidistis quot modis res deffiniantur naturales, & quo modo unusquisque artifex deffinit, & hæc est, tota sententia tex. Arist.

Lectio trigesimatertia.

SVPER uerbis Arist. accidunt plura examinanda, dicit enim Arist. primo, dialecticus & naturalis, differunt, quia dialecticus deffinit per formam, naturalis uero per materiam, ostendo, quia si uterque deffinit, iram dicit dialecticus, ira est appetitus recontristationis, ut hic duo notat, primo quia illæ, qui irascitur habet appetitum ultionis seu uindictæ. Secundo causam appetitus, scilicet eum qui iniuriam intulit ei, ideo dixit, ira est appetitus recontristationis, ut denotaret duplicem tristitiam unam eius, qui irascitur, & alteram eius gratia cuius irascitur, si uero naturalis deffinit iram, dicet, ira est feruor sanguinis circa cor, ecce igitur, quòd ponit materiam, quæ est sanguis, & non dixit in corde propter causam quam superius assignauimus &c. Sed uos dicetis, Primo, quia dicit Aristoteles, istã deffinitionem esse per formam, ira est appetitus recontristationis, sed appetitus ultionis, non est forma, sed causa finalis ipsius iræ, non ob aliud irascitur homo, nisi ut ulciscatur, non ergo ista est formalis deffinitio, quare &c. Tum etiam quia in ipsa deffinitione naturali, est etiam forma dicit enim, ira est feruor sanguinis circa cor, O in ista deffinitione, sanguis est materia, & feruor est forma, non ergo sola materia consideratur, in hac deffinitione, quare &c. Tum etiam quia hæc est completa & perfecta deffinitio iræ scilicet, cum inuicem iunguntur, deffinitio dialectica, & deffinitio naturalis, ut dicendo ira est feruor sanguinis circa cor, propter appetitum recontristationis, & tamen tunc adhuc uidebitur imperfecta, deffinitio, Quia iam omittit causam inhesionis formæ, cum materia, ut dicetur infra, quare &c.

De primo dico, quòd etiam finis appellatur, forma, secundo physicorum, & ita Arist. secundo posteriorum, formalem deffinitionem ponit duplicem, unam, scilicet, formalem, & alteram materialem, & dicit, quòd formalis est duplex, una est ex forma in finem, altera ex fine, in formam, item materialis est duplex, una, quæ sumitur est materia, alia uero non & sic dico, quòd illa deffinitio est formalis, sumpta ex fine, quare prima instantia nulla est &c. De secundo, quia in deffinitione naturali est forma, & materia, quia sanguis est materia, feruor uero est forma, respectu, scilicet iræ, tamen totus ille sanguis feruens est materia proxima ipsius iræ, nam sanguis absolute, nõ est materia proxima ipsius iræ, sed remota, sanguis autem feruens, est materia proxima totum simul, quare &c.

De tertio dicit Ioan. possumus dicere, quòd deffinitio illa est perfecta, quia ipsa forma habet rationem finis, & formæ, & ideo ibi est causa unionis formæ, in materia, & ideo quatenus forma, habet rationem etiam finis, quia est causa unionis in materia, quare deffinitio illa est perfecta, quare &c.

In tex. domini est uerbum obscurum dicit enim Arist. *Ratio enim hæc ipsius rei est &c.* dupliciter leguntur uerba ista, Ioan. dicit, hæc ratio, id est deffinitio, forma est causa iræ. Altera uero est deffinitio materiæ, id est alia deffinitio, quæ continet materiam, & subiungit necesse est, autem hanc deffinitionem, id est si talis formalis, deffinitio subsistit, & non sit una necesse est, quòd declaret rem ipsam, & quòd sit per materiam &c. Sed Simplicio non placuit hæc expositio, & dicit, quòd est deffinitio Plutarchi & hoc quia non uidetur rationi conueniens, quòd scilicet ex opposito distinguantur ratio & res, & ideo aliter exponit ipse, ut iacent uerba Arist. in tex. secundum trãslationem Vatabli & aliorum omnium, & ideo dicit, ratio enim rei, quia dixit Aristot. quòd ipse dialecticus, definit per formam, ideo subdit ratio enim rei, id est forma ipsius iræ, est ipsius rei, id est, ira constat ex duobus, ex uno scilicet tanquam forma, & alio tanquam materia, & subdit in tex. hoc habere formam rei sine esse in materia, si deffinitio sit uera

O iij defini-

definitio, & ideo debet definiri ipsa ira, ex appetitu uindictæ cum feruore sanguinis Aristoteles deinde declarat idem exemplo, de domo, & dicit, quod possumus tripliciter definire domum primo per formam, ut si dicamus, domus est defensaculum nobis a calore, imbribus, uentis, & huiusmodi, sed dicit Io. dico quòd ista definitio competit etiam ipsi speluncæ, & ideo imperfecta est definitio. Potest secundomodo definiri domus per materiam, ut domus, est ligna lateres & cementa. Tertio possumus conjungere formam cum materia & sic dicere, domus est, tegumentum cum lapidibus & lateribus, defendens nos, a calore imbribus &c.

Deinde quæret Aristoteles duas quæstiones, Prima est quæ nam harũ deffinitionũ sit philosophi naturalis, & dicit Ioan. Grammaricus Arist. in hac prima dubitatione eligit partes ueras, quòd scilicet deffinitio tertia sit naturalis, & tunc ex hoc loco sumit aliam, quæstionem, scilicet ad quas artes spectabunt prima, & secunda deffinitio, ista est secunda quæstio quam sumit Arist. postquam accepit, quòd tertia deffinitio est ipsius philosophi naturalis, dicit Ioannes Grammaticus &c.

Textus decimusseptimus.

AT uero est aliquis qui circa passiones materiæ non separabiles, sed physicus circa omnes quæcunque huius corporis & huius materiæ opera & passiones sunt: circa quascunque autem non huius alius ut de quibusdam quidem artifex est si contingat ut instructor aut medicus, non sepa abilium quidem. Inquantum autem non talis corporis passiones, sed ex restrictione mathematicus, secundum autem, quod omnino separate primus philosophus.

Aut uero est aliquis &c. Soluit Arist. dubitationẽ & hæc littera tripliciter exponitur, primo exponit Ioannes, ꝙ Arist. uult hic primo soluere, secundam dubitationem, scilicet si tertia deffinitio, sit philosophi naturalis reliquæ duæ deffinitiones cuius nam artificis sint, dicit Ioan. Arist. soluit hanc quæstionem, quo ad scilicet deffinitionem, quæ est ex sola materia, & dicit, quòd ista deffinitio nullius artificis est. Quia nulla ars uersatur circa solam materiam, sed omnis quærit, & intendit formam in materia ipsa, modo Arist. non dixit, nulla ars uersatur circa solam & puram materiam, sed ut obscuraret sensum circunscribit sic, nulla ars uersatur circa passiones materiæ separabiles, aut inseparabiles, id est nulla ars uersatur circa materiam puram, & ita loquutus est, Arist. ut innuat, quòd omnis ars uersatur circa per se necessaria, uel per se passiones, quod patet inductiue sic, si philosophus considerat de materia, non considerat ipsam circa per se accidentia. sed considerat ipsam pro ut est uelata accidentibus, & pro ut est sub ipsis accidentibus, ut cum considerat materiam grandinis tunc circunscribit ne dum materiam, sed etiam accidentia materiæ, similiter cum describit generationem metallorum, non considerat solam materiam, sed etiam passiones, & per se accidentia eius, eodem pacto est in arte mechanica, faber enim considerat ligna, qualiter sunt pulchra, & leuia ad faciendam domum non autem ligna tantum, ita etiam structor nauis &c. ita non solum materiam uerum etiam accidentia naturæ considerat, ipse naturalis, quare patet quòd nulla ars circa solam materiam uersatur addit Aristot. in tex. *Separabiles aut inseparabiles passiones*, disiunctiue loquitur Arist. dicit Ioan. ut scilicet comprehendat omnia per se accidentia materiæ, tã scilicet ea, quæ spectant ad mathematicum, ipsum, quæ scilicet sola cogitatione separantur, quàm ea quæ ad philosophum naturalem, & ex hoc describit Arist. deffinitionem artium, Primo dicens, quod naturalis philosophus est artifex speculatiuus, & uersatur circa omnes passiones naturales, tam separabiles, quàm inseparabiles, Mechanicus uero uersatur circa per se accidentia materiæ, non uniuersaliter sed particulariter Dial. uero considerat, per se necessaria sine materia, & quòd sint separabilia, secundum rem mathematicus uero considerat per se passiones, quæ sunt in materia, sed quatenus sunt separate ipsa cogitatione a materia, Diuinus uersatur circa res uniuersales separatas a materia, secundum imaginationem, & secundum esse, hæc dicit, Ioannes &c.

Sed hæc expositio friuola est, primo, quia dicit, quòd naturalis non uersatur circa materiam sine accidentibus, sed hoc est falsum. Quia Arist. primo physicorum, tradit notitiam materiæ potentiæ, & dicit, quòd sit absque aliquo accidente, philosophus ergo naturalis uersatur circa materiam sine accidente, quare &c. Secundo quia nimis obscure dixisset Arist. per uerba illa scilicet nulla ars uersatur circa passiones separabiles, uel inseparabiles, quòd nullus artifex uersetur circa materiam tantum, quare &c. Tum etiam quia si Arist. intendit exprimere per se, quòd nullus artifex seu nulla ars uersatur circa materiam solam, opus erat ei dicere, quòd solum uersatur circa passiones, ipse tamen non addit solum, quare &c.

Ideo dicit Themist. quòd Arist. uult dicere, quòd nulla alia deffinitio, quàm illa, quæ est, ex sola materia, est ipsius philosophi naturalis, sed illa tamen est mutila, & manca, ideo ipse ponit differentiam inter illas quattuor artes inuicem, ex occasione illa. Sed contra istam expositionem arguitur. Quia non est illud uerbum in tex. quod scilicet dicat, quòd illa deffinitio quæ est

est, ex sola materia sit philosophi naturalis, quare igitur non sic dicendum est &c.

Ideo rectius dicit Simpl. iudicio meo, & dicit quòd Arist. soluit, secundam dubitationem, & nihil dicit de deffinitione, quæ est ex sola materia, ut ostendat nobis, quòd de illa nullus artifex agit, sed quòd Arist. loquitur de illa, quæ datur per formam, & dicit, quòd ista deffinitio, habet quattuor partes. Quia scilicet aut est, in materia, aut seiuncta, si autē est in materia consideratur, aut uniuersaliter, aut particulariter si uniuersaliter consideratur, est ipsius philosophi naturalis, si uero particulariter est ipsius artificis mechanici, si uero consideratio illa sit per formam seiunctam a materia, & si sit uniuersaliter per formam sine materia, tunc est dialecticæ considerationis, si uero non sit per formam seiunctam a materia consideratio tantum, tunc est mathematici, si autem sit seiuncta realiter, scilicet, & secundum esse, & secundum deffinitionem tunc est primi philosophi, id est ipsius methaphysici, & ita patet, quomodo quinque artifices declaret Arist. implicite tamen, & ita solum de deffinitione, quæ est per formam loquutus est Arist. & illa occasione sumpta declarat, Arist. differentiam istorum artificum inter se ipsos, quare illa uerba tex. *At nòn est aliquis qui circa passiones materiæ separabiles aut inseparabiles.* dupliciter leguntur Ioan. Gram. legit ipsa affirmatiuæ, non est aliquis scilicet artifex, hoc est, nulla ars uersatur circa passiones materiæ inseparabiles, neque etiam separabiles, & facit inquam disiunctiuam ut comprehendat ea quæ separati possunt, sola animi cognitione, ea quæ neque separati possunt cognitione, neque re, hoc est dictum, nulla ars uersatur circa materiam solam, ita ut dixit Arist. ut ostenderet, quòd nulla ars considerat solam materiam, sed omnis artifex considerat materiam, cum passionibus, & suis per se accidentibus, ut patet inducendo, in omnibus &c.

Simplicius autem & Themist. legunt text. istū negatiuæ, ut scilicet sit sensus, quòd nulla ars uersatur circa passiones inseparabiles a materia, qua scilicet inseparabiles sunt, nisi ipse philosophus naturalis, ideo supponendum, sed philosophus solum facit hoc uniuersaliter, &c. Conueniunt tamen, Simplicius & Themist. qui legunt negatiuæ tex. istum differunt tamen, quia Themist. dicit, quòd Arist. intelligit, quòd nullus artifex uersatur circa passiones, id est circa quascunque passiones, quæ scilicet non sunt inseparabiles, non sub ratione tamē qua inseparabiles uersatur aliquis artifex, ut dialecticus ipse, &c.

Sed super his uerbis dubitationes innumeræ oriuntur, & primo quomodo dicit Arist. quòd dialecticus deffinit per formam, quia artifex rationalis est, & eius subiectum est syllogismus dialecticus, non ergo ipse uersatur circa formam &c. Tum etiam quia forma, & materia correlatiua sunt, ergo ipsa non possunt, separari ab inuicem, si ergo dialecticus deffinit, per formam, etiam per materiam deffinire debet, quare &c.

Domini hic sunt multe responsiones Appollonius dicit, cum Arist. dixit in tex. quòd dialecticus deffinit per formam, id est per quid nominis intelligit, non autem per quid rei intelligit Arist. ut habetis, ex secundo poster. quòd scilicet deffinitio quid nominis, conuenit etiam non enti, ut chimere, & eis quæ scilicet, ut dixi, non subsistunt, quid rei uero tantum subsistentium est, & ubi est deffinitio, quid rei, est etiam dffinitio, quid nominis, sed non econtra, ideo dialecticus inquit iste homo, deffinit sola deffinitione, quid nominis, &c.

Sed hæc expositio est contra ipsum Arist. quia dicit Arist. dialecticus deffinit iram alio modo, quàm ipse naturalis, sed passio illa est quædam res, non ergo dialecticus deffinit solum deffinitione, quid nominis, sed quid rei, &c. Ideo est alius modus dicendi Alberti Alemani, & Gaietani, & est iste, quia dicunt ipsi, quòd duplex est forma, quædam est forma perficiens, quædam uero est forma declarans, ex secundo physic. forma perficiens est forma rei, forma declarans sunt omnia prædicata essentialia, primi modi dicendi per se, ut est rationale respectu hominis, &c. & ideo cum dicit Arist. quòd dialecticus deffinit per formam, loquitur de forma declarante, quod est dictū dialecticus, deffinit per prædicata essentialia, ut sunt genus, & differentia, & hoc est, quia dialecticus est artifex rationalis, ideo ipse uersatur circa entia rationis, quemadmodū sunt genus, & differentia, quare dicunt isti, dialecticus, tantum formam declarantem considerat, &c. Tum etiam ipsi addunt, quia si consideraret ipse dialecticus formam, & sic consideraret etiam & materiam, quia forma perficitur in ipsa materia, & correlatiua, sunt &c. consequens autem falsum, ergo id ex quo sequitur, restat ergo, quòd solum per formam declarantem deffinit ipse dialecticus, & causa qua appellatur deffinitio dialectica duplex est. Quia primo constat ex genere, & differentia, quæ dialectica sunt. Tum etiam quia per artem dialecticam inuenitur, ut patet sexto topicorum, ubi dicet ipse Aristot. inuenire ipsam deffinitionem &c. Sed contra istam expositionem, arguitur, quia quarto met. in primo dicit Arist. metaphysicus, & dialecticus sunt equalis ambitus, dicit enim Arist. sicut ipse metaphysicus, de omnibus disputat, ita etiam & dialecticus, quia isti duo artifices sunt equalis ambitus, non ergo solum de ente rationis est dialectica consideratio, sed de omni ente, sicut est metaphysica ipsa &c. Sed talis modus respondendi

dendi multum decipit, quia non distinguit inter ipsam dialecticam, & logicam, & tamen ista maximo interstitio differunt, naturā proprie dialectica est illa pars, quæ traditur in libris topicorum, logica uero est tota facultas logicalis, quæ traditur in omnibus libris logices Arist. modo logicus bene uersatur circa sola entia rationis, quia uersatur circa modum sciendi, & iste est triplex, id est diuisio, definitio,& argumētatio, diuisio, & definitio,sunt rei Simplicis, argumētatio aūt est rei complexæ & compositæ & istud diuiditur, postea in enthimema, & syllogismum, syllogismus rursus diuiditur in dialecticum, & demonstratiuum, & ideo Aristoteles, sic loquitur de dialectico, quòd est artifex communis non de logico, quare ut dixi iste modus decipitur quoniam dialecticus de quo loquitur Arist. uersatur circa realia, & non solum circa ista entia rationalia, ut ipsi dicunt &c. Tum etiam errant isti, quia dicunt, quòd definitio ex genere & differentia dialectica est, O' dico, quod sic omnis definitio dialectica esset, si appellaretur definitio dialectica, omnis ea, quæ constat ex genere & differentia, quia ex secundo posteriorum,omnis definitio, maximæ definitio bona constat ex genere, & differentiis. ergo omnis definitio esset dialectica Arist. autem dicit, quòd omnis definitio dialectica est uana definitio, ergo ipsius animæ definitio hic tradita uana esset &c.

Ideo aliter dicit Egidius, & dicit, quòd quando dialecticus definit, per formam, intelligit, quòd definit per formam, declarantem & etiam perficientem, & sicut definitiones, ex prædicatis communibus, & probabilibus, & ista definitio est per se dialectica, quæ scilicet est formalis definitio, definiens res ex prædicatis communibus & essentialibus &c. Tum etiam definit dialecticus, per omne genus causæ & cur per accidens, O' dicit Egidius, quia ipsa differit de omnibus rebus, & accipit definitionem omnium rerum, non tamen ut acquirat scientiam, & ideo uana est eius definitio, ratione finis, quia non definit ut acquirat scientiam ,&c.

Sed hoc etiā domini habet dificultatem, quia si dialecticus definit per formam, ergo etiam per materiam, quia ista correlatiua sunt, O' ipse concedit, quòd etiam definit ipse dialecticus, per materiam, & dicit, quòd licet utatur illa definitione,non tamen utitur illa tanquam sua,quia definitio propria eius, est illa quam ipse tradit nō autem illa qua utitur, & tunc etiam illa est ex forma proprie, nam appetitus recontristationis respectu iræ, est definitio per formam, quia istæ est finis iræ, scilicet recontristari, ita etiam forma, quia forma & finis coincidunt, & ideo dialectica definitio, dicitur formalis, quia scilicet datur per ueram formam, quid ergo dicendum, O' dico domini, quòd si definiantur passiones naturales alio modo definit eas dialecticus, alio modo naturalis, dicit Arist. in tex. dialecticus definit ex forma, id est ex fine, qui est forma, non tamen definit ut forma est, Quia non considerat formam, ut forma est, neque causam tanquam causam, ideo neque considerat materiam neque causatum, quia non quærit scientiam, sed solum modum sciendi dialecticus ipse, ideo eius definitio superficialis est, O' ad argumentum dialecticus est artifex rationis, non ergo uersatur circa formas, quæ scilicet sunt entia realia, & solutio ista est ipsius Arist. secundo poster. qui dicit, quòd nullius est generis determinati, &c. & ideo dicunt omnes, duplex est, habitus ipsius dialectici, & duplex est dialecticus est enim unus habitus dialecticus, scilicet quando docet, & sic docens appellatur. Alius est quando utitur, & sic appellatur utens, siue aliis uerbis est dialecticus docens, & dialecticus utens, in lib. topic. est dialecticus docens, & ista est scientia,quæ traditur demostratione,& habet subiectū determinatum, scilicet syllogismum dialecticum postea uero cum aliquis artifex utitur isto habitu acquisito in illis lib. topi. in aliis, scilicet scientiis disserendo de omnibus rebus, & iste est habitus quo utuntur, & de isto loquitur Arist. quando dicit, quòd dialectica nullius est, generis determinati, & quòd est equalis ipsi metaphysicæ, cum ergo dicis dialecticus est artifex rationalis, concedo,loquendo, de dialectico, quòd scilicet habet certum & demonstratum subiectum, sed tunc iste non est artifex rationis, scilicet qui est artifex communis,quia dialecticus,de quo loquitur hic Arist. & quarto metaphysicæ, cum dicit quòd circa idem uersatur metaphysicus dialecticus & sophista est artifex realis non autem rationalis, sicut etiam ipse metaphysicus, quare &c. Ad id quod addis, dico quòd forma, qua forma refertur ad ipsam materiam, sed absolute minime refertur ad materiam, nam ipse dialecticus, non considerat formam, ut forma est, ergo non sequitur, quòd si consideret de forma,quòd etiā consideret de materia, quare &c.

Secunda dubitatio est, si naturalis, definit nunquid definiat per materiam, & uidetur, quòd non, quia si sic aut per materiam intelligibilem, aut per materiam sensibilem, non per primam quia per illam definit mathematicus, neque per secundam, quia materia sensibilis est, & sic talis, materia est, cum accidentibus, & sic definirentur naturalia, per alterius generis prædicamentum, ut per accidentia, & ita erit omnis eius definitio imperfecta, quia per additum, quia non habebit proprium genus, neque proprias differentias, quare &c.

Tertio quia materia est ignotior omni re naturali, quia non potest sentiri nisi per accidens, ergo non potest per eam fieri deffinitio, quia definitio

nitio debet dari per notiora. Quarto quia ſi definit naturalis per materiam, tunc ſequitur, quòd materia erit pars definitionis, ſed omnis quidditas exprimitur per definitionem, materia ergo erit pars quidditatis, cuius oppoſitum dicit Ariſt. 7. metaphyſicæ, & ubique nam materia eſt ſubſtantia, & non eſt pars quidditatis, quare &c.

Ad iſta argumenta, dicatis domini quòd naturalis philoſophus definit per materiam ut dicit Ariſt. O' cum dicis aut per materiam intelligibilem, aut per ſenſibilem non per intelligibilem, ut putauit, neque etiam per ſenſibilem, quia ſic definirentur res naturales, qua tales, id eſt qua naturales ſunt & includunt accidentia per ſe quia includunt motum, tempus &c. quæ ſunt accidentia naturalia, ideo non eſt, inconueniens quòd tales res definiantur, per accidentia nam illa accidentia ſunt ipſis rebus naturalibus, quid proprium, quare &c.

De ſecundo dico, negando argumentum, quia materia non ponitur in definitione, niſi tanquam ſubiectum quidditatis, ſed dicetis uos, quid eſt iſta quidditas, dico quòd id quod primo per definitionem explicatur, ut animal rationale eſt quidditas, id eſt ipſa humanitas, & iſta eſt forma, definitio enim, primo ſignificat formã ipſam in abſtracto, ſecundo ſignificat ipſam ut connotat materiam, & hocmodo materia dicitur ſubiectum quidditatis, quatenus ſecundario, explicatur in definitione, quare &c.

De alio cum dicis, quia omne quod ſentitur, eſt actu ens, materia autem eſt in potentia tantum, ergo ipſa eſt ignotiſſima, ſed quo ad materiam, & in ſuo genere, qua ſcilicet eſt, cauſa formæ, eſt notior, quàm ſint res naturales, & quia definitio datur per notiora naturæ ideo definitionem oportet dari per ipſam materiam, quare &c.

Sed tu dices, eſto quòd naturalis definiat per materiam, nunquid ſcilicet per ſolam materiam poſſet definire, dico ſi uolumus tueri Themiſtium, pro eo eſt Ariſt. quia dicit quòd naturalis definit per materiam tantum, & dat Ariſtot. exemplum de ira, dicens, quod ira eſt feruor ſanguinis circa cor, iſta autem, eſt materialis definitio, ergo ipſe naturalis tantum per materiam definit, quare &c. Si autem nolumus tueri Ioannem, dicemus quòd nullius artificis eſt definire per materiam tantum, & pro ipſo eſt ratio, quia omnis artifex conſiderans materiam, conſiderat ipſam cum forma, nullus autem ſolam materiam conſiderat & animaduertatis, quia dicit Ioannes Grammaticus, quòd bene dixit Ariſt. quòd ſcilicet illa definitio eſt ipſius philoſophi naturalis, ſed illud accipit loco exempli, ideo poſtea ſe correxit, & dixit, nullus artifex ſolam materiam conſiderat, Themiſtius autem dicit, quòd illa definitio materialis eſt naturalis philoſophi, ſed tamen imperfecta, eligatis modo uos opinionem, quæ uobis magis placet &c.

Lectio trigeſimaquarta.

DIXIMVS opinionem Themiſtij & Ioannis Grammatici, penes illam dubitationem, utrum ſcilicet naturalis philoſophi ſit per ſolam materiam definire, nunc ſequitur, quarta dubitatio, quia difficile eſt, quòd dixit Ariſt. uidelicet, quòd mathematicus conſideret res ſine materia, nam Ariſt. ſecundo poſteriorum dixit, quod mathematicus demonſtrat per cauſam materialem, ergo etiam definit per materiam, nam in ipſa demonſtratione includitur definitio, ſcilicet in maiori propoſitione. Quia eſt medium, quare &c. Secundo quia omnis definitio debet definire rem ſicuti eſt, ſi ergo quantitas, quam conſiderat mathematicus eſt eadem quantitate, quam naturalis conſiderat, ergo ſequitur quòd quantitas mathematica, habet eſſe in materia, ſicuti quantitas naturalis, ergo debet definiri per materiam, quare &c. Tum etiam quia poſterius poteſt abſtrahi, & ſeparari a ſuo priori, in notitia, ſcilicet, ſicut effectus non poteſt ſeparari a ſua cauſa, materia autem eſt, ſicut quantitatis cauſa, mathematicus ergo non poteſt definire illam quantitatem ſine materia &c.

Dico cum dixit Ariſt. quòd mathematicus demonſtrat per genus cauſæ materialis, improprie accipit Ariſt. materiam ipſam, quia intelligit materiam intelligibilem, & iſta materia intelligibilis ſunt partes integrales, reſpectu totius, ut exempli gratia, demonſtrat mathematicus, quòd omnis angulus ſuper arcu ſemicirculi eſt rectus demonſtrat hoc, quia eſt dimidium duorum rectorum, & ita intelligit per materiam intelligibilem, & materiam improprie dictam, quare &c.

De ſecunda dico, quòd propter hoc argumentum dicit Diuus Thomas, quòd reuera mathematicus definit per materiam, alioqnin daretur definitio effectus ſine cauſa ipſa, & ad ipſum Ariſt. dicit D. Thom. quòd duplex eſt materia, una intelligibilis, & iſta eſt abſoluta, ab omnibus qualitatibus ſenſibilibus. Alia eſt materia ſenſibilis, quæ eſt, cum ipſis qualitatibus, modo quando dicit Ariſt. mathematicus definit per formam, & ſine materia, intelligit de materia ſenſibili, quia mathematicus præſcindit ab omni materia ſenſibili, ponit tamen ipſe in eius definitionibus materiam intelligibilem, & hocmodo D. Tho. ſaluat Ariſtotelem.

Sed domini id quod dicit iſte uir multum difficile eſt, & falſum uidetur, quia nullibi ipſe Euclides definit cum materia, quia dicit ipſe, ſuperficies eſt longitudo, & latitudo abſque pro-

funditate. Item dicit, circulus est figura plana &c, & ita facit in omni alia definitione, quare &c. Secundo errat, quia abutitur nomine materiæ intelligibilis Diuus Thom. quia secundo metaphysicæ trigesimoseptimo, & octauo eiusdem decimoquinto Arist. uocat materiam intelligibilem ipsas partes integrales respectu totius, ut est semicirculus respectu circuli &c. non ergo materia intelligibilis est materia prima, ut dicit uir iste Diuus Thomas, quare &c.

Ideo aliter dicemus, cum Græcis expositoribus, ut Ioanne Grammatico, & Simplicio, & Themistio, quòd mathematicus citra omnem materiam definit. O' tu dices omnis definitio debet declarare rem sicuti est ipsa res, dico domini, quòd definitio illa mathematica imperfecta est. O' uos dicetis, quæ igitur perfecta est definitio. Dico illa quæ traditur a philosopho naturali est perfecta, mathematicus autem imperfecte definit, quia sine materia. Sed tu dices unde est, quòd quantitas causata a materia sicuti aliæ formæ accidentales, & nulla alia forma definiatur sine materia, sed tantum ipsa sola quantitas, quæ habet facere duas scientias, aliæ etiam formæ non faciunt, sed sola ipsa quantitas, quare &c.

Dico domini, quòd Ioannes Grammaticus ponderat uerbum Arist. in tex. ubi dicit. *in quantum autem*. hoc est dicere, mathematicus, considerat passiones corporis naturalis, non tamen quatenus sunt philosophiæ naturalis, sed alia ratione, & alio respectu, dico ergo inquit Io. Gram. & Them. quòd ideo sola quantitas, potest definiri sine materia, quia quantitas est passio corporis naturalis, sed non qua naturale est. Alia uero materia sunt passiones corporis naturalis, qua naturale est, ut caliditas frigiditas &c. Quia istę qualitates disponunt corpus ad formam recipiendam, ideo illa sola potest definiri sine corpore naturali, aliæ autem formæ non possunt absque materia, & corpore definiri, quare &c.

Sed adhuc isti insistunt, dicendo, non ne quantitas etiam conuenit corpori naturali qua naturale; sicuti alia accidentia. O' dicit Io. Grammaticus, quantitates corporis naturalis duplices sunt, quædam sunt quæ constitutiuæ sunt corporis naturalis, quædam uero adueniunt ei iam constituto inesse, illæ quantitates quæ constituunt corpus naturale, uidentur esse corporis naturalis, quia disponunt materiam ad formam corporis naturalis, & istę non possunt definiri sine materia, sicut exempli gratia nec rarum nec densum, quia istę definitiones includunt materiam nam dicimus rarum esse id, quod parum materiæ continet, sub multa extensione. Densum uero econtra. Aliæ uero formæ sunt naturales, quæ adueniunt corpori, iam constituto in esse, non enim constituunt ipsum nec etiam præparant materiam ad generationem corporis naturalis, ut est ipsa quanritas, quare &c.

Sed domini Ioannes Grammaticus litem lite resoluit, & sic nihil agit ut Horatius asseuerat, nam sicuti calor & siccitas præparant materiam ad recipiendam formam mixti, ita & quantitas, quia nulla generatio potest fieri sine quantitate, immo dico, quòd magis disponit quantitas, quoniam ipsa quantitas, est primum accidens, quod aduenit ipsi materiæ primæ, sicut est, quòd Aristoteles in prædicamentis immediate, post substantiam agit de ipsa quantitate, quia quantitas est primum accidens adueniens ipsi materiæ primæ, quare &c. Et confirmatur, quia figura, quæ est quantitas, est propria ipsi uiuenti, & figura sphærica, est propria ipsi corpori cœlesti, neque domini, potest constitui corpus cœleste, sine ipsa figura, sicut neque corpus uiuens, ideo ego nescio quid uelint isti. Tum Io. tum Them. a quo ipse Io. accepit.

Ideo aliter dicit Auer. septimo metaphysicæ, trigesimoseptimo, ubi reddens causam, cur scilicet sola quantitas, potest definiri sine materia, dicit, quòd hoc ideo fit, quia quantitas simpliciter, non habet subiectum sibi proprium. Alia autem accidentia habent subiectum proprium, ideo possunt per illud definiri, illa uero scilicet quantitas minime, & quomodo sit hæc non intelligimus, uos dicetis. O' declaro domini, quia quantitas est primum accidens quod inest cuilibet enti naturali, hoc autem accidens fundatur in omni corpore, ratione primæ materiæ, quæ materia prima communis est omnibus corporibus. Aliæ uero qualitates ut calor frigus &c. habent subiectum proprium, quia consequuntur aliquid elementorum, ut puta calor, primò igni conuenit &c. qualitates etiam secundæ, habent proprium subiectum, quod est, prima temperatura, ut puta sapor, habet proprium temperamentum, in quo fundatur, ita & de aliis, quare patet quòd omnes istę definiuntur cum subiecto, quantitas autem sine subiecto definitur, quia non habet subiectum proprium, sed tantum in prima materia ipsa fundatur, bene igitur patet, quòd illa est, imperfecta definitio, sed si debeat tradi perfecta illa definitio, debet tradi a philosopho naturali, & a metaphysico, & tunc erit perfectè, ut dicit Them. aliter si tradatur a mathematico semper imperfecta erit, quare &c.

Quinta & ultima dubitatio est, quia Aristot. enumerauit inter artes diuersas, & inter mechanicas, medicinam ipsam, enumerat enim medicinam cum ipso fabro, & sic inter mechanicos artifices, quod magis exponit Auer. dicens, quòd artifex qui definit formam, in materia, particulariter, est artifex mechanicus, ut medicus & ideo

ecce quòd id quod Ariſt. latenter dixit, ipſe aperte aſſeruit, quòd medicus ſit artifex mechanicus, ſed hoc habet dubitationem, quia medicina eſt ſcientia, non ergo eſt ars, quia ſexto Top. ars ipſa, eſt ipſorum contingentium, ſcientia uero eſt ipſorum neceſſariorum, quòd autem medicina ſit ſcientia, patet ex definitione Galeni, primo Techni. & Auicennæ prima primi, ubi ambo affirmant medicinam eſſe ſcientiam &c. quare eſt, tum etiam ratione probatur, quòd medicina ſit ſcientia, quia in medicina ſunt omnia requiſita ad demonſtrationem, nam eſt ſubiectum, ut ſanitas ipſa, & eſt paſſio, ut principia, per quæ demonſtratur paſſio de ſubiecto; ergo etiam ibi eſt, demonſtratio, ergo eſt ſcientia, ergo medicina ipſa eſt ſcientia, quia omnis ſcientia utitur demonſtratione, nulla ars poteſt uti demonſtratione; quare &c. Confirmatur, ars mechanica utitur manuali operatione, medicus autem non utitur manuali operatione, ergo &c. Et ideo domini propter hæc omnia medici, qui uolunt ſuſtinere, quòd medicina non ſit ars mechanica exponunt uerba Auer. & aliqui dicunt, ut Gaetanus, quòd Auer. loquitur hic de medico chirurgo; non autem de medico phyſico, ideo Vgo Senenſis primæ particulæ Aphoriſmorum primo dicit cum Hippoc. dicit, uita breuis, ars uero longa, inquit, ipſe appellat medicinam large, quatenus, ſcilicet medicina, eſt collectio plurium principiorum ad unum finem intentum, quare &c. Item conciliator differentia 13. dicit duplex eſt, pars medicine, una Theorica, alia practica quo ad Theoricam, medicina eſt ſcientia, quo uero ad practicam eſt ars, & de iſta loquitur Auer. cum dicit, quòd medicina eſt ars mechanica, quare &c.

Quarta expoſitio fuit melior Truſiani, primo Techni. ubi dicit, quòd duplex eſt habitus facultatis medicinæ, unus, ſcilicet, qui acquiritur demonſtratione, & de iſto eſt ſcientia, & de hoc non loquitur Auer. Alius eſt habitus qui eſt, actus extrinſecus, cum quadam coniectura, ad ipſum opus, & iſtæ dicitur habitus medicatiuus, & non medicinalis, quia eſt medius inter actum primum, & ſecundum, & iſte dicitur mechanicus, & de hoc loquitur Auer. Cum autem dicunt Galenus, & Auicenna quòd medicina eſt, ſcientia loquuntur de primo actu, quare &c.

Sed pace iſtorum omnium dixerim. Dico ꝙ omnes recedunt a mente ipſius Ariſt. & Auer. & primo, quia dicunt, medicinam ipſam diuidi in Theoricam & practicam, & quòd Theorica eſt ſcientia, ſed hoc falſum eſt, quia tota ſcientia ipſius medicinæ practica eſt, quoniam finis ipſius medicinæ, totius dico, eſt praxis, & non ſpeculatio, nec ratio, bene uerum eſt, quòd una pars medicinæ dictat de operatione, quia medicus ipſe nihil aliud intendit, quam ipſum infirmum ſanare, & hocmodo diſtinguit ipſe Auicenna medicinam ipſam in Theoricam, & practicam, quia ipſe appellat eam practicam, quæ immediate dictat de operatione, Theoricam, uero, quæ mediatius, reuera tamen tota medicina, eſt practica, quare &c.

Secundo, quia illi contradicunt Auerroi, nam Auerroes, primo colliget, & ſexto eiuſdem cap. 1. & 7. eiuſdem cap. 3. dicit ipſe Auer. perperam definierunt ipſam medicinam Auicenna & Galenus, cum ipſi dicunt, quòd eſt ſcientia, quia non accipiunt genus proprium ipſius medicinæ, quòd eſt ars, loquitur ergo Auer. de illa parte medicinæ, de qua etiam Galenus, & Auicenna, quare &c. Et ſubiungit Auer. ideo etiam enumerauit Ariſt. ipſam medicinam, inter mechanicas artes, quare &c. Et ſi tu dicas inquit, quòd ſecundo phyſicorum diſtinguit artem mechanicam in tres, una eſt, quæ facit ſolum. Alia quæ ſolum imperat. Et alia quæ imperat & facit, & in quo genere eſt medicina, uos dicetis. O' dicunt iſti, quòd eſt faſtiua, dicit Galenus etiam in tractatu ad traſibulum, ergo medicina eſt ars mechanica, quia nihil aliud eſt ars mechanica, quàm tota ratio factibilium, medicina eſt huiuſmodi, quare &c. Tum tertio ex Ariſt. nam habitus medicinæ, eſt habitus intellectus, ſed non eſt intellectus ſpeculatiui, ergo practici, quia non eſt alius intellectus, quàm practicus & ſpeculatiuus, quòd autem non ſit ſpeculatiuus patet ex ſe, quare &c.

Tum ultimum cum Ariſt. ſexto Ethicorum diuidat habitum intellectus in practicum, & ſpeculatiuum, diuidit poſtea practicum in actiuum, & iſta eſt. Prudentia & in factiuum & hæc eſt, ars mechanica, & appellauit Ariſt. actionem ſiue agibile ipſum, eam operationem quæ fit per libertatem noſtram, & regulantur iſte operationes in nobis ut recte fiant a prudentia, quæ eſt habitus recte agens agibilia, factiuus uero habitus eſt operatio noſtra, quæ tranſit in materiam exteriorem, ſicut eſt actus fabri domificatoris &c. nam iſte operationes in nobis manant, in materiam exteriorem, ea ars, quæ regit habitum factibilium, eſt ars, ſi ergo facultas medicinæ eſt habitus intellectus, & non ſpeculatiuus, quia eius finis non eſt ſpeculatio, ergo eſt, practicus ſiue operatiuus, quia eius finis, eſt praxis ſiue operatio, & tunc quia duplex eſt, actiuus, ſcilicet, & factiuus habitus, non actiuus, quia iſte eſt prudentia, ergo factiuus ſiue operatiuus, & iſta eſt ars mechanica, & ideo domini non debetis dubitare, quòd medicina, non ſit mechanica, eſt tamen nobiliſſima omnium artium mechanicarum, quare &c.

O ad argumenta ſi medicina eſt ſcientia, non ergo eſt ars, quoniam iſta ex oppoſito diſtinguntur. Dico quòd idem habitus, poteſt ſcientia eſ-

ſe, & ars, & omnes artes mechanicæ ſunt ſcientiæ, quia omnes artes mechanicæ ſubalternantur undecimo lib. Euclidis. O' diſtinxit Ariſt. artem a ſcientia, ſexto & quinto. Dico domini quòd illa eſt diſtinctio ſecundum rationem, non ſecundum rem, nam iſte habent rationes formales ex oppoſito diſtinctas, quia una eſt contingentium, alia uero eſt neceſſariorum, & ideo quatenus ad hoc quòd uerſatur circa neceſſaria, eſt, ſcientia, quatenus uero operatur ipſa medicina, & quælibet alia ars, ſcilicet quatenus uerſatur circa operationes, uerum eſt, quòd medicina non eſt ſcientia ſimplicisſime dicta, ſed dicitur ſcientia rationalis, ſicut & aliæ ſcientiæ naturales. Nam domini ſola prima philoſophia eſt ſcientia ſimplicisſima dicta, & ob hoc dicit Galenus primo Techni. oportet intelligere communiter ipſam ſcientiam, & non proprie, qnia iſtæ ſcientiæ non ſunt de rebus neceſſariis ſimpliciter, ſed tantnm neceſſarijs ex ſuppoſitione, ſcilicet ſuppoſito, quòd ſint, & ideo dixit Ariſt. in primo poſteriorum. Eorum quæ ſæpe fiunt demonſtrationes ſunt, & ſcientiæ non ſimplicirer, ſed ex ſuppoſitione, quare &c.

Quod addis medicina non utitur manuali operatione, nego argumentum, quia Chirurgus eſt medicus non diſtinctus ab Hippoc. & Galeno a medicina ipſa, ſicut diſtinguitur ab iſtis medicina ipſa in Chirurgiam, ſcilicet, & phyſicam, & ita medicina, ex ratione ſui utitur manuali, operatione, licet iſti phyſici nolint operari manu, Galenus tamen mixtim ponit ubique Chirurgiā & phyſicam & ipſe met. Calen. utrunque exercebat, quare reſtat, quòd medicina eſt ars mechanica, & ita poteſt ſolui dubitatio apud iſtos iuriſtas, quid ſcilicet ſit nobilior, an medicina, an ius ciuile, nam domini, de hoc non dubito, nam illud ius ciuile eſt habitus actiuus, medicina uero eſt factiua, ſicut igitur habitus actiuus eſt nobilior factiuo. & operatiuo, ita etiam ſcientia iuris ciuilis eſt nobilior, quàm ſit ipſa medicina, & quod illud, ſcilicet ius ciuile, ſit habitus intellectus actiuus, ſcilicet, patet, quia eſt pars philoſophiæ quia eſt philoſophia moralis & non trāſit in externam materiam, Medicina uero cum non ſit pars philoſophiæ & altero indigeat, merito igitur erit ignobilior, quàm ſit ſcientia iuris ciuilis. Et ne capiatis me in uerbis domini, quia dico, quòd hoc ſolum concluditur de medicina empirica, & practica, & non de medicina, quatenus includit philoſophiam ipſam, quia ſic medicina eſt præſtantior & nobilior iure ciuili, quare &c.

Textus decimusoctauus.

SED redeundum eſt unde uenit ſermo. dicebamus autem quòd paſſiones animæ non ſeparabiles a phyſica materia animalium, inquantum tales exiſtunt, furor & timor: & non ſicut linea, & planum.

Redeundum autem eſt &c. Dixit domini Ariſt. ſupra, quòd paſſiones animæ ſunt ratione in materia, & propterea, quòd philoſophi naturalis erat diſſerere non de omni anima, ſed de aliqua ſcilicet, de illa, quæ eſt in materia, & docuit quot nam ſint modi, quibus ſcilicet diffiniri res naturales poſſunt, & a quibus artificibus demonſtrat, & ideo cum coactus ſit omnia declarare, rurſus, dicit, a principio redeundum eſt, & dicit, dicebamus ergo, quòd paſſiones animæ non ſunt propriæ animæ, ſed fere omnes ſunt communes animæ, & corpori, ideo ſunt inſeparabiles, a corpore, & per inſeparabiles intelligere debetis non ſolum eſſe, ſed cogitatione Io. Grā. tripliciter exponit hæc. *Sunt inſeparabiles a materia phyſica.* Primo, quia paſſiones animæ tripliciter conſiderantur. Primo quatenus, ſunt in anima rationali, & ut ſic ſunt ſeparabiles a materia phyſica, ſecundo dicit ipſe, quatenus eſſe debent paſſiones, ſunt in corpore ſpirituoſo, & tunc a corpore ſunt ſeparabiles, ſed non a corpore ſpirituoſo, tertio inquit Io. ꝙ conſiderantur illæ paſſiones, ut ſunt cōmunes corpori terreno, & craſſo, & ut ſic, ſunt inſeparabiles illæ paſſiones a materia phyſica, quatenus ſcilicet ſunt in corpore terreno, ideo non dicit, Ariſt. ſimpliciter, ꝙ ſint inſeparabiles, ſed inſeparabiles inquit a materia phyſica &c. Sed hic declarat Io. qnia paſſiones, ſunt paſſiones appetitus ſenſitiui, ut ira, miſericordia, confidentia, &c. Et non paſſiones animæ rationalis, ideo non poſſunt eſſe in anima rationali ut ipſe ſupponit, qnare &c.

Secundo quia maximum figmentum eſt dare, illud corpus ſpirituoſum pro ſubſtantia animæ rationalis, & ideo dico, quòd ſermo Ariſt. eſt ſimplex, quòd ſcilicet illæ paſſiones, ſunt inſeparabiles a materia phyſica, quia ſcilicet ſunt communes animæ rationali, & corpori, & ideo ſimplex eſt ſermo Ariſt. & nō opportet Gloſare ipſum, quare &c.

Sed quoniam domini uſu uenit uſque ad hæc tempora noſtra ut reliqua pars huius libri de anima omittatur, ideo pro conſuetudine tranſibo ad ſecundum librum de anima, ubi pulchra dicemus Deo Opt. Max. Annuente, quare &c.

Lectionum D. Lud. Buccaferrei
In Primum lib. de anima
Ariſt. Finis.

LVDOVICI BVCCAFERREI

BONONIENSIS, PHILOSOPHI CLARISS.

LECTIONES IN SECVNDVM LIBRVM ARIST.

de Anima.

Textus I.

QVAE. quidem a prioribus tradita sunt de anima dicta sunt. Iterum autem tanquam, ex principio redeamus, tentantes determinare quid est anima & quæ utique erit communißima ratio ipsius.

Lectio XXXV.

CVM *autem quæ a prioribus &c.* hic Arist. Cum in priori libro disputauerit aduersus antiquos de substantia animæ. Et reprobauerit illos, acceptis illis, qui bene locuti sunt de ista. Et supponens, quòd illa sit substantia incorporea, ideo dixit, tanquam a principio, in hoc secundo loco loquitur de sensitiua, & uegetatiua anima, & in tertio loquitur de anima rationali, imiscebit tamen in utrisque libris notitiam uniusque animæ, propter dependentiam quam habent inuicem, & ideo in secundo huius aliqua dicet de anima rationali, & in tertio dicet aliqua de sensitiua, in principio ergo huius libri. Vult Arist. dare definitionem communissimam omni animæ animalis corruptibilis, ideo supponit ea, quæ nobis conferunt ad inuestigãdam eius definitionem, primo supponit diuisionem, ut inueniret genus proximum animæ, & supponit diuisionem entium, in decem prædicamenta, secundo quòd anima sit substantia, ex disputatione, contra antiquos, quia non potest esse accidens, ergo substantia, quòd non sit accidens, patet, quia non potest esse quantitas, & hoc patet, quia non continua, nec discreta, ut ostendit contra antiquos, secundo non est qualitas, ex argumentis adductis contra antiquos illos dicentes, animam esse armoniam, ergo sequitur, quòd non sit aliquid aliorum accidentium, quia omnia reliqua prædicamenta accidentium constant ex quantitate, aut qualitate, ideo anima non est accidens, ergo anima est substantia, & ita accipit, quòd sit suabstantia.

Textus II.

DICIMVS itaque unum quoddam genus entium quæ sunt substantiam, huius autem, aliud quidem est sicut materia quæ secundum se quidem non est hoc aliquid, aliud autem formam, & speciem, secundum quam iam dicitur hoc aliquid, & tertiam, quæ est ex his. Est autem materia quædam potentia, species autem est endelechia, & hoc dupliciter, hoc quidem sicut scientia, illud autem, sicut considerare.

Dicimus itaque Tripliciter diuiditur primo in simplicem & compositam, secundo simplicem in materiam & formam, & dicit, quòd substantia, quæ est materia, est quæ per se ipsam non est hoc aliquid, & substantia quæ est forma, est, quæ est hoc aliquid, & dicit Ioan. quòd per hoc aliquid intelligit Aristoteles indiuiduum substantiæ, ut in prædicamentis, sed hic, cum dicit, materia, non est hoc aliquid, intelligit, non actu ens, quia materia nullum actum includit ex se, forma uero, quia est id quo aliquid est actu ens, ideo dicit, quòd forma est hoc aliquid, non contentus his subiungit, quòd materia est substantia, quæ est ens in potentia, forma uero endelechia, & potentia accipitur in obliquo, & in recto ab Arist. quia ut Ioannes & Alexander, secundo naturalium quæstionum aduertunt, ꝙ duplex est materia mixtorum, una propria, alia communis, ut in homine, hic Arist. definiuit materiam communem uel primum, & dicitur ꝙ ipsa est substãtia potentia, quia ipsa est receptiua omnis actus, materia uero proxima, non est susceptiua omnis actus, Quia non est susceptiua eius, quod habet, ideo ipsa non potest dici, quòd sit substantia in potentia, diffinit hic igitur materiam communiter susceptam, & simpliciter primam dicens. Forma est endelechia, dicit Ioan. quòd accipit, quòd forma est endelechia in recto, forma est actus, & ideo inquit transmutauit nomen formæ, in nomẽ endelechiæ. Hic non est interpretandum endelechiam, id est perennem motionem, sed intelligendum per endelechia formam, & dicitur endelechia, propter tria, primo quia est causa unitatis ipsi composito, quia Socrates est singularis per suã formã, est causa etiam perfectionis, quia animal est perfectum per suam formam, item est causa continentis, quia tandiu corpus seruatur, quamdiu conseruatur forma eius, & hoc dicitur endelechia ἐν ὄτον ἐντελεχεῖν unuuquodque

enim in ista, habet suam perfectionem, & propriam essentiam. An hoc sit uerum, quod dicit Ioannes uobis relinquo iudicandum, satis tamen bene uidetur dicere in hoc, & ista est, prima diuisio, secunda diuisio est, qua utitur Arist. & dicit quòd substantia diuiditur in materiam formam, & compositum, & diuiditur forma, in primum & secundum actum, quare est principium operandi, & dicitur habitus, qui est ut scientia, actus, secundus est operatio ipsa, quæ emanat ab arte, ut speculatio ipsa, sed dicetis, hic est dubitatio. Primo cur Arist. dixerit Entium quoddam unum est genus, cur dixit in plurali numero entium, & non dixit genus absolute entis, in singulari. Secundo quia dicit quòd diuiditur substantia in materiam formam, & compositum, oppositum dicit tertio physicorum commento quarto, ubi diuidit ens actu in decem prædicamenta & unumquodque postea diuidit in actum, & potentiam. Tum quia in prædicamētis, diuisit substantiam, in primam, & secundam cur uero utitur hic eadem diuisione, uel non utitur ibi, ea qua hic, sed diuidit hic in materiam formam, & compositum.

Dubitatur ex alio a Io. quia membra diuisionis, debent esse incorruptibilia, materia & forma se compatiuntur in compositione, igitur non sunt membra diuisionis, quare ista diuisio manca est, quia non datur per oppositum. Tum addit Ioannes, quia Arist. appellauit formam, quæ est substantia, nomine Endelechiæ, uidetur quòd si est forma substantialis in rebus naturalibus, est causa perfectionis, & unitatis, ita etiam forma artificialis, nunquid igitur attribui debeat hoc nomen Endelechiæ formæ artificiali, sicut naturali. Adde, nunquid possumus etiam attribuere, nomen Endelechiæ formæ accidentali, si est, naturali. Et uidetur quòd sic. Eadem ratione de primo dico, quòd Arist. ita loquitur in plurali caute, quia ens non propriæ significat unum nomen, quia habet plures conceptus, ut conceptus substantiæ, & accidentium. Ideo numero plurali utimur, quia non habet unum conceptum, sicut sunt omnia alia equiuoca analoga, dixit autem quoddam genus, quia substantiæ nō est uere genus, quia eius species habent ordinem naturæ inuicem, quia uere genus prædicatur de suis speciebus, & quia anima habet ordinem in speciebus suis, ut puta, prior est uegetatiua, secundo sensitiua, ideo dicit, quoddam, scilicet equiuocæ, & analogicæ, non proprie genus. Quod dicis, quia Arist. tertio physicorum diuisit actu ens in decem prædicamenta, quomodo, ergo materiam, quæ non est actu ens posuit hic in ista diuisionæ substantiæ, Dico quòd Arist. dicit, quòd ens actu diuisit in decem prædicamenta considerans ea, quæ ponuntur in recta linea prædicamentali, in qua sunt omnia composita, ex actu & potentia, ex potentia, id est, ex potentia materia, ex actu, id est ex forma propria. Eiusdem, & ideo dicit, quòd forma est actu ens, quòd autem hic diuisit substantiam in materiā. Dico non sunt in recta linea prædicamentali, nam materia & forma, sunt a latere, & unum tantum in recta linea prædicamentali, ut substantia composita, & ideo ita diuisit. Quod addit, cur non diuisit hic substantiam sicut in prædicamentis. Dico utitur ibi ea diuisione, quæ deseruit dialectico. Logicus enim considerat ea, quæ ponuntur in recta linea prædicamentali, hic uero ostendit triplicem significatum substantiæ, quia intendit accipere in diuisione, quòd anima est substantia, id est forma, & ideo ut acciperet genus, proximum ipsius substantiæ, diuisit sic. Quod addit Simpl. in materia, & forma, non sunt opposita, Dico quòd ista sunt opposita, saltem priuatiue, & opposita in genere causarum, quia una est in genere materiæ, alia in genere formæ, ita sicut perfectum, & imperfectum opponuntur, quia materia est imperfecta. Quod dicis, nunquid hoc nomen endelechia, sit commune omni formæ dicit Ioan. quòd non est commune formæ artificiali, O' compositum artificiale est unum, & perfectum, per ipsam figuram, sed dico formale deficit ex continentia, & ob hoc non contingit hoc nomen, sed habet etiam hoc, quòd continet, corpus formæ, quia deficit tertia conditio, quia forma non solum dat unitatem & perfectionem. Cuius est forma. Et ita soluitur etiam dubitatio, quia dico, quòd hoc nomen non est commune formæ accidentali, quia formæ accidentali non contingit continere materiam, ne dissoluatur, & non semper est perfectio, quia aliquādo imperficitur, ideo ipsæ formæ accidētales nō uere dicuntur endelechia, ideo hoc nomen est commune omni formæ substantiali.

Textus III.

SVBSTANTIÆ autem maximæ uidentur esse corpora, horum physica, hæc enim aliorum principia. Physicorum autem, alia quidem habent uitam, alia autem non habent. uitam autem habere dicimus id quod per se ipsum alimentum & augmentum & decrementum, quia omne corpus physicum participans uita substantia erit, substantia autem sic sicut composita.

Dicit Arist. quòd tria sunt significata substantiæ. Et substantia composita maximæ dicitur substantia, & hoc intelligit quo ad nos, quia est maximæ nota nobis, dicit Ioan. artificiose processit Arist. quòd ex hoc, quòd anima est, substantia composita, intendit inuestigare genus, quod est ponendum in definitione animæ, ideo dixit maximæ substantia sunt corpora, corporum uero quædam metaphysica, alia natura-

lia

lia, & naturale est corpus commune ad artificiale, & ad accidentale, sed naturale substantiæ maximæ est substantia compositum naturale, & tunc facit tertiam diuisionem, & dicit, diuiditur corpus naturale, in animatum, & non animatum, animatum est quod habet uitam, & uita est nutritio auctio & diminutio, per se ipsum, inanima tum non habet uitam. Ex his tribus ostendit, quòd anima est substantia, quæ est forma & argumentatur sic omne corpus naturale constat ex materia, & forma, quæ substantiæ sunt, sed uiuens corpus, est corpus naturale, ergo constat ex materia & forma, ex materia, ut ex corpore ex forma, ut ex anima, anima ergo est substantia, quæ est forma, O' probat assumptum, scilicet quòd constat ex corpore tanquam ex materia, & ex anima, tanquam ex forma, quia corpus animatum non est absolute corpus, sed est corpus tale, quod includit animam, sed si ex anima non constat, tanquam ex forma, sed tanquam ex materia, tunc substantia, & materia essent in subiecto, quia anima est in corpore, tanquam in subiecto, & per se ipsam est subiectum, ergo subiectum est in subiecto, quod est absurdum, constat igitur ex anima tanquam ex forma, & ex his colligit definitionem animæ, quòd scilicet anima est actus corpus physici potentia uitam habentis, ut excludat corpus animatum, ab inanimato, non uiuit potentia inanimatum, sed solum animatum.

Lectio XXXVI.

VOLENS demonstrare Arist. quòd anima est substantia secundum formam, diuidebat in tria, scilicet in materiam, formam & compositum, hoc pacto, omne corpus naturale constat ex materia, & forma, ut patet, sed omne corpus uiuens, est corpus naturale, quia habet in se ipso principium motus naturalis, omne ergo corpus constat ex materia, & forma, ex corpore, tanquam ex materia, & ex anima, tanquam ex forma, ergo constat ex illa tanquam ex materia, ergo subiectum est in subiecto, quod repugnat, non ergo anima potest esse materia neque subiectum, ergo sequitur quòd anima est forma, & iam dixit, quòd erat substantia, ut probauit ex disputatione, contra antiquos, anima igitur est substantia, quæ est forma. Hic aduertit Ioannes, quòd Alexander aliter exponit, Et dicit, quòd Arist. hic probat quòd anima non est corpus, & non quòd sit substantia, sed contra, inquit Ioannes. Quia bene probat, quòd anima non erit corpus, sed non ex principali intentione ostendit, quòd ipsa anima est forma & substantia, & dicit Ioannes, quòd infra ostendit Arist. quòd anima sit forma. Quia id quo distinguntur species animales, sunt genus, & eorum forma, sed sub corpore naturali distinguitur animatum, & inanimatum, per animam, ergo anima est forma corporis naturalis. Sed hic est, duplex dubitatio. Prima Latinorum, quia Arist. dixit, maxime substantiæ sunt formæ naturales, quæ maxime sunt notæ uulgaribus, sed contra, quia Arist. in prædicamentis dicit, substantia non recipit magis, & minus, ergo substantia composita, non est magis substantia quàm formæ, ergo neque maxime substantia, quia superlatiuum præsupponit comparatiuum. Tum ultimo, quia distinguens corpus uiuens dixit, quòd corpus uiuum, uel animatum, est illud quod per se uiuit, augetur, & diminuitur, sed definitio ista uere conuertitur cum definitio, quia quadruplici uita uiuit animal, scilicet uegetatiua sensitiua. Rationali, & motu locali, non ergo est bona definitio, quia non competit nisi uitæ uegetatiuæ, & ita ista non est, perfecta definitio corporis uiuentis. Tum tertio, quia uidetur peccare fallacia consequentis, quia postquam ostendit, quòd anima est substantia, quæ est forma, ex hoc intelligit, quòd anima est, forma corporis naturalis potentia uitam habentis, & tamen intulit istam consequentiam. Ad hæc dico, & ad primum quòd uerum est, quòd substantia suscipit magis & minus, sed hic magis non dicit intensionem, & remissionem, sed dicit magis, secundum magis proprium significatum ipsius substantiæ, & ideo dicit maxime substantia est composita, quia compositum principalius significat substantiam ipsis uulgaribus, quàm materia, & forma, quia ipsi non nouere, quòd materia, & forma, sunt substantia, sicuti compositum. De secundo, quomodo de uno gradu uitæ descripsit corpus uiuens. Dico, quòd ita est de facto, ut dicis, & ideo dicit Auer. quòd ista est descriptio, & non est uera definitio, sed exemplariter describit nobis primum gradum uitæ, quia illa est prima ordine naturæ, scilicet uegetatiua, & hocmodo, descriptio conuertitur cum descripto. De tertio peccat fallacia consequentis. Dico non peccat, quia ex quo dictum est, quòd anima est substãtia quæ est, forma & est naturale, & omne corpus naturale constat ex materia & forma, & omne corpus uiuens est naturale, & quòd omne corpus uiuens a non uiuente distinguatur per animam ipsam, ideo sequitur quòd anima est actus corporis habentis uitam in potentia, quia est actus corporis naturalis uiuentis &c.

Secunda dubitatio Ioannis est circa descriptionem uitæ, quia dicit Arist. corpus uiuens est, quòd per se ipsum augetur, nutritur, & diminuitur per se, id est propriis organis, & per hoc differt ab inanimato, quia etiam si aqua augetur non augetur propriis organis, & ideo dixit ea uiuunt, quæ per se augentur & diminuuntur, Tũ etiam,

etiam, quia primo de generatione, quod per se augetur qualibet dimensione, & secundum quālibet partem augetur, & sic est de aliis inanimatis. Tum etiam quia dixit, quod per se augetur perdurat idem numero a principio usque ad finem uitæ, id est quod uero improprie augetur, ut aqua non permanet, idem numero, & ob hoc addit Arist. illud per se augetur ut distingueret, auctionem uetam animati ab inanimato. Est ergo dubitatio de fœtu, dum est in utero matris, quia cum in utero est animal, uiuit & tamen non per se augetur, quia non propriis organis, non enim ore, sed nutritur per sanguinem demandatum per uenam umbilicalem a matre, non ergo est uiuens per se, sed est uiuens. ergo &c.

Tum secundo quia Arist. probauit, quòd anima est substantia, quæ est forma, explicuit definitionem animæ, & dixit, anima est actus corporis physici potentia uitam habentis, sed cur non dixit actus primus, quia infra dicit Arist. quòd anima non est actus absolute, sed actus primus, & istud est genus proximum animæ, sed cur non dixit, hæc anima est forma prima, seu actus primus, & est bona dubitatio, &c.

Dico de primo cum dicis, fœtus in uentre non per se augetur, negatur. O' non augetur propriis organis, falsum est, quia esto quòd non utatur, utitur tamen uentriculo, & iecore, quia sanguinem quem accipit, a matre, per uenam illam umbilicalem, elaborat in uentriculo, & deinde in iocinore, & ita utitur iecore, & stomacho, quæ sunt propria organa eius, inquit Ioannes, ergo fœtus per se augetur, sed tu dices inquit Ioannes, si fœtus in utero est animal, & uiuens cur ergo detinetur a materia infra corpus si potest propriis organis augeri, uidetur, quòd hoc sit ab ea factum frustra. O' dat duas responsiones, primo dicit, quòd detinetur, ex hoc quia, istud animal non est perfectum, non enim habet os perfectum, quo possit accipere cibum & nutriri, per illud, Tum quia est imbecillimum, ideo detinetur ibi ut melius tueatur, ab extrinsecis corporibus. Secundo dicit, fœtus in utero, non est animal. O' quando erit animal. O' ad tempus partus, & declarat, quòd non sit animal Ioannes, quia nutritur modo plantæ, quia trahit nutrimentum a matre, per uenas umbilicales, sicut plantæ trahunt nutrimentum a terra, per radices. Tum etiam quia scilicet in utero non utitur sensu, non ergo est animal, quia animal, est animal per sensum. Tum etiam ex ordine procedendi naturæ, quia ipsa gradatim, uadit ab imperfecto ad perfectum, nam incipit ab elementis ad mixta, imperfecta, & a mixtis imperfectis ad perfecta, & ideo ad plantas deinde ad Zoophita, id est ad animalia quæ hærent, & deinde ad animal perfectum, illa Soophita, dicit, non sunt animalia, ut conchilia, quia ipsa, non habent, nisi sensum tactus, & ideo sunt medium inter animal, & plantam. Ideo est, modo dubitatio. An ex comixtione seminis matris & patris fiat corpus inanimatum, de actione esteriori generatur corpus uiuens ut planta, postea generatur Soophita, solum tactum habens, postea fit animal perfectum, quando habet rationem. Et si dicas quomodo est animal perfectum, si non potest generare. O' dicit quòd generare non ingreditur essentiam animalis, nec est, de esse animalis perfecti, ut patet de inulo, & aliis animalibus genitis ex putri materia, sed hæc dicta Ioannis multa falsa habent. Primo, quia dicit quòd sanguis attractus a matre ipsi fœtui, decoquitur in uentriculo, sed hoc falsum est, quia uentriculus non habet uirtutem nisi ad generandum chilum, & non ad decoquendum sanguinem. Tum etiam quia, uena umbilicalis, non tendit ad uentriculum, ad epar inter partem concauam, & gibbam, & ideo ibi uere decoquitur sanguis, & inde postea transmittitur ad reliquas partes Epatis, & ideo bene nutritur fœtus proprio iecore, non tamen primo uentriculo, & hocmodo per se nutritur, quia nutritur proprio organo, quod est iecur. Secundo Errat, quia dicit quòd Zoophita, non sunt animalia, ut sunt conchilia. Sed primo de historia animalium probauit Aristoteles, quòd ista conchilia sunt animalia, quia sentiunt, ut patet, quoniam adhærent, quia si non tacite eat piscator non potest euellere illā, a pariete, & ideo sunt animalia, quia animal est animal, per sensum tactus, & ista habent etiam alios sensus, ergo &c. Item errat Io. quia ex comistione duorum seminum primo generatur inanimatum corpus, postea corpus animatum, ut planta, postea generatur animal, quod habet solum sensum tactus. Hoc est falsum. Quia habet omnes sensus, post quos sensus, acceptos aduenit, anima rationalis, & tunc est animal perfectum, & potest moueri. Bene tamen concedo, quòd aliquando sola uita uegetatiua uiuat fœtus, tamen tunc uere est planta, quia ista habet ordinem in aliam perfectiorem formam illa autem uita plantæ non habet ordinem, in aliam formam perfectiorem, &c.

Tertia dubitatio Alexandri est, quia Arist. sibi aduersatur. Quia hic probat quòd anima est substantia, quia est in corpore, tanquam in subiecto, sed in prædicamentis dixit, quòd proprium substantiæ est, non esse in subiecto, ergo sibi aduersatur. Respondit Alex. quæstione octaua primo libro naturalium quæstionum, & idem dicit Ioannes, & Auer. Dico igitur quòd bifariam, est esse, in subiecto. Vnomodo ut accidens, aliomodo, ut forma, nam accidens est in subiecto actu subsistente, & non est causa, quòd illud subiectum subsistat, sed formæ substantiales sunt in subiecto, id est, in subiecto ente in potentia,

& hoc-

& hocmodo anima est in subiecto, & illud subiectum cui aduenit habet quòd subsistat a forma adueniente, & ipsa forma est causa subsistentiæ ipsius subiecti.

Sed tu dices, primo quia Arist. dicit anima est, actus corporis naturalis, anima ergo aduenit corpori naturali, & tale constat ex materia, & forma, ergo anima aduenit enti in actu. Tum secundum omnes contra eos, duæ sunt animæ in nobis, rationalis, & sensitiua, & rationalis aduenit, post sensitiuam, ergo erit in subiecto actu. Tum ex Arist. quia ipse ponit formam substantialem mixti esse in subiecto, quia materia prima habet formas substantiales elementares remissas, ut subsistit materia ipsa, ergo formæ substantiales, sunt in subiecto, in actu. Dico de primo cum dicis, subiectum animæ non sit ab anima, sed iam erat actu ens. De hoc dicemus. tamen quod addis de anima rationali, dico, quòd & si primo sit anima sensitiua, tamen primum subiectum animæ rationalis, est materia prima, & ideo ipsa anima aduenit enti in potentia, sed est ordo quiddam inter hæc, eodem modo dicit Auer. de tertio argumento, quòd posuit formas substantiarum esse in mixto, sub esse imperfecto ut scilicet possint recipere formam substantialem mixti. Quarta dubitatio sequitur de subiecto accidentium, quod nam sit subiectum primum accidentium, quam examinabimus post paschalia resurrectionis.

Lectio XXXVII.

OSTENDEBAT Arist. quòd anima esset forma corporis uiuentis, quia omne corpus uiuens, est corpus naturale, & omne corpus naturale constat ex materia, & forma, constat autem ex corpore, tanquam ex materia, & ex anima tanquam ex forma, & probabat quòd ita esset, quia sequeretur, quòd subiectum esset in subiecto, si aliter esset, ut si constat ex anima, tanquam ex materia, & ex corpore tanquam ex forma. Hic dnbitant expositores, quomodo anima sit in corpore tanquam in subiecto. Cum anima sit substantia. Quia est pars substantiæ & in prædicamentis dictum est, quòd propriũ substantiæ est, non esse in subiecto. Respondebamus ex Alexandro, secundo libro quæstionum naturalium, & ex Ioanne, quòd duplex est esse in subiecto, unomodo in subiecto, quod est per se seorsum subsistens & actu ens, & hocmodo nulla substantia est in subiecto, ut dixit Arist. in prædicamentis, aliomodo est esse in subiecto, quòd non est, actu ens, sed potentia ens, & non est per se subsistens, sed habet subsistentiam a forma superueniente, & hocmodo substantia, ponitur esse in subiecto in corpore, quod nondum habet actum, sed accipit actum, & consistentiam ab ipsa. Hæc erant declaranda, secunda dubitatio. Quia diximus, quòd differunt substantia, & accidens, quia diuersimode sunt in subiecto, ideo dubitant Latini, & difficilis est dubitatio de subiecto accidentium, an eorum subiectum sit compositum substantiale. An materia prima, ex Ioanne enim & Auer. cum omnibus uidetur, quòd subiectum accidentium, sit compositum naturale, quia dicunt quòd debet esse actu ens, & est dubitatio hic de accidentibus naturalibus, quia duplicia sunt accidentia, spiritualia & materialia, de spiritualibus accidentibus, non loquor, quia ista possunt habere subiectum, per se, ut intellectio, inest ipsi composito atque materiæ primæ, sed inest ipsi animæ, primo, ideo dico de accidentibus naturalibus, & dico subiectum primum, & secundum, & non est dubium, quòd subiectum aliquod istorum, est subiectum accidentium, ideo nos quærimus de subiecto primo, ut nunquid totus homo recipiat sua accidentia, an solum corpus partiale, & prima materia recipiens illa, ut calor, & cætera accidentia, ista igitur est quæstio, nnnquid accidentia animæ naturalia fundentur, in materia prima, tanquam in primo subiecto, an in composito spirituali.

Ex uerbis Græcorum expositorum uidetur, quòd subiectum primum accidentium omnium sit compositum, quia dicunr, subiectum accidentium & subiectum formæ, differunt, quia subiectum formæ substantialis, est ens in potentia, & non subsistit per se, subiectum uero accidentium debet esse per se subsistens, hoc autem est, compositum naturale, ergo subiectum naturale est primum accidentium subiectum. Ex opposito est positio Auer. in libro de substantia orbis, ubi dicit, quòd quantitas interminata præcedit omnem formam in materia, quia primo aduenit ei, & ita materia prima est, primum subiectum quantitatis interminatæ, & hoc, quia eadem quantitas quæ est in igne corrupto, eadem remanet in aere genito, ergo illa non fundabatur in igne, sed in materia prima, & reddit causam Auer. quòd sicut est duplex accidens actu, & potentia, ita duplex est subiectum, actu scilicet, & potentia, quia quantitas illa interminata, est accidens potentia, ideo illi contingit subiectum in potentia, sicut accidenti actu, contingit subiectum actu ens, ita accidenti potentia contingit accidens potentia, materia igitur est subiectum primnm quantitatis interminatæ. Item dicit quòd quando trasmutatur, & fit ex igne aer, idem numero calor remanet in aere genito, cum erat in corrupto igne, & est dictum Arist. primo de generatione, & corruptione tex. uigesimotertio, nbi habet, in habentibus symbolum est facilior transitus, quia ibi est, una quæ eadem numero permanet in genito & corrupto, sed si ignis totus esset eius subie-

ctum, corrupto illo corrumperetur & calor, & tamen non remaneret idem numero calor, in aere genito, ex illo igne, hæc sunt quæ dicunt isti, &c.

De hoc dubio tres sunt opiniones, Prima est Diui Thom. Egidij, Scoti, & ferre omnium Latinorum, quòd primum subiectum omnium accidentium sit compositum substantiale, ut sub iectum caloris, est totus ignis, non materia ignis. Probatur auctoritate, & ratione, Auctoritate, quia alioquin, sibi contradiceret Arist. hic, & in prædicamentis, quia in prædicamentis dicit, esse, in subiecto, quod est ens actu, hic uero dicit, animam esse in subiecto, & anima est substantia, ergo substantia est in subiecto, sed nos soluamus, quia dicimus, quòd in prædicamentis dicit, quòd nulla substantia est in subiecto composito, & actu ente, hic uero dicit animam esse in subiecto, quod est potentia ens, Tum ex alio, quia primo de generatione, & corruptione, & 5. physic. differunt subiectū motus & mutationis substantialis & motus subiectum est in tribus prædicamentis, in quantitate, qualitate, & ubi, differunt igitur ista, substantia, quia subiectum motus est actu ens, sed subiectum mutationis est potentia ens, ut materia prima, subiectum igitur motus est actu ens, per Arist. ergo, subiectum primum accidentium est compositum substantiale, alioquin idē subiectum primum motus, & mutationis; sed est differentia per Arist. ergo, tum ex alio, quia septimo metaph. dicit accidentia definiri, per proprium subiectum, quia eo modo quo habent esse debent diffinire, sed subiectum, per quod diffiniuntur accidentia, est compositum, quia illud est, quod est nobis notum, & non materia prima, ergo, tum ratione arguunt, quia illud est, primum subiectum accidentium, quod primo denominatur ab ipsis, ut primum subiectum albedinis, est quod primo denominatur ab albedine, sed primo ab albedine denominatur paries, ut compositum, & non materia parietis, ergo illud erit suum subiectum primum, &c.

Secundo, quia ordo naturæ est inter formam accidentalem & substantialem, quia forma substantialis, est prior, natura accidentali, ergo prius materiæ primæ aduenit substātialis forma, quàm accidentalis, ergo compositum accidentale, & non materia prima, est primum subiectum accidentium, Iste sunt rationes fere omnium Latinorum, dico fere omnium, quia sunt aliqui tenentes oppositum, contra hanc opinionem est Ioan. Gandauensis, Etiam arguitur, quia ex hac opinione sequuntur multa inconuenientia, primum quia sequitur ex hac opinione, quòd aliquod sit finitum, & careat fine, & ratio, quia supponamus, quòd ex ligno generatur ignis, non ignis agit in lignum calefaciendo, & excicando, & quando inducta sit sufficiens quantitas illorum accidentium, id est caliditatis, & siccitatis, tunc statim fit ignis. Sed nunquid remaneat calor & siccitas præcedentes, quæ erat inducta prius in ligno, non quia totus calor, qui præcessit & siccitas similiter corrupte sunt sine corruptione ligni, & ita sequitur, quòd est aliquod finitum carens fine, quia altero quæ præcessit ligno, ut calefactio, & exiciatio finita est, & tamen caret proprio fine, quia debuit habere finem suum, in illo instanti, in quo genitus est ignis, sed tunc totus ille calor corrumpitur, & non permanet, non igitur potest habere determinationem, igitur est aliquod finitum carens fine, &c.

Secundo arguitur, quia calor illæ, & siccitas præcedens corrumpitur, in generatione ignis, ex ligno, aut igitur per se corrumpitur, & hoc non est uerum, quia non corrumpitur a suo contrario, nullus enim ibi est contrarium, neque etiam per accidens, quia eo pacto res corrumpi debet sicut est corruptibilis, sed caliditas est per se corruptibilis, & similiter siccitas, ergo debet per se corrumpi, non ergo per accidens, nullo modo, ergo corrumpitur.

Tum tertio si calor corrumperetur, aut in instanti, aut in tempore corrumperetur, neutrum uerum est. Primo non in tempore, quia generatio fit in instanti, nec etiam in instanti, quia eo modo res debet corrumpi, quo est corruptibilis, sed est corruptibilis in tempore, & per se, non ergo per accidens &c. Ista sunt argumenta Io. Gand. sed ista argumenta parum cogunt. Primo cum dicis, illa calefactio, & exicatio, præcedens est finita. Dico, quòd uerum est, quòd est finita negatiuæ, quia non est infinita, non quia habeat proprium terminum, quo finiatur, quia illa, calefactio debeat accipere terminum suum in generatione ligni, & non habuit, quia non permāsit generatio illa, nam si præseruasse tgeneratio illa, habuisset suum terminum, sicut dicimus de linea a qua remota sunt extrema puncta, quæ eā terminabant, illa linea dicitur. Tum finita, non quia habeat terminum proprium, sed dicitur finita negatiuæ, id est non infinita. De secundo aut ille calor corrumpitur per se, aut per accidens, Q. dicunt, certe per accidens, quia ad corruptionem substantiæ corrumpitur, O. instat, ea forma eo modo corrumpitur, quo est corruptibilis, sed est corruptibilis per se, uerum dices, ergo non debet corrumpi, per accidens, nego argumentum, quia est corruptibilis per accidens, &c. Ita de tertio, Dico, quòd calor ille in instanti corrumpitur, istud instans quod est, primum non esse ignis est ultimum esse ligni, & ita sunt idem, & ideo subito corrumpitur, O. dicis eo modo corrumpi debet, quo est corruptibilis, uerum est, sed est corruptibilis per se, & tempore. Dico quòd est etiam corruptibilis per accidens, Et ideo fortius instant alii. Primo quia

illa

illa opinio sibi aduersatur, quia Diuus Thomas ponit, quòd potentia sit accidens, quia dicit quòd potentia est qualitas, licet alij dicant, quòd potentia sit relatio, sed potentia imediate fondatur in prima materia. Tanquam in subiecto primo, & potentia est accidens, nel sit qualitas, ut dicit ipse, uel relatio, nt alii dicunt, satis est quòd est accidens, non ergo omnium accidentium subiectum primum est compositum, quia aliqua fundantur imediate in prima materia, nt potentia, contradicunt ergo sibi in secundo, quia una & eadem materia est geniti, & corrupti, si ergo transmutatur ignis in aerem, una igitur est materia in aere & igne, sed unitas numeralis peruenit a materia signata, & quantitate, per Diuum Thom. ergo est eadem numero quautitas, signata in igne corrupto, & in ligno genito, non ergo quantitas illa erat fundata in igne, quia cor ruptibilis esset corruptione ignis, quia omnia accidentia alicuius subiecti corrumpuntur ad corruptionem subiecti, ergo erat prima materia, &c.

Secundo, quia si accipiamus accidentia huins, ut quantitas, & figura, quæro quid sit subiectum hominis, si totus homo sit eius subiectum, Tnm ex quo homo totus constat ex anima rationali, & corpore, qnia totus homo nihil aliud est, nisi anima cum corpore, accidentia illa erant fundata in anima rationali, tanquam in parte, igitur, Respondent scotistæ, quòd ne dum homo est anima, & corpus, sed est quæddam tertia entitas resultans ex anima, & eorpore, cum simul sunt, ideo accidentia, insunt Ternæ entitati. Tunc ergo sequitur, quòd illa accidentia insunt animæ rationali, sed isti litem lite soluunt, quia dicunt, quòd homo dicit tertiam substantiam ab anima, & corpore, hoc est difficile, & falsnm; quia totus animal nihil aliud est, quàm anima & corpus, cum debite uniuntur, & ita isti assumũt dubium in solutione dubij. Restat igitur dubitatio, si totus homo sit subiectum figuræ, & quãtitatis, cur est, quòd anima rationalis non sit sub iectum accidentiũ, & non esse. Secundo arguo quia facilius transmutatur ignis in aerem, quàm in aquam, ut dicit Arist. quia idem est calor per manes in aere gemito, qui erat in igne corrupto, si sic, non ergo totus ignis est subiectũ caloris, sed necessario eius materia, si totus ignis fuisset subiectum primum caloris, corrupto igne esset corrupta caliditas, O' respondent isti, quòd sicut corrumpitur ignis, ita etiam reliqua eius accidentia, O' cur dicit Arist. in habentibus symbolum est facilior. Transitus, O' dicunt hoc, quia in generatione aeris, & ignis, est solum una resistentia, quæ est humiditas, in generatione uero aquæ ex igne, dnplex est resistentia, ita etiam duplex est agens, sicuti in generatione aeris ex igne est tantum una resistentia, & nnum agens, ideo non sequitur, quòd ob hoc fiat facilior. Transitus, quia stat, quòd eque facilis sit generatio aque ex igne, sicuti aeris ex igne, igitur ista Responsio non tuetur uerba Arist. Tertio ex alio habet istam difficultarem contra se, D. Thom. quia dicit, quòd generatio ignis, ex ligno, ergo lignum ipsum disponeretur, gradu intenso caloris & siccitatis, postea statim inflammatur, & fit ignis, & dicit, quòd ille calor, & siccitas, corrumpitur, quando corrumpitur ignis, forma igitur ignis ad uenit sine dispositione ligni, quod est absurdum, quia omnis causa, uidetur esse simul cum causato, sed cur corrumpitur lignum, O' certe non nisi ex incompossibilitate accidẽtium in ipso, incompossibilitas igitur accidẽtium, est causa corruptionis ligni, & ista accidẽtia sunt calor, & siccitas, in eodem ergo instanti in quo corrumpitur lignum, debet permanere caliditas & siccitas, quæ erat in ipso, nam effectus debet esse cum materia simul, igitur, debet esse incompossibilitas accidentium ligni in ipsius ligni corruptione etiam. Quia aliter adueniret forma substantialis ignis materiæ denudatæ omni accidente siue ulla proportione, O' ultimo, quia eadem nigredo remanet in Ethiope uino & mortuo, & eadem cicatrix, ergo illa eadem accidentia remanent, in genito, & corrupto, O' dicit D. Thom. qnòd illa accidentia non sunt eadem nnmero, sed illa nigredo Ethiopis mortui, est similis illi uiuo, sed ista accidentia consequuntur, corpus quod generatur. Sed est difficultas. Quia cadauer tale, non sibi determinat hæc accidentia, si sic, quomodo igitur hæc accidentia possunt consequi cadauer, necesse igitur, quòd sit eadem nigredo & cicatrix, qnæ erat in uiuente, & ea qnæ est in cadauere genito, quia illa non possunt sequi cadauer, cum non determinet sibi illa.

Lectio XXXVIII.

DIXIMVS primam opinionem de subiecto primo accidentium, quam reiecimus satis probabilibus rationibus, ut uidistis, ideo est secunda opinio Auic. in summa prima libro primo, cap. primo, ubi dicit triplex est generis accidens, est primum accidens, quod primo consequitur formam substantialem, & tale accidens primo inest formæ substantiali, sicut intellectio, quæ primo inest anima rationali, secundũ est accidens qnod primo consequitur totum animal. Tum ratione formæ, tum materiæ, ut est somnus, & uigilia, qui consequitur totum animal, Est tertium accidens, quod primo consequitur materiam, sicuti dicimus, quòd nigredo, & cicatrix primo consequuntur materiã primam, & non eadem remanebunt in Socrate uiuo & mortuo, quia remanet materia eadem in Socrate mortuo, quæ erat in uiuente, sed hæc

 opinio

opinio licet Plana uideatur, habet tamen dubitationem, Primo quia consequitur uiuens, nam omne uiuens, habet propriam figuram, ista figura consequitur animal, & sicut animal ipsum uariatur, ita & figura, & sicut animal ita consequitur, & tamen nec totum nec animal est subiectum figuræ, quia mortuo homine eadem cicatrix, quæ erat in ipso uiuo est in cadauere, & ideo illud accidens consequetur, Totum non tamen totum est eius subiectum, non ergo uerum est, quòd omne accidēs, quòd primo consequitur formam aut totum, fundetur in eo primo, ut in subiecto primo. Opinio igitur est falsa. Tum secundo de qualitatibus symbolis, ut caliditas quæ est aeris & igni, ita caliditas consequitur formam aeris & ignis, quia forma determinat sibi hanc qualitatem, & tunc ista caliditas non inest primo igni, quia corrupto igne remanet calor in aere genito, ergo non est uerum illud, quod tu dicis, ista igitur Opinio non tuetur semet ipsam, Ideo est, alia opinio Auer. Greg. Ariminen. & Marsilij primo de generatione & corruptione, & uidetur magis Aristotelica, quàm ceteræ expositiones, ista igitur dicit, quòd duplex est subiectum primum accidentium, Quoddam est subiectum primum inhesionis, & aliud denominationis, subiectum inhesionis, est materia prima, & in ista fundantur & inherent omnia accidentia, & ab hoc, quia primo insunt materiæ ista accidentia possunt remanere corrupto toto, & corrupta forma corruptionis naturalis, quia remanet materia eadem in qua inherent illæ formæ accidentales, ista igitur materia prima recipit omnes formas. Tam accidentales, quàm substantiales, sed ordine quodam. Primo recipit substantialem formam, secundo uero accidentalem, non propter hoc tamen forma accidētalis fundatur in toto composito ex materia & forma, quia forma est causa receptionis, qnia non stante forma non fundarentur illa accidentia, tamen ita fundantur illa accidentia in materia prima, sicut forma substantialis, Exemplum, non potest homini inesse albedo nisi primo ei insit quantitas, non tamen quantitas recipit qualitatem illam, sed ambe iste formæ recipiunt in composito, sed ordine quodam, quia primo recipitur quantitas, quàm qualitas, ita modo dico, quòd uterque illorum actuum recipitur equaliter in materia prima, sed ordine quodam, quia primo recipitur actus substantialis, deinde accidentalis, &c.

Secundo est subiectum denominationis, & illud est indiuiduum substantiæ, quia dicimus parietem esse album, & non materiam parietis, quia illud nobis est, magis notum, & ideo quod prius denominatur est indiuiduum substantiæ, & compositum ipsum, Sed uos dicetis, est dubitatio, primo, quia Auer. in libro de substantia orbis ubi declarat hanc difficultatem, dicit, quòd duplex est quantitas, quædam terminata, & quædam interminata, sed quantitas interminata præcedit formam substantialem, non ergo uerum, quòd forma substantialis præcedat omnem quantitatem in materia, sicuti dices contradicit, ergo sibi. Secundo est difficultas ex uerbis Arist. primo de generatione uigesimotertio, ubi dicit generatio substantialis est transmutatio totius, in totum nullo sensibili remanente, ut sebiecto, ut si ex igne generetur aer, nullum sensibile remanet ipsius ignis, & sic de aliis, sed si sic, non ergo remanet calor, quia est formalis qualitas, uel si remanet, ergo est falsum Arist. dictum &c.

Tertio quia Arist. ubique dicit, quòd primum subiectum omnium accidentium est superficies, ut tertio physicorum, & 12. met. ubi dicit color est exemplum corporis perspicui terminati Themist. primo poster. primum subiectū coloris, est superficies ipsa, si sic, non ergo materia prima est subiectum omnium accidentium, O ad hæc dico, cum dicis, omnem formam substatialem præcedit quantitas, uerum est, sed ita etiam omnem quantitatem præcedit forma alia substantialis, O' dicit Auer. quantitas intellectiua præcedit omnem formam in materia, dico dupliciter intelligitur hoc. Vno modo, quòd in materia detur quantitas, quæ sit omnino carens termino, & hoc falsum est, quia materia non stat sine forma substantiali, & omnis forma habet terminum, & ita loquēdo de quantitate interminata simpliciter, falsum est, quòd ipsa præcedat formam substantialem, si uero loquaris de quantitate interminata, secundum quod tunc ista præcedit omnē formā substantialē in materia, dicitur n. interminata respectu formæ generādæ, respectu tamen præsentis formæ terminata, ut quantitas ignis ex qua generatur aer, dicitur interminata, respectu formæ ignis generandæ, respectu uero formæ, eadem dicitur terminata, quia habet extensionem, qua indiget ignis, & ita omnis quātitas partim terminata, respectu formæ præsentis, & sic consequitur formam in materia, & non præcedit interminata respectu formæ generandæ, & sic præcedit formam substantialem in materia, & hæc est quantitas interminata, Auer. etiam ad mentem Arist. De secundo generatio substantialis est transmutatio, totius in totum, si sic, non ergo remanet qualitas symbola quando ex igne fit aer, quia illa est sensibilis, Dico se exponit Arist. in uerbis subsequentibus, & dicit nullo sensibili remanente, ut subiecto huius generationis, & ideo si calor in generatione aeris & ignis remanet, illud non est primum subiectū transmutationis. Et ideo bene calor est conditio subiecti illius generationis aeris, sed non est ratio, quòd materia illa subiiciatur generationi aeris, generatio igitur est transmutatio totius in totum nullo sensibili remanente ut subiecto eius,

eius, &c. De tertio omnes colores sunt in superficie, dico quòd hoc non est uerum, quòd omnes fundantur in materia, sicut & reliquæ formæ, & est impossibile, quòd color sit in superficie, quia accidentia requirunt terminatam dimensionem corporis Lati, longi, & profundi, nec possunt omnia alia fundari, &c. Ad Arist. autem dico, quòd loquitur secundum apparentiam; quia non uidemus colores nisi in superficie, secundum rei tamen ueritatem subiectum primum est prima materia, non enim potest aliquod horum esse in superficie, sed oportet esse in corpore trina dimensione dimensionato, &c. ex his soluuntur argumenta D. Tho. & Scotistarum, uolebant enim isti, quòd compositum esset subiectum primum accidentium, primo ex Aristotele, & omnibus Græcis, quia dicunt quòd aliomodo, anima est in subiecto quod est, ens potentia, ut in materia prima, accidens uero est in subiecto quod est, actu ens, id est, compositum ipsum subiectum, igitur primum omnium accidentium est compositum. Dico, sane, debetis inttelligere, ideo cum dicis subiectum animæ in materia prima, quæ est, in potentia, & accidentia sunt in actu, concedo, ergo sunt in subiecto composito, quod est in diuiduum substantiæ, nego argumentum, quia licet calor fundetur in materia ignis, nihil minus non potest esse in materia prima, nisi insit materiæ primæ aliqua forma, & ob hoc accidentia fundantur in ente in actu, quia fundantur in ipsa materia prima, fuit prima recepta forma substantialis, & ita ordine quoddam fundantur accidentia in materia prima, & formæ substantiales, quia formæ substantiales præcedunt, ambæ tamen in materia prima recipiuntur, sed est ordo receptorum, A non recipientium, materia ergo prima bene est subiectum omnium accidentium, sicuti formarum substantialium, & ideo dicunt quòd materia prima est subiectum primum omnium accidentium, quatenus tamen materia prima ordine naturæ habet formam substantialem, alioquin non possent recipi, &c. Erat alia authoritas, Tertio physicorum, & primo de generatione, quia differunt inquit subiectum primum transmutationis, & motus localis, quia subiectum primum transmutationis, & generationis, est potentia ens, subiectum uero primum motus, est actu ens, ergo est, indiuiduum substantiæ, ergo omnia accidentia fundantur in indiuiduo substantiæ. Dico quòd differunt dicit Arist. quia subiectum mutationis est potentia ut materia, prima, illa tamen eadem materia quatenus habet substantialem formam est etiam subiectum primum ipsius motus localis, & alterationis, & ita ordine quoddam differunt, quia in uno, subiectum primum, est materia per se, ut in transmutatione, in alio uero, est materia cum forma, ut in motu, quia illud quod mouetur debet esse actu ens, ita etiam cum dicit septimo metaphysicæ, accidens debet definiri per proprium subiectum. Dico quòd definit nobis Arist. accidens per indiuiduum substantiæ, quia illud est nobis notius, & est primum subiectum denominationis, & non inhæsionis, & ita concedo quòd indiuiduum substantiæ, est subiectum denominationis ipsorum accidentium, non tamen est subiectum inhæsionis. Addebat arguens rationem, quia accidens, primo inest ei quod primo denominatur, sed primo denominat indiuiduum substantiæ, ut patet. Dico soluta est dubitatio, nam maior est falsa, nam accidentia omnia primo determinant compositum, inhærent tamen primo materiæ primæ, Ecce quòd falsa est maior. Quod addebas ultimo, quia semper actus substantialis præcedit accidentale, quando est, hoc fit indiuiduum substantiæ, ut puta ex actu substantiali & accidentali, fit compositum, ergo accidentia fundantur in composito. Dico quòd accidentalis actus inest indiuiduo substantiæ, sed partim, id est materiæ primæ ipsius, sicuti dictum est, & ita hæc sufficiant de hac quæstione difficillima, non amplius expectetis a me, quia semper remittam uos ad hunc locum.

Lectio XXXIX.

Ex præcedentibus, cum declarasset Arist. quòd anima est, sub[illegible], & quia triplex est, subiecta materia, scilicet forma, & compositum, dicit quòd est, substantia, quòd est forma & ex hoc ostenso colligit definitionem uniuersalem animæ, dicens, anima est forma substantialis corporis physici organici potentia uitam habentis, &c.

Textus IIII.

QVONIAM autem est corpus & huiusmodi uitam habens, neque utique erit corpus anima, non est enim eorum quæ in subiecto corpus, magis autem sicut subiectum & materia est, necesse est ergo animam substantiam esse, sicut speciem corporis physici potentia uitam habentis.

Textus V.

SVBSTANTIA autem actus, huiusmodi igitur corporis actus. Hic autem dicitur dupliciter, alius quidem sicut scientia, alius quidem sicut considerare, manifestum est igitur quòd sicut scientia, inexistere enim animam & somnus & uigilia est, proportionale autem uigilantia quidem ipsi considerare, somnus autem ipsi habere & non operari.

Substantia autem actus est, & perfectio &c.

hic primo loco oſtendit neceſſitatem huius particule, cur dixit potentia uitam habentis, & dicit hoc, ut ſeiungat corpus animatum ab inanimato, nam ſi ſit corpus inanimatum ut ignis aeris, forma eſt actus corporis naturalis, non tamen eſt corpus naturale potentia uitam habentis, quia non ſit ignis uita potentia, & ideo addit iſtam particulam ut ſeiungat corpus animatum ab inanimato, alioquin non ſeiungeretur, quia definitio ei etiam competeret, quia eius anima eſt actus corporis naturalis, oſtendit ſecundo neceſſitatem, quia dixit quòd actus eſt duplex, primus ſicut habitus ſcientiæ. Secundus ſicut ſpeculari & operatio, quia ita Grammaticus ſpeculatur, quandoque uult & habitus, ille eſt primus actus operatio. Secundus eſt actus, cum igitur hæc dixiſſet, quia anima eſt actus, ideo dicit, anima eſt actus primus, & non ſecundus, quia actus ſecundus, eſt operatio, anima uero eſt principium operandi, non operatio, ideo anima non eſt actus ſecundus, ſed primus, probat quòd anima ſit actus primus, quia inexiſtit animæ ſomnus, & uigilia, id eſt aliquando ineſt uiuenti operatio quæ eſt uigilia aliquando ſomnus, id eſt, priuatio operandi, debet igitur in definitione animæ poni, quòd eſt actus primus, quia uel operetur uiuens, uel non operetur ipſi ſemper ineſt anima, quia uel dormiat, uel uigilet habet animam, ſequitur igitur quòd anima eſt actus primus, & non ſecundus, quia eſto, quòd non operetur animatum, habet tamen animam, ergo anima non eſt actus ſecundus, ſed primus, id eſt principium operandi non operatio, &c.

Sed hic eſt dubitatio duplex, prima Alex. ſecunda Themiſtij, primo dubitat Alexander cur Ariſt. colligens prius definitionem animæ, dixit anima eſt ſubſtantia, id eſt forma corporis naturalis, non autem dixit, quòd anima ſit forma quædam, hic uero tranſmutat nomen formæ in nomen actus, & dicit quòd anima eſt actus, primus corporis naturalis.

Secunda dubitatio Themiſtij, & Auer. quæ duas habet partes. Primo quia male ponitur illa particula, anima eſt actus primus, quia anima uegetatiua eſt actus ſecundus, quia ſemper operatur, & cum ceſſat ipſa operatio. Ceſſat ipſa definitio, igitur non contingit animæ uegetatiuæ iſta definitio, quia illa eſt ſemper in actu, ſecundo &c. Secundo addit, quia falſum uidetur aſſumptum in probatione, quòd ſit actus primus, quia dicit, ex eo quòd anima ineſt animato, eidem inſunt ſomnus, & uigilia, hoc eſt falſum, quia ſi anima uegetatiua ineſt uiuenti, ſemper ineſt ei operatio, & ſemper uigilia & nunquã ſomnus, quia nunquam poteſt ceſſare a ſui operatione, igitur falſum eſt, quòd animato inſit ſomnus & uigilia, ex eo quia ei ineſt anima &c.

De primo cum dicit Ioannes & Alexander, cur non dixit Ariſt. anima eſt forma quædam & hic dixit actus primus. Dico dupliciter, quia differunt actus, & forma, quia actus eſt in pluſquam forma, non omnis actus eſt forma, nam forma, primo ſignificat formam ſubſtantialem, modo forma ſubſtantialis nunquam eſt operatio nec actus ſecundus, & ideo cum nomen formæ conueniat ſolum formæ ſubſtantiali, ideo ſatis fuit dicere, forma abſolute, nomen uero actus eſt in plus, quia operatio ipſius formæ, eſt actus, nõ tamen ipſa eſt forma, ut actus ſentiendi eſt endelechia, & actus corporis niuentis, non tamen eſt forma, & ideo actus eſt in plus quàm forma, & quia actus eſt duplex operatio ipſa, ut principium operandi, id eſt actus primus, & ſecundus ideo ſecundo loco diſtinxit de actu, & dixit, quòd anima eſt actus primus, id eſt principium operandi, & non operatio ipſa, & ita ſoluitur dubitatio, quàm ſupra Tetigimus.

De ſecundo reſpondet Auer. ſatis obſcure, ideo declaro, dat tres reſponſiones. Primo dicit tu dices, quòd uegetatiua ineſt uiuenti & ſemper ineſt ei uigilia, & ſemper operatio, O' dicit nego, quia forte aliquando ceſſat ab opere, & ſi non in animalibus perfectis, ſaltem in imperfectis, ſicut ſunt exanguia animalia, ut ranæ magne, id eſt buffones, & ſerpentes, quæ non theſaurizant, id eſt non præparant in cauernis nutrimentum extrinſecus, ſicuti formicæ & alia ut patet in tempore hiberno, ergo tunc temporis quieſcit ab operatione uegetatiuæ, quia non conſumitur ſubſtãtia mẽbrorum talium animalium, & tunc hoc ſtante dicimus, quòd actus uniuoce dicetur de triplici parte animæ, uegetatiua, ſenſitiua, & rationali, quia ſicuti anima rationalis eſt actus aliquando primus, aliquando ſecundus quia aliquando operatur, aliquando non, ita etiã uegetatiua, & ſenſitiua, &c.

Secunda reſponſio, ſi ita eſt, quòd ſemper operatur anima uegetatiua, tunc dicetur, quòd actus dicitur equiuoce de tribus animæ partibus, nam rationalis, & ſenſitiua, aliquando ſunt in actu primo, aliquando in ſecundo, uegetatiua ſemper in ſecundo, &c. Tertio inquit, quomodocunque ſit, id eſt uel ſeparatur uegetatiua ab opere, uel non, poſſumus dicere, & debemus dicere, quòd iſta definitio intelligitur, in definito, hæc uerba multipliciter exponuntur, Ioan. Gandauen. dicit quòd ſenſus eſt, quòd licet uegetatiua anima ſemper ſit in aliquo opere ut ab actu auctionis, & generationis, & ob hoc dicitur actus primus, quia poteſt ſeparari ab aliqua operatione, licet non ſeparetur a nutritione.

Sed hæc eſt ſophiſtica expoſitio, quia accipiemus uegetatiuam in omni ſuo opere, tunc non eſt in actu primo, ſed in ſecundo, ergo tunc non erit anima, & ita reſtat iſta difficultas iſti oppinioni. Alij reſpondent, & dicunt, quòd intelligen-

ligendum est dictum Auer. indefinite, id est particulariter, id est quòd definitio debet intelligi indefinite, id est particulariter de anima rationali, & sensitiua, & non de uegetatiua ipsa, quia uegetatiua non est actus primus, sed secundus, sed hoc est falsum, Quia paulo infra dicet Arist. quòd si quod est cuilibet animæ, est ista, definitio, anima est actus &c. Alij exponunt indefinite, id est disiunctiue, id est aut actus primus, actus secundus est qualibet anima, sed quid dicunt, nam Arist. tantum laborat, quòd in definitione debet summi, pro actu primo, & non secundo, si indifferenter intelligitur actus primus, uel secundus ad quid igitur tantus labor dispersus, &c. Alij dicunt intelligendum est hoc, quod dicimus actus primus, & secundus indefinite, id est indifferenter, nam actus primus dicitur actus primus uel operetur, uel non, & ita licet uegetatiua semper operetur, ipsa tamen est actus primus, quia semper est principium operandi, sed hoc quod isti dicunt uerum est, sed non ad propositum uerborum Arist. quia Auer. accipit dubitationem a Themist. quia dubitat Themist. contra illam definitionem. Tum contra illa uerba, quia dicit, quòd anima inexistit ipsi uiuenti etiam in ea inest somnus & uigilia, contra hæc ultima uerba, quia uegetatiua inest ipsi uiuenti, & tamen semper operatur, & semper inest ei uigilia & nunquam somnus, & ideo soluit Auer. dubitationem, quòd scilicet Arist. loquitur particulariter in sua definitione uel declaratione exemplari, & ita indefinite intelligi debet, id est particulariter, quia solum loquitur de sensitiua & rationali, de uegetatiua uero non loquitur, licet etiã ipsa sit actus primus, O' quid dices, uegetatiua semper est in actu secundo, uerum est nunquam, ergo est actus primus, nego argumentum, quia ipsum semper est principium operandi uel operetur, uel non operetur.

Sed est duplex dubitatio in uerbis Auer. Prima Alberti Alemani. Secunda mea, primo Albertus taxat Auer. & dicit, quòd falsum assumit Auer. quòd in animalibus exanguibus uegetatiua cesset ab opere. Primo quia declarauit Arist. in de morte & uita, seu in de longitudine & breuitate uitæ, quòd cum cessat nutritiua uiuentium cessat uita, idem secundo physic. secundo, quomodo ergo possunt uiuere illa animalia si cesset operatio uegetatiuæ, quæ est nutritio ipsa.

Secundo arguo quia sophisticum est argumentum Auer. Quia dicit ad huius probationem, quòd animalia exanguia, quæ degunt in cauernis hiberno tempore uere thesaurizant, & non nutriuntur extrinseco nutrimento, ergo non nutriuntur, Negatur argumentum, Quia ego dico, quòd nutriuntur intrinseco nutrimento, & ex proprio humido, cuius signum, quia cum exeunt extra cauernas tempore ueris, tunc ualde demacrata sunt: cur autem nutriantur intrinseco nutrimento, & non indigent extrinseco, O' reddit causam Galen. primo aphoris. 15. ubi dicit, quòd non egent extrinseco nutrimento, quia calor est ualde debilitatus & pariter resoluit humidum ipsarum, & idem dixit conciliator de illa muliere, quæ sine extrinseco nutrimento uixit per duodecim annos, & nos uidemus per uiginti dies aliquando uiuere homines, nec est mirum, nec debet uideri mirum, quia sunt quædam corpora quorum humidum est ualde uiscosum & difficilis compositionis, & calor est paucus, & parue actionis, ideo duraret diu, & ita accidit, quòd animalia exanguia, propter paucitatem caloris nutriuntur ex proprio nutrimento intrinseco hieme, quia uero in estate calor illorum animalium exanguium est fortificatus, ideo indigẽt maiori cibo, & fiunt pinguiora, quia lumen maius Lunæ uigorat magis eis calorem, & uigorato calore illorum naturali nutriuntur, & impinguantur, in coniunctione uero Lunæ sunt magis macra, propter paucitatem caloris. Secundo & difficilius, quia dicit Arist. quòd cum cessat nutritio in uiuente cessat uita, sed Galenus tertio de tuenda sanitate dicit, quòd est morbus quidam qui dicitur atrophia, id est quando multo tempore membra animalis non recipiunt alimentum, & quinto eiusdem reddens rationẽ huius, dicit, ꝙ hoc accidit ingenibus ualde, quia habent uirtutem debilẽ propter debilitatẽ caloris naturalis, Ecce ꝙ possunt aliquando membra per multum tempus non nutriri, eandem rationem reddit inde differentiis morborum, ubi dicit, quatuor sunt uirtutes deseruientes nutritioni, quæ aliquando ex debilitate caloris cessant ab operatione, & est, attractiua, retentiua, digestiua, & expulsiua, & tunc stat animal sine nutritione, &c. Confirmatur etiam de egrotantibus prope mortem, certum est, quòd tunc calor impotens est, tantum, quòd non potest nutriri animal, Quia non potest ille calor transmutare nutrimentum, & assimilare membro. Ecce quòd Galenus expresse est contra Aristotelem.

Dico de primo, quod dicit Albertus, quòd Auer. accipit falsum, quia contradicit Arist. Dico, uerum dicit Arist. quòd tam diu durat uita quamdiu durat nutritio. O' ad Auerroem dico, quòd cum conditione loquitur Auerroes, quia dicit forte uegetatiua cessat ab operatione, & uere asserit hoc absolute, quod addis, non sequitur, non habent extrinsecum nutrimentum, ergo non nutriuntur. Dico quod illud argumentum de facto non cogit. Quia animalia degentia in cauernis nutriuntur humido intrinseco, quem conuertit in substantiam membrorum, sicuti diximus, nec Auer. illud argumentum attulit ut demonstratiuum, sed ut suasiuum. Quod addis Arist. aduersat Galeno, quia dicit Galenus, quòd multo

multo tempore cessat uiuens a fractu alimenti, id est non nutritur. O' domini hoc uidetur difficile, inferius tamen dicemus,ut concordemus Galenum cum Arist.quòd nutritio dupliciter potest sumi, unomodo perfecte, ut quando nutrimentum proximum, id est sanguis conuertitur in substantiam nutriti, & in membra, & tunc conuenio. Cum Galeno, si de ista loquamur, quia pro pe mortem fit nutritio & hocmodo intellexit Galenus, cum dixit, multo tempore stat animal sine uita. Aliomodo est nutritio imperfecta, & sumitur pro qualibet alimenti alteratione, & præparatione, ut conuertatur in substantiam nutriti, & ista est nutritio quæ nunquam cessat in uiuente, & cum cessat illa operatio,cessat uita, & non est, quia necesse est, quòd conseruetur calor naturalis ex puriori parte sanguinis, quæ in fumum conuertitur, & in calorem naturalem, & ideo necesse est, quòd continuo calor naturalis agat in sanguinem, ut conuertatur in substantiam membri, quomodo aliquando conuertatur ut puta quando sumus, prope mortem, & propter impotentiam caloris, & de hac nutritione locutus fuit Arist. inde longitudine & breuitate uitæ, & ita concordo Arist. cum Galeno, quia Galenus loquitur de perfecta nutritione, & tunc uerum dicit, quia animal aliquando non potest perfecte nutriri, & quando est prope mortem Arist. uero loquitur de imperfecta nutritione & uerum dicit, quia nunquam sine ista potest stare uita, & quamdiu durat ista durat uita &c.

Textus VI.

PRIOR autem generationē in eodem scientia est unde anima est primus actus corporis physici potentia uitam habentis. Tale autem quodcunque organicum, organa autem & plantarum partes sunt, sed penitus simplices, ut folium fructiferi cooperimentum, fructiferum autem fructus, radices uero ori similes sunt, utraque enim trahunt alimentum.

Lectio XL.

PRIOR *autem generatione &c.* Ostendebat Arist. quòd anima esset actus corporis, non quidem secundus, sed primus, quia ex eo quòd anima inest eidem uiuenti, ipsi insunt somnus & uigilia, id est operatio, & quies, ostendit quòd scilicet ipsa sit actus primus, quia ubicunque est actus secundus, est actus primus, non ergo anima est actus primus, quia quamdiu uiuens est, anima in ipso est, uel operetur, uel non, sed non est actus secundus nisi operetur, ubi est actus secundus sit primus, ostendit Arist. quia habitus scientiæ in eodem præcedit actum sciendi, dicit in eodem, quia in diuersis non est, uerum, quia actus disciplinæ qui est, in discipulo est posterior actu doctrinæ in præceptore, & ideo in diuersis, hoc non est uerum dicit, Ioannes. Item non est uerum in sempiternis, quia in his idem sunt intellectus & intellectio, ideo unus non est prior altero, & ideo hæc habent ueritatem in corruptibilibus, & ideo cum anima sit actus secundus, quia ipsa est ante operationem, ergo est actus primus, & ex hac particula declarat nobis aliam particulam definitionis, & exponit quid intelligat, per corpus naturale potentia uitam habens, & dicit, intelligimus per hoc naturale corpus potentia uitam habens,corpus organicum quod constat ex partibus diuersis specie, quæ sunt diuersæ species secundum diuersas operationes quas habent, quòd autem omne corpus uiuens sit organicum, probat de plantis, de quibus minus uidetur, quia eius corpus organicum est, quia & si istorum partes simplices sunt, dicit partes plantarum simplices respectu partium animalium,quia magis composita sunt,uel apparent,partes animalium, quàm plantarum, & ideo dicit,& si iste partes simplices sunt iste tamen sunt diuersæ, quia a natura, folia sunt gratia fructiferi, frutex gratia fructuum, & sic fructiferum est nobilius foliis, ita fructus est nobilior pericarpio, quia est factum gratia conseruationis. Item sicut in animalibus est os quod est organicum membrum deseruiens nutritiuæ animæ, ita in plantis est radix, quæ respondet ori in animali, quia plantæ per eas accipiunt cibum, dicit, folia esse facta gratia fructiferi, hæc uerba declarat Theoph. primo de causis plantarum 18. & Io. hic, & dicunt, quòd per fructum intelligit semen fructiferum uerum appellat pericarpium, & est corpus illud humidum, quod est contra pulpam seminis, & semen inquit a natura factum est, ad generationem, generatio autem facta est, propter perpetuitatem, & hic colligit Arist. dicta sua, & dicit si quod est commune cuilibet parti animæ erit ista definitio, anima est, actus corporis naturalis physici organici &c. & dicit ideo conditionaliter loquitur dicens. *Si contingit*. quia ista non est uera animæ definitio, quia actus ille non est genus nisi equiuocum, quia species ipsius actus sunt ordinatæ secundum sub & supra, & quia equiuocum non definitur, sed solum species, aut uete genus definitur, ideo ista non est uera definitio, sed descriptio, addit secundo Io. quia potentia uitam habens, & organicum, sunt idem apud Aristotelem, & ideo accepit unum loco alterius, ex quo sequitur inquit, quòd Arist. hic non loquitur uniuersaliter de omni anima, sed solum de anima animalis corruptibilis, quia non de anima uniuersali, quia ipsa non est actus primus corporis organici, quia illud corpus non est organicum, quia est simplex corpus, non compositum,& ideo ista definitio solum competit animæ anima-

animalium corruptibilium, & hæc est mens omnium Græcorum, super hac definitione, sunt multæ dubitationes. Tum Græcorum, tum Latinorum. Primo quia dicit, anima est actus primo dubitat Alexander 2. naturalium quæst. probl. nono, quia omnis actus est ad aliquid, anima non est ad aliquid, sed est ens absolutum, ergo genus ipsius debet esse absolutum, quia prædicamenta sunt impermixta, actus igitur non potest esse, genus animæ, & quòd anima sit ens absolutum patet, quia pars accidentalis cuiuslibet rei absolute, absoluta est, sed anima est pars rei absolute, quia pars substantiæ, ergo eius genus debet esse absolutum, quòd omnis actus sit ad aliquid patet, quia omnis actus, alicuius est, actus, ergo omnis actus est ad aliquid, ergo male facit Arist. definiens animam per actum. Secundo quia per Arist. 2. post. & 7. met. omnis definitio debet dari per genus proximum, & nulla per genus transcendens, ut sunt bonum, ens, uerum, actus, & potentia, actus igitur est, transcendens, transcendit enim omne genus prædicamentorum, non ergo debet poni in definitione illa particula actus, &c.

Tertio, quia tertio huius, anima rationalis secundum Aristotelem, non est quid simplex, sed compositum ex intellectu agente, & ex intellectu potentia, hoc enim declarabimus, tertio huius de mente Arist. & omnium Græcorum, sed nullum compositum ex actu, & potentia, est actus, sed si anima rationalis est composita ex intellectu agente, tanquam ex actu, & ex possibili tanquam ex potentia, ergo anima non potest esse actus.

De primo cum dicis, anima est ens absolutum, concedo, sed actus est relatiuum, nego sequelam, quia omnis punctus, est lineæ punctus tamen nec linea, nec punctus, est ad aliquid. Item partes substantiæ, ut caput capitati est caput, & manus, manuati est manus, & tamen ista uere sunt ad aliquid. O quid est, ad aliquid. O dico dicit in prædicamentis, omne quod est, ad aliquid, hoc ipsum quod est, ad aliud est, sed manus & caput, sunt aliud aliquid excepta relatione, quia habent propriam substantiam, & simpliciter actus non est ad aliquid, sed absolutum ens, & ideo recte positus fuit in definitione &c.

De secundo, nulla definitio datur per transcendens. O iam solui argumentum, quia ista non est uera definitio, sed descriptio, quid est, communis descriptio, & ideo conditionaliter supra locutus fuit, & ista potest dari per aliquod transcendens, nam omnis uera definitio habet duas partes tantum, scilicet differentiam, & genus, cum uero egeat pluribus partibus, est descriptio non definitio. De alio, anima rationalis constat ex actu & potentia. Concedo, non est ergo actus, nego argumentum, quia licet hæ duæ partes se habeant una ut actus, alia ut potentia, si inuicem comparentur, hæ duæ tamen partes comparate corpori, sunt actus, quia ambæ habent rationem actus, respectu corporis. Secundo dicit anima est actus primus, contra; ly primus, est dubitatio. Quia diximus quòd actus primus erat generatione prior, secundo, sed primo metaphysicæ, priora origine sunt posteriora perfectione, anima igitur est imperfectior sua operatione, quod non uidetur, quòd sequatur, patet, quia op[er]atio est actus secundus, & anima est, actus primus, secundo, de anima uegetatiua. Quia anima ista, in uiuente semper operatur, ergo semper est actus secundus, nunquam ergo est primus actus, ista anima, &c.

Tum tertio, quia ante animam ipsam, in materia, est alius actus, ut propria complexio uiuentis, figura propria, ergo ipsa non est actus primus. Tum ultimo, quia adhuc deficit genus proximum, quia anima est actus substantialis, sed omnis actus primus, est substantialis, scientia enim est actus primus & tamen est qualitas, & non substantia, ideo non explicat per hanc partem propriissimum genus. Dico ad hoc, de primo cum dicimus, priora origine sunt posteriora perfectione, dico, quòd hoc dictum non est uerum, quando cum prioritate originis concurrit aliqua prioritas & causalitas efficiens & finis, ut hic, unde uerum est illud, quando non concurrit alius ordo, & ideo illa propositio nihil facit contra nos, quia hic concurrit alius ordo inter primum, & secundum actum &c.

De secundo, quia anima uegetatiua semper actu operatur, & semper est in actu secundo, concedo, nunquam tamen est actus secundus, quia ipsa anima non est operatio, sed bene est, cum sua operatione, & cum actu secundo, cum igitur dicimus, illa est in actu secundo, ergo nunquam est actus primus, nego argumentum, quia ubi est, actus secundus, & operatio, semper est primus actus, principium, scilicet operandi.

De tertio, quia ipsum præcedunt alij actus in uiuente, ergo, Dico quòd ille dicitur actus primus non simpliciter, sed dicitur primus actus respectu actus secundi, & operationum suarum simpliciter, tamen non est actus primus &c.

De ultimo dico, quòd omittit Aristoteles genus proximum, dico præsupponit Arist. quòd intelligimus, quòd anima sit actus primus substantialis, sicut ipse ostendit primo huius contra antiquos, quia ostendit quòd anima non est, quantitas, neque qualitas, neque aliud aliquod prædicamentorum, ideo supponit, quòd anima sit substantia, & ob hoc diuisit substantiam in tres materiam, formam, & compositum, anima igitur est, actus primus & substantialis, sed non dicit substantialis, quia supponit hoc tanquam

quam manifestum. Tum tertio dicit, est actus corporis &c.

Lectio XLI.

ERAT tertia dubitatio principalis contra illam particulam definitionis, anima est actus corporis, Et dubitatio contra illam particulam corporis, quia Arist. secundo huius dicit, anima rationalis nullius corporis est actus, aut ergo anima rationalis, non est anima, aut hic male dicit. Secundo & difficilius, quia anima est actus primæ materiæ, non ergo corporis. Tenet argumentum, quia 7. met. materia prima non est, neque quid, neque quale neque quantum, non ergo corpus, quòd autem sit actus materiæ primæ, patet, quia primo de generatione, & corruptione, & primo ph. dicit quòd differunt subiectum motus localis, & generationis substantialis, quia subiectum generationis substantialis, est materia in potentia motus localis non est subiectum in actu, si igitur subiectum generationis substantialis, est materia in potentia motus uero localis est, subiectum, si igitur subiectum generationis substantialis est ens in potentia, ita ergo & subiectum substantiæ est ens in potentia, ita & subiectum animæ. Tum tertio, quia diximus supra, quòd differt forma substantialis, & accidentalis, quia subiectum accidentis, est indiuiduum substantiæ, etiam formæ substantialis, est subiectum ens potentia, ut materia prima, sed anima est forma substantialis, ergo eius subiectum est ens in potentia, non ergo est actus corporis. Tum tertio, quia intelligimus corpus, quòd est totum animatum; aut quòd est pars animati, si primum, hoc illud includit animam, & tunc definimus animam, per animam, quod est, absurdum, per Arist. secundo post. si secundum intelligamus, hoc etiam non uidetur, quia illud est subiectum primum animæ, cui competunt operationes animæ, sed iste competunt toti uiuenti, non ergo parti, ergo non potest ullomodo anima esse actus corporis &c.

Ad hæc, de primo, cum dicis, infra dicit Arist. quòd anima rationalis non est actus corporis. O' dicit Io cum dicit hoc, quòd anima est actus corporis, intelligit uel secundum esse, uel secundum operationem, cum uero dicit infra, anima rationalis non est actus corporis, intelligit secundum esse; quia ista non habet esse a corpore, sed dices, repugnantia est, in uerbis Arist. quia 8. met. operatio indicat nobis uirtutes operantis, & qualis est operatio, talis est uirtus operans, si operatio est perfecta uirtus, operans est perfecta, ita si operatio animæ dependet a corpore, male igitur loquitur uel Ioannes Grammaticus, uel Aristoteles. O' dico, sensus uerborum Ioannis est talis, quòd anima pendet a corpore non secundum quamlibet sui operationem, sed secundum quandam ut quatenus est uiuens, & mouens localiter, aliqua tamen eius operatio est, quæ non pendet a corpore, ideo uirtus rationalis est separata a corpore, quia neque diminuitur, neque generatur, neque corrumpitur corruptione corporis, & ita dico, cum dicis hic, anima est, actus corporis, intelligit quo ad esse, & tunc includitur etiam anima rationalis, secundum quòd est uiuificans, & mouens, infra uero dicit quòd anima rationalis non est actus corporis, id est quo ad intellectionem, & tunc dabit exemplum Arist. quòd ita se habet anima ad corpus, sicut nauta ad nauim, quia ut diximus, nauta est simpliciter separabilis a naui secundum esse eius, & tamen inseparabilis secundum quòd mouet; ita & anima rationalis, est separabilis a corpore secundum esse eius, sed quatenus mouens est inseparabilis, sed uos diceris, bene dices, quod aliqua operatio dependet a corpore, aliqua non pendet. O' modo quid, ad minus anima sit forma corporis dans esse corpori, &c.

Adhuc sunt multi qui dicunt, animam rationalem non dare esse homini, sed solum dare operationem, sicut nauta non dat esse naui, sed solum motum, ita anima, sed hoc est figmētum quia differt (ut dixi) forma substantialis & accidentalis. Quia accidentalis non dat substantiam & accidentalitatem suo subiecto, substantialis uero dat substantiam suo subiecto & suo corpori, secundo, ex alio, quia formæ conditio, est specificare subiectum suum, sed si non daret esse, quomodo specificaret subiectum suum, & ideo dico, quòd anima dat esse corpori. Quòd si Arist. dicit; quòd non est actus corporis, intelligit quòd ipsa non accipit suum esse a subiecto, & illud exēplum de nauta, & naui, non est omnino simile, sed satis est Arist. quòd sicut nauta non accipit esse a naui, ita nec anima a corpore, Erit tamen hic difficultas in tertio huius, quomodo secundum peripatheticos, in homine possunt esse duæ animæ dantes esse completum corpori, ut ipsi uolunt. Videbimus tunc de hac difficultate &c. De secundo argumento, quod difficile est. Quia anima est actus primæ materiæ, non ergo corporis, O' propter difficultatem sunt uariæ responsiones dicunt aliqui, quòd anima est actus corporis, & non est actus corporis, si enim consideretur anima ut forma, tunc est actus primæ materiæ, & non corporis, sed isti nihil dicunt, quia in re idem sunt materia, ut forma, & anima ut materia, sed distinguuntur solum per opus intellectus, ideo si animæ ut formæ subiectum suum est materia, & si eidem subiectum primum est corporis ut anima, est eidem quatenus forma subiectum primum etiam corporis, &c. Alij ut Ioannes Gandauen. & Ricius dicunt, quòd anima est actus primæ materiæ,

materiæ, & corporis, est quidem primæ materiæ mediate, corporis uero, primo, & immediate. Quia inter animam ipsam & primam materiam mediant hæ formæ, quia primo ens, forma, quia ipsa materia prima est ens, secundo alia qua ipsa est substantia, tertia qua materia & corpus, tantum dicunt quot sunt prædicata primi modi, quæ prædicantur de homine, tot sunt formæ substantiales in ipso homine, a quibus sumuntur ipsa prædicata, & ideo anima est actus primæ materiæ mediate, corporis uero, immediate, sed iste modus habet difficultatem, quia si anima esset accidens, quia aduenit enti in actu, quia ista est differentia inter formam accidentalem & substantialem, quia ista aduenit enti in potentia, ista aduenit enti in actu, secundo falsum est assumptum, quòd si tot sunt formæ in aliquo subiecto quot prædicata primi modi, alioquin in deo qui est res simplicissima, essent plures formæ substantiales, quia sunt plura prædicata primi modi, quia est ens unum, &c.

Alij dicunt, quòd anima est actus corporis, & primæ materiæ, mediate primæ materiæ, & corporis immediate, & ista opinio est bipartita aliqui ut Auic. & Linconiensis dicunt, quòd est, forma quædam in ipsa materia, quæ est simplicissima qua omne corpus est corpus de prædicamento substantiæ, & ista forma disponit materiam ad formam substantialem.

Alia est opinio Scoti multis in locis, Primo quarto sententiarum dist. tertia, & secunda primi ubi dicit, quòd forma corporis per quam corpus est de prædicamento substantiæ, non est forma simplex, ut dicit Auicenna, sed est forma, quædam cōposita aggregata ex pluribus formis, ut forma manus, aggregatur una per aggregationem multarum formarum substantiarum diuersarum partium, ut ossis, nerui, & ista est forma organizationis, & ista completa aduenit forma ipsi corpori, hoc est anima, sed nunquid omnibus compositis insit ista anima, O' dicit minime, sed solum est communis plantis & animalibus in quibus sunt membra organica, & ista forma, post corruptionem animalis remanet, illa tamen prior non remanet, V.G. mortuo homine non remanet forma hominis, sed forma organizationis, & ita illa quæ prius erat ante formã humanam, remanet etiam post corruptionem hominis, & cur est hoc, O quia distinctio specifica operationum, & complexionum, distinguitur per species formarum substantialium, sed diuerse sunt complexiones carnis, & ossis, iste sunt operationes & similiter de neruis, ergo ille partes habent formas substantiales specie seiunctas, & ideo aggregatio omnium istarum formarum facit unam formam, quæ dicitur forma corporeitatis, & organizationis, & ista est forma ante aduentum animæ, & ideo remanet post recessum animæ, & ita est eadem forma corporeitatis in uiuo & mortuo, & quæ ratio huius, O' dicit scotus, si forma cadaueris est noua, tunc sicut diuerse sunt causæ, quæ generant illud ex quibus, scilicet fit mors, ita generarentur diuersa cadauera specie, sed semper generatur idem cadauer specie, quacunque moriatur eger, ergo ista forma non uariatur, nam causæ specie diuerse, uarias formas generant, sed semper est idem cadauer specie, non generatur de nouo, Ista opinio est subtilis, habet tamen plura absurda, primo quia sequitur, quòd os mortuum esset uere os, sicut uiuum, quod est contra Aristotelem, manus mortua est equiuoce manus & non uere, sicut etiam os mortui dicitur equiuoce os, sicut lapideum, quòd sequatur, patet, quia per te semper habent eandem formam propriam, per quam uniuocæ est os ante generationem animæ, & post, ergo semper est uere os, secundo, quia anima esset accidens, quia anima adueniret enti in actu, quia superuenit ossibus neruis, quæ habent ueram, & propriam formam.

Tertio sequitur, cum planta est exiccata, quòd in plantis remanebit cadauer, sicut in anima, & tamen non dicimus, quòd sit cadauer, sed dicimus, exiccata, hoc tamen sequitur, quia forma hæc inest etiam plantis, &c.

Quarto sequitur, quòd est corruptio noua sine generatione, quia uero corrumpitur homo, separatur anima a corpore, & corrumpitur homo, & nihil generabitur, quia restat cadauer, quod non de nouo generatur, est ergo corruptio sine generatione, oppositum tamen dicit, Arist. primo de generatione, qa omnis corruptio est cũ alia generatione, &c. Quarto, quia omne agens naturale per se intendit generationem, sed si fit sine corruptione aliqua sine generatione, Tunc appeteret agens naturale per se corruptionem, & corruptio est malum, agens igitur naturale per se intenderet malũ quod est inconueniens, quia omnis appetitus naturalis est rectus & semper appetit bonum, & non potest appetere malum, cum dirigatur a recta ratione, Scotus uidit argumentum, & concedit, quòd sit aliquando corruptio aliqua sine generatione, & ita sequuntur ei hæc absurda, sed quia opinio ista non est peripathetica, licet possit deffendi, ideo eam reprobabimus in sequenti lectione, &c.

Lectio XLII.

EXPONEBAMVS mentem Scoti, de forma corporeitatis, per quam dicebat corpus animatum esse organizatum ex duplici fundamento, & sicut illam appellauit formam corporis ante aduentum animæ, dispositiones ad animam, ita post corruptionem eius, dicitur forma cadaueris, & est eadem forma organizationis in uiuo, & in mortuo, item adducitur

Theologicum argumentum, quia idem nunc fuit corpus Christi uiuentis,& mortui, si idem,ergo per eandem formam, quia quod est idem per se ens,habet per se eūdē actum, ergo corpus habet eundem actum,& uiuum,& mortuum, istud corpus non erat materia, quia non decesserat, ergo per istam formam fuit idem numero illud corpus, quæ est forma corporeitatis organizationis, addit Ioan. argumentum, ut si ex alto cadat animal & in medio motus ueloci motu suffocetur, & moriatur, motus illius animalis uiui, & mortui est idem numero, ergo & idem numero mobile, ex 8. physic. ergo per eandem numero formam, non per animam, quia iam recessit, ergo per aliā formam, quæ prius fuit, & postea remansit, & hæc non est aliud, quàm forma organizationis, ergo ista forma sicut præfuit, ita remanet post mortem. Dicebam quòd ista opinio erat subtilis & potest deffendi, tamen non est Aristotelis, præsertim quia dicit infra Arist. quòd caro non est caro, nisi per animam, & similiter os, & ideo caro mortua equiuoce est caro, ergo non habet aliam formam propriam, ut tu dices, neque caro, neque os, neque aliud, Tum ex hoc sequitur, quòd anima adueniret materiæ actu pluribus formis specificis, essent ergo accidens, quia aduenirent enti in actu, sicuti faciunt aliæ formæ accidentales. Tum etiam quia in plantis non dicimus post casum mortem, ita quòd id quod remanet dicatur cadauer, sicuti dicimus in aliis, & tamen in illis est ista forma; quia etiam sunt partes organicæ ibi, Ideo magis conueniens uidetur mihi dicere,quòd partes simplices possunt dupliciter considerari, secundum materiam, & secundum formam, secundum materiam,fuut differentes specie,propter temperamentum diuersarum specierum, si uero consideretur secundum formam in eodem uiuente, intelligo, tunc sunt eiusdem speciei specialissimæ, quia eadem numero forma est,per quam caro est caro, & illa, qua os est os, & ista est anima ipsa, dico secundum quòd forma cadaueris est noua, & non præfuit, quia corruptio animalis, est generatio cadaueris si est enim de nouo, tollitur, per quam animal est corpus,ita generatur forma cadaueris, & ita ad argumenta eorum.

Primo ipsi dicebant,ista membra simplicia, ut caro,os, habēt diuisas complexiones specie distinctas, & distinctas operationes, ergo distinctas etiam habent formas. Dico ad hoc, cum diximus,distinctio complexionis, & operationis specifica arguit distinctionem formæ, & dico,quòd istud uerum est, si fuerit distinctio specifica operationum & complexionum animalis, & totius corporis,distinctio uero ista particularis, ut carnis,ossium,non arguit distinctionem formæ,tunc non sequitur argumentum, quòd si iste particulæ differant specie, ergo etiam differunt secundum formam animalis totius, arguunt secundo quòd forma cadaueris hominis præerat, quia cum illa forma sit a diuersis causis, quia uero potest uariari ab hominibus, quia non essent ijdem, ergo argumentum peccat multipliciter, quia nō est uerum semper, quòd causæ diuerse specie causent diuersos effectus specie, quia eadem sanitas decimo metaph. generatur & a natura,& ab arte, item calor, qui est eiusdem speciei specialissimæ,generatur a motu & a Sole, falsum igitur est assumptum, secundo falsum est, quòd semper & quacunque morte moriatur homo, semper idem cadauer specie, quia temperamenta hominis sunt diuersa, ergo etiam formæ sunt diuersæ, non tamen diuersificantur formæ in infinitum,tātum sunt octo modis sicut sunt octo temperature, scilicet quatuor simplices, & quatuor composite, non ergo est idem numero cadauer, &c.

De tertio argumento Theologico,de corpore Christi,ut dicit Ambrosius & omnes sancti,quòd fuit idem numero, cum fuit uiuens, & mortuus si loquamur, secundum D. Thom. tunc non erat idem numero proprie corpus, sed dicebatur idē numero, quia eadem portio materiæ, quæ erat in uiuo post mortem,remansit cum accidentibus non eisdem, sed consimilibus illis, sed secundum uiam ueriorem Auer. dico quòd remansit idem numero, quia eadem portio materiæ, cum eisdem numero accidentibus remansit sub alia tamen & alia forma, & ideo non oportet, quòd remaneat idem corpus, sed sufficit quòd remaneat eadem portio materiæ, cum eisdem accidētibus, Quod addis de animali descendente ex alto & mortuo,est idem numero mortuus ut patet, quia 8. physic. inter diuersos motus numero, cadit in medio temporalis quies, ille tamen motus continuatur, quia graue non potest quiescere supra ex sui natura, ergo erat idem numero motus, ergo & idem numero mobile, Secundo quòd certe est unus numero motus, ergo est idem numero mobile, Dico concedendo, quòd est idem mobile, sed sub alia & alia forma substantiali, quia eadem portio materiæ remanet sub alia & alia forma substantiali, cum eisdem tamē accidentibus. Et de hoc satis. Alius est modus dicendi Egidij Romani, qui dicit, quòd anima est actus corporis, & hæc forma per quàm materia illa est corpus, non distinguitur ab anima, sed est eadem numero, quia eadem forma dat esse corpori, sed sub alio, & alio gradu, & diuersa ratione, exemplum ab anima summitur esse uiuens,esse corpus, & reliqua prædicata sumuntur ab eadem forma sub diuersis tamen gradibus ratione distinctis, isti igitur gradus sunt distincti secundum rationem. Alij sunt gradus distincti secundum rem, & secundum perfectionem, sicut dicimus imperfectum contineri in perfecto, sed gradus hic in proposito sunt distincti

cti ratione, Quia dicimus quòd est eadem forma, q̃ dat esse corpori, & corpori animato, sub diuerso tamen gradu distincto ratione, sed huic opinioni, sequitur hoc, quia sicuti anima ipsa sub uno gradu, Dat esse corpori, & tunc est prior se ipsa, secundo dat esse animato, sed alio gradu ut dicit, sed ita etiam habet dicere, quòd forma mixti inanimati sit actus corporis naturalis, quia ipsa est suplens uicem elementi, dat esse corpori prius, & præcedit se, quod tamen negat ipse, quia solum anima corporis animati est actus & non inanimati, ideo Themistius. Dicit aliter, & dicit, quòd forma debet diffiniri, per suum subiectum, sed diffiniri per suum subiectum potest fieri dupliciter, uno modo, per subiectum quod est pars eius, ut coloris, dicimus, color est extremitas perspicui. Secundo per subiectum quod est totum, sicuti in definitione luminis dicimus, quòd lumen est actus diaphani illuminati, hic accipit totum subiectum, quod est diaphanum illuminatũ, ita etiam in definitione animæ accipit corpus naturale quod est totum subiectum, & ita definitur anima, quæ est pars, & hic accipitur corpus naturale pro toto ipso uiuente, quod est subiectum ipsius animæ. anima igitur definitur per secundum subiectum, & hic subterfugimus omnes difficultates, quia anima est actus corporis inanimati, ut primum subiectum, & animati, ut secundum subiectum, &c.

Sed contra ego insto, quia omnis definitio debet dari per priora, non ergo totum potest diffinire partes, quia totum est posterius partibus suis, Tum etiam quia, totum includit animam, ergo anima diffinit semetipsam, quod est absurdum. Etiam si definietur corpus animatum, si ponas definitionem corporis animati pro ipso definito, tunc idem se ipsum diffiniret, quia anima diffiniret animam, quia corpus animatum dicitur quod habet animam, Dico ad hæc, quod uerum est, quòd dicit Arist. 6. topicorum, quòd omnis definitio debet dari per priora, & ista datur per posterius, concedo, sed ista est descriptio, ideo non inconuenit quòd detur per posteriora, & ad aliud dico, quòd idem in concreto definit se ipsum, in abstracto dico non inconuenit, sed dices, si ponas definitionem loco definiti, anima seipsam definit, dico non semper licet ponere definitionem loco definiri, ut dicebatur in prædicamentis cap. de relatiuis ubi dicit, non licet ponere differentiam partis loco diffiniti, quia idem diffiniret se ipsum, & ideo noluit ponere definitionem loco diffiniti, præsertim in his descriptionibus, quæ hoc modo fiunt, sed in ueris definitionibus, &c.

Erat quarta dubitatio in illa particula corporis naturalis, qa omne corpus naturale qua naturale est natura, sed anima non est natura, quia illa non habet motum unũ in genere tantum, sicut natura, igitur non est actus corporis naturalis. Tum etiam quia, corpus naturale includit motum qua tale, sed motus est accidens, ergo substantia diffinitur per accidens, quod est extra genus, Dico dicit primo, quòd dupliciter summitur natura, uno modo summitur proprie, & tunc est principium determinati motus localis, & hoc modo seiungitur, ab anima, alio modo summitur natura absolute, ut principium motus, & tunc etiam anima est natura.

De secundo, ergo substantia diffiniretur per accidens, dico quòd corpus naturale, qua naturale non includit motum actu, sed aptitudine, quia corpus naturale est, ergo mobile, non dicimus, ergo actu mouetur, quinto quia dicit potentia uitam habentis. Est dubitatio, quia etiam sanguini competit ista definitio, forma ergo sanguinis erit anima, ergo definitio mala, quòd cõpetat definitio patet, quia etiam sanguini forma est actus corporis habentis uitã in potentia, quia sanguis est corpus habens uitam in potentia, secundo, quia anima est actus corporis uiuentis, non ergo potentia uiuentis, assumptum probatur quia est actus corporis animati, quod actu uiuit, & non potentia. Tum tertio ex Alexandro secundo quæstionum naturalium, probl. 8. ubi dicit, uita est idem quod anima, si ergo definiatur natura per uitam, ergo definitur anima per animam, ergo idem per idem definitur.

Quarto addit Ioan. Grammaticus, quia Arist. exponens quòd erat uitam habens potentia, dicit est idem quòd organicum, sed duplex est dubitatio, quia membrum organicum habet animam, quia se mota anima, non est nisi equiuoce tale, ergo anima definitur per animam, quia per organum corpus definitur, quod est tale, per animã, ergo idem definit se ipsum. Tum ex alio est difficultas de membris particularibus, ut anima quæ est in osse, non est actus corporis physici organici, quia os non est organicum, sed similare, non enim constat ex partibus diuersis, sed consimilibus, similiter de anima carnis, Dico ad hæc, de primo cum dicis sanguis est corpus habens uitã in potentia, Dico quòd sanguis habet uitam in potentia, intelligimus in potentia, propinqua. De secundo dico duplex est potentia proxima, & remota, ut aliquid ignorãs dicitur sciẽs, sed potẽtia remota, alia proxima, ut speculans ipse, est in potentia sciens, & ista potentia proxima includit actum, ita etiam dico, quod anima est actus corporis habentis uitam quidem in actu, est tamen in potentia, ad operationem eiusdem animæ, & ista est potentia propinqua, que includit actum.

De tertio, quia anima est actus corporis actu uiuentis, quia corpus intelligitur totum, & dico iam solutũ est argumentum, quia anima est actus corporis actu uiuentis, & ẽt potẽtia, actu quidem quatenus actu uiuit, potentia uero, quo ad operationes

tiones & quatenus potest exercere operationes, Dico q ista est potentia logica.s.non repugnantiæ terminorum,non.n.est possibilis ista,propria possibilitate,nam sicut dicimus. Addã potest esse potentia logica,non tamen naturali,quia semel mortuũ nõ potest esse amplius.O' dices,quid dicemus de augmentatiua anima, quia ista anima,est actus corporis uitam habentis & operationis etiam actu. O' dicit Ioannes, corpus, quod habet animam uegetatiuam per se actu uiuit, actu primo per accidens uero, actu secundo, quia per se habet nutrire corpus, per accidens uero, est in potentia ad omnia opera uitæ, &c.

Lectio XLIII.

ERAT tertia dubitatio Alexandri, in ea particula uitam habentis, quia idem definiebat se ipsum, quia idem est, anima, & uita. Respondetur dupliciter, primo, quòd illa particula non erat pars definitionis,cuius signum,quia permutauit illam in organicum corpus, sed contra, quia sicut dicunt omnes,conuertitur potentia uitam habens, & organicum, & ideo Alexander, secundomodo. respondit, quòd idem non declarat semetipsum, quia ponitur ista ut declarat corpus,& subiectum animæ,& non animam & quomodo hoc. O quia dicit, anima est actus corporis quod potest operari operationibus propriis, sed istud non tollit dubitationem, quia si idem est, anima,& uita, quomodo idem non definit seipsum. . Dico forte uoluit dicere Alexander, quòd uita sumitur dupliciter. Vnomodo pro actu, aliomodo in potentia, ideo corpus habet actu uitam,& operationem uitæ,& ita cum dicit habentis uitam in potentia, id est, habentis operationem uitalem in potentia, & sic idem non definit, seipsum, quia operatio uitalis, & anima non sunt idem, licet uita & anima sint idem. Erat quartum argumentum, quod facit Ioannes Grammaticus, sicuti & multa alia in principio huius secundi libri, & tacui illa ibi, ut reseruarem ad istum locum. Dubitat igitur Ioannes Grammaticus, quia non uidetur quòd recte utatur corpore organico Arist. pro habente uitam in potentia, quia corpus organicum, per animam,est organicum, quia semota anima,non est amplius organicum, nisi equiuoce, anima igitur, seipsam definit. Tum addebam ego difficultatem animæ, quæ est in carne, & osse & in aliis partibus, quia ista est anima, & tamen non est actus corporis organici, quia caro est similaris pars & non organica, & similiter os, ergo &c.

De primo,Ioannes Grammaticus, non uidetur expresse respondere ad argumentum, nos tamen possumus dicere sic. Cum dicis, corpus organicum, non est organicum, Nisi per animam, quia separata anima,non est uniuersaliter organicum, ergo idem seipsum definiet. Dicatis ut supra, quòd non est inconueniens, quòd idem definiat semetipsum, & idem in concreto definiat,seipsum in abstracto, bene esset inconueniens, si idem eodem modo existens semetipsum definiret.

De secundo,quia anima carnis,& ossis,est anima, tamen est similaris corporis, & non organici. Dico uerum dicis quòd caro non est corpus organicum erit ergo anima actus corporis, non organici. Dico ut dicit D.Tho.quòd cum Arist. definiuit animam per actum organici corporis,definiuit ipsam per corpus organicum, tanquam per primum perfectibile, ab ipsa anima, quod est corpus dissimilare, habens diuersas partes, nam istud est primum perfectibile, quòd perficitur ab anima. Secundo loco est secundum perfectibile ab anima, sed secundario, Arist. igitur loquitur de primo perfectibili ab anima,in definitione animæ, & ista uidetur optima responsio, similiter de definitione animæ sufficiant dicta. Sed restat dubitatio Ioannis circa totam definitionem animæ, quia primo huius dicit Arist. quòd ipsius animæ non est communis definitio, quia anima, non est una,neque uniuoca, ideo non potest recte definiri, habet enim ordinem in suis speciebus, quia primo ordine naturæ est uegetatiua, secundo sensitiua, tertio rationalis, quæ est omniũ posterior,. & ita partes animæ sunt ordine naturæ inuicem, ideo non potest definiri una definitione,anima ipsa. O' respondet, quia intelligit, primo huius, quòd non potest haberi communis definitio animæ, quæ sit uera definitio & prima sicut dicitur de sano, nam dicitur urina sana,pulsus sanus, homo sanus,ista non habent ueram definitionẽ, sed describuntur; ita de anima dicendum, ideo illa dicitur esse descriptio, & non uera definitio. Tum etiam quia, genus quod ponitur in definitione animæ, est quasi quoddam equiuocum, quia actus est equiuocus, ideo ista est descriptio, & non definitio, sed addit quomodo Arist. reprehendit antiquos,eo quia solum de una anima loquuti sint, quia non uidentur reprehendi, si non est uera definitio communis omni animæ, nam quælibet suam descriptionem habet,ideo recte potuerunt de una tantum loqui. Dico dicit Io. quòd, & si non erat una definitio uera animæ, erat tamen una descriptio equiuoce, & ideo debebant assignare illam. Tum secundo,quia Arist. non reprehendit illos quia differentes de anima, non descendunt speciatim ad declarandum de omni anima, & hæc satis de hac definitione.

Textus VII.

SI autem aliquod communi in omni anima oportet dicere, erit utique actus primus corporis organici physici, unde non oportet quærere si unum est anima &

corpus

corpus, sicut neque cera & figura, neque omnino uniuscuiusque materia, & id cuius est materia, hoc enim unum & esse quin multipliciter dicantur quod proprie est, actus est.

Textus VIII.

VNIVERSALITER quidem igitur dictum est quid sit anima, est enim substantia quæ secundum rationem, hoc autem est quod quid erat esse huiusmodi corporis, sicut si aliquod organorum physicum esset corpus, ut dolabra, erat quidem enim dolabræ esse substantia ipsius & anima hæc, diuisa autem hac non utique amplius dolabra erit, sed aut equiuoce, nunc autem est dolabra, non autem huiuscemodi corporis quicquid est esse & ratio anima, sed physici huiuscemodi corporis habentis in seipso principium motus & status.

SI autem aliquod commune in omni anima oportet dicere, erit utique primus actus corporis naturalis instrumentalis. Vnde non oportet quærere. tradita definitione communi animæ dico, quòd duo facit Arist. primo exponit quædam quæ sequuntur ex illa definitione, quòd animal sit unum, & anima sit causa qua animal est unum, unde antiqui, non potuerunt reddere causam, quare animal sit unum, ut Plato, qui diuisit animal secundum membra principalia, nam ponit rationalem in capite, irascibilem in corde, concupiscibilem in epate, ideo non possunt dicere, quòd animal sit unum, illi uero qui dixerunt de anima, & nihil dicunt de corpore ut Pythagorici, etiam non possunt dicere cur animal sit unum. Nos autem possumus reddere causam huius, quia ex quo anima est actus corporis naturalis, quia actus, & potentia uniuntur sine medio, & ideo quia anima est actus, & corpus est potentia, ideo ex illis fit unum per se, & non oportet reddere causam cur animal sit unum, exemplum sicuti cum scimus, quòd figura est actus ceræ, & cera est subiectum, & potentia, non quærimus cur pila cerea est una, unde dicit Arist. quòd ex anima & corpore constat animal, utrunque est causa unitatis ipsius, sed quia forma est principalior causa, quam materia, quia ipsa est ens perfectum, ideo illa est magis causa unitatis, quàm materia, quia cum unum multipliciter dicatur, quod autem uere est unum, actus est proprie, & causa unitatis. Item quia forma est uere ens, ideo est uera causa essendi, & per consequens uera causa unitatis. Ex his uidetur colligi, quòd in corporibus naturalibus est duplex principiū, materia & forma, & non dicitur substantia prima, & indiuiduum per aliud quàm per sui materiam. O' dico per sui formam, & ideo non est dicendum, ut Scotiste, quòd hic homo sit hic homo per istam quantitatem & istam materiam, quia est figmentum. O' si dicas, quòd hæc materia est hæc materia seipsa, & hæc forma, tunc non posset concipi conceptu communi. Dico quòd hæc materia non est seipsa, neque hæc forma est hæc seipsa positiue, sed negatiue, id est, est seipsa, id est, quia non per aliam & ita possunt concipi conceptu uniuersali, quia singularitas non ingreditur rationem eorum, & hæc recte dixit Auer. Secundo sequitur ex uerbis Arist. quòd forma est uerius ens, quàm compositum naturale, ergo & per consequens forma est nobilior suo composito. Sed quomodo hoc uerum est, quia compositum includit formam, & ultra hoc ipsam materiam, ergo nobilius compositum, quam forma. Dico quòd equaliter se habet, quia mundus non dat deo perfectionem, quia omnis perfectio in deo includitur intra ipsum, ita in composito. Dico quòd tota perfectio materiæ includitur in forma. De secundo dico, quòd forma, ideo est maioris perfectionis composito, quia forma habet perfectionem illam eandem, sed perfectiori modo, quàm compositum, quia habet illam independenter, & a se ipsa, compositum uero a forma habet suam perfectionem, ideo illud est imperfectius, & ob hoc forma dicitur nobilior composito, & tunc secundo Arist. exponit particulam illam definitionis, primo anima est actus corporis. Secundo exponit illam potentia uitam habentis. Primo duplici exemplo ostendit, cum artificiali, cum naturali, primo ergo dicit si securis, quòd est instrumentum artificiale esset instrumentum naturale, figura per quam habet uirtutem scindendi esset anima, & securis esset animatum corpus, & uiuens, sed quia ipsa securis, non est corpus naturale, ideo figura ipsius non est anima, nec illa est animatum corpus. Tum etiam ita se habet eius figura ad ferrum, sicuti anima ad corpus, quia sicut ferrum appellatur securis per istam figuram, & operatur per istam figuram, & ea separata non dicitur amplius securis, ita corpus habet esse, & perfectionem, per suam animam, separata enim anima, non amplius dicitur corpus, sed ita est, quòd figura ipsius securis, est forma, & actus, quia per eam habet securis esse nomen, & opus, ergo etiam anima est corporis organici potentia uitam habentis. Aduertatis hic, quòd Auer. male exponit illud uerbum. Dolabra est dolabra, quia dicit remota figura dolabra est dolabra, sed hoc non uult Arist. immo remota figura dolabra non est amplius dolabra, sicuti remota anima, non est amplius animal, ideo uult dicere modo dolabra, uere est dolabra, & est instrumentum artificiale, & non naturale.

Lectio XLIIII.

EX expositione octaui textus Auer. facit longam digressionem super illis uerbis. Nunc autem est dolabra, quia uidetur, quòd Arist. dicat nunc autem est dolabra separata eius figura, & ideo facit dubitationem, quomodo uerificatur dictum Arist. quia omnis res artificialis habet esse per suam figuram, separata igitur figura eius, non restat, ideo dicit, quòd Arist. intelligit facere differentiam. Inter formas accidentales, & substantiales, quia ablata forma substantiali aufertur nomen, & definitio eius in rebus inferentibus, aut accidentalibus præsertim artificialibus, non est uerum, quod ablata figura, & forma, quòd auferatur nomen, & definitio, secundum rem, ut patet de securi. Reddit causam huius & dicit, quòd nomina rerum naturalium primo significant formam, secundo compositum, ex materia & forma, & ideo ablata forma perit nomen; & quia ablata forma perit materia proxima, quia genus summitur a materia proxima, & differentia a forma, & quia ablata anima rationali aufertur corpus hominis, ideo ea ablata aufertur homo, & tota definitio; in accidētibus uero nō ita est, quia nomina accidē tium primo significant animam, secundo formam in se, & ideo ablata remanet materia, quæ primo significabatur, ut ferrum in securi, ideo adhuc remanet nomen securis, Ideo est differentia nominum accidentalium, & substantialium rerum, in significando, seu nomina naturalium & artificialium, ista est tota substantia uerborum Auer.

Sed tot sunt errata, quod uerba, primo non est uerum, quòd Arist. intelligat hic ponere differentiam inter formam substantialem; & accidentalem, sed intendit declarare, quòd anima est actus corporis physici organici, hoc exemplo de securi, quia dicit, si securis esset corpus naturale, cuius figura esset anima, Nunc autem securis est securis, hoc igitur est quod declarauit Arist. & non id quod dicit Auer. Verum tamen dicit quòd omnia nomina concreta primo significant, formam, deinde materiam ipsam, ut dicit Arist. sed errat, quia dicit, quòd nomina concreta artificialia, primo significant materiam ipsam, secundo formam, hoc falsum est, quia securi do physic. dicit Arist. lectum primo significat figuram, & similiter securis, quia a securi ipsa accipiunt nomen, & definitionem, & per ipsam ponunt in esse, omnia igitur concreta uel accidentalia uel substantialia significant primo formā, ideo recte dicit Arist. primo politicorum ex Platon. Verus homo intellectus est, quia uere esse hominis, primo significat illud, ita tamen in accidentalibus, sicuti in substantialibus, quo ad hanc significationem, decipitur ergo Auer.

Tertio magis errat, quia dicit ablata figura securis remanet securis, quia remanet ferrum quod est securis, sed contra, quia pars esset sui totum quod est impossibile, ideo septimo metaphysicæ dicit Arist. non dicimus, quòd arcula sit lignum sed bene lignea, Tum ex alio, quia qua ratione ferrum dicitur securis eadem ratione dicitur malleus, & quodlibet aliud artificiale instrumentum, quod potest ex illo ferro fieri, sic dicitur securis.

Quarto errat, quia dicit ablata anima rationali perit nomen hominis, & hic uerum dicit, sed dicit parit esse materia proxima, quia a materia proxima summitur genus, & a forma differentia, sed contra, quia omnia prædicata substantialia summuntur ab eadem forma, ideo sicut homo est homo per animam intellectiuam, ita est animal, pro sensitiuam animam, non ergo est animal a materia, & hoc dicit Arist. septimo metaphysicæ, uolens declarare hoc, dicit, si uollo diuidere habet pedes diuidimus pro habere pedes fixos, quia iste sunt differentiæ per se & capiunt naturam generis, differentia igitur capit naturam generis, non ergo uerum est, quòd genus summatur a materia, quia genus & differentia specifica unam & eandem rem significant, sed alio & alio modo, ideo Auer. multa falsa dicit, quia non intellexit Arist. cum dixit nunc autem ablata figura est dolabra, Arist. autem uoluit dicere nunc autem est corpus artificiale, & non naturale, & facto est dolabra.

Textus IX.

CONSIDERARE autem in partibus oportet, quod dictum est. Si enim esset oculus animal, utique ipsius uisus esset, hic enim substantia est oculi quæ est secundum rationem, oculus autem materia uisus est, quo deficiente non est adhuc oculus nisi equiuoce, sicut lapideus aut depictus. Oportet igitur accipere quod est in parte, in toto uiuente corpore, proportionaliter nanque se habet, sicut pars ad partem, totus sensus ad totum corpus sensitiuum, secundum quòd huiusmodi.

Textus X.

EST autem non obijciens animam potentia ens ut uiuat sed quòd habens. Semen autem & fructus potentia huiusmodi corpus est, sicut quidem igitur incisio & uisio sic & uigilantia actus, ut autem uisus & potentia organi anima, corpus autem quod potentia sed sicut oculus pupilla, & uisus, & ibi anima, & corpus animal.

Considerare autem in particularibus Explanat Arist. particulam illam definitionis anima est actus

actus corporis organici, ostendebat exemplo de dolabra, nunc autē utitur exemplo clariori ut dicit Ioan. Grammaticus omnibus naturalibus, & dicit, si oculus esset animal, tunc uirtus uisiua esset forma eius & anima. Nunc autē reuera oculus non est animal, nec ergo uirtus uisiua est animal, & tamen quam proportionem habet uirtus uisiua ad oculum, ita tota anima ad totum animal, sed uirtus uisiua est actus primus corporis naturalis organici, quòd autem uirtus uisiua se habeat ad oculum, sicut anima ad corpus, patet, quia sicut oculus habet esse & operationes, & definitionem per uirtutem uisiuam, & ablata ista perit oculus, ita ablata anima, perit totum animal & non remanet animal nisi equiuoce, ergo habent istam eandem proportionem, ergo sicut uirtus uisiua est actus corporis organici naturalis, ita & anima est actus primus corporis naturalis organici, quo ad uerba dicit, primo considerare autem in parte uiuentium quod dictum est, scilicet quòd anima est actus corporis subdit. *si esset oculus animal.* Dicit hoc quia oculus non est uere animal, dicit Ioan. cum dicit si oculus esset uere animal, ibi accipit animal pro toto composito, ex materia & forma, postea autem dicit, oculus autem materia, ibi accipit oculum pro materia, infra tamen etiam accipit oculum pro toto composito, ex uirtute uisiua, & oculo, & hoc facit recte ut ostendat, quòd forma proprie est totius compositi forma, non autem materia.

Sed nos dicetis si oculus esset animal, non ne omne constans, ex corpore & anima sensitiua tactiua est animal, sed oculus constat ex sensu tactus, ergo oculus est animal, non ergo oportet dicere, si oculus esset animal, secunda dubitatio Ioannis Grammatici, quia ex uerbis Arist. sequitur, quòd anima sensitiua, sit uirtus separata a materia, sicut anima rationalis, quia sicut dicit Arist. sicut est de toto, sic de parte, ita ergo est de parte animæ sensitiuæ sicuti de toto, sed pars animæ sensitiuæ, quæ est in oculo, est separata ab oculo, quia si non esset separata ab oculo, uirtus uisiua senis afficeretur passionibus, & tabesceret, & corrumperetur, corruptione eius, sed nō tabescit, quia dicit Arist. si uirtus uisiua senis acciperet oculum iuuenis, ita uideret senex sicuti iuuenis. Tertio quia dicit, Arist. primo huius, totum est notius sua parte probatio igitur uiuentis per partem est per ignotiora, quomodo igitur probat Arist. hic per ignotiora, id est ex toto de partibus. Quarto quia uirtus uisiua, est forma, ergo est qualitas, ergo est accidens, ergo ablato accidenti remanet substantia, quomodo ergo ablata uisione auferetur oculus, quinto & ultimo, quia Arist. describit nobis, & non probat, quod uult probare, quia bene ostendit, quòd anima sit actus primus, sicuti uolebat ostendere, & sicuti erat in definitione, O' de primo dices, oculus componitur, ex anima sensitiua, & corpore; igitur certe Petrus Mantuanus Sophista tenet fatuitatem istam, quòd quælibet pars animalis sit animal, & homo, quod est falsum, quia tunc ex uno homine essent plures homines actu, O' cum dicis, oculus constat ex anima, & corpore, cur ergo non est animal, O' dico, quòd animal debet esse substantia constans, ex anima, & corpore, seorsum existens, modo oculus & aliæ partes hominis non seorsum existunt, ideo non sunt animalia, igitur defficit illa conditio.

De secundo cum dices, sequitur quòd anima sensitiua sit separata a materia, Dico dicit Ioan. quòd licet anima sensitiua separetur ab hoc corpore spirituoso, a quo habet esse anima sensitiua, post mortem hominis, ex hoc inquit Ioan. apparent uobis phantasmata circa sepulcra, sunt enim animæ sensitiuæ hominum, quæ sunt in illo corpore spirituoso, sed dicit, uegetatiua tamen, non separatur a corpore isto terreno, sed ab illo separatur sensitiua, sed figmenta sunt ista, quia omne corpus animatum, debet esse figuratum propria figura, si omne corpus figuratum a prædominio est terrenum, quia terræ est figurare figura propria, corpus autem aereum, & spirituosum, non determinat sibi figuram propriam, sed figuratur figura continentis, ut dicit Arist. quarto metaphysicorum, ergo illud corpus non potest esse animatum, Tum ex definitione Aristot. anima est actus corporis physici organici, sed hoc corpus spirituosum est simplex, similare, sicuti lapis & aer, non ergo potest esse subiectum animæ.

Tertio quemadmodum anima sensitiua, separatur a corpore terreno. Sed contra, quia nullus effectus potest separari a causa in qua dependet in esse, & in conseruari, sed sensitiua uirtus dependet a corpore, in esse, & in conseruari, ut patet, quia diuiditur diuisione corporis, & extenditur & corrumpitur corruptione eius, non ergo potest sensitiua anima a terreno corpore separari.

Quid ergo dicemus ad argumentum, quia uirtus uisiua non dependet in esse, & in conseruari ab oculo, ergo tota a causa seruatur, O' dico quod est sensus Arist. quòd anima patitur & diuiditur diuisione corporis, dicit per accidens, quia extēditur extensione eius, ideo si afficitur, per accidens afficitur, ad affectionem corporis, & ita quia uirtus uisiua non afficitur per se, quia non nisi ex affectione sui organi, ideo si ista pateretur in organo suo, iuuenis non pateretur, quia organum istud non contabesceret, non tamen negat Arist. quòd uirtus uisiua non contabescat & corrumpatur ad corruptionem oculi senilis, sed per accidens leditur, & ita etiam dico de anima sensitiua tota, quia ipsa leditur tantum per accidens. De tertio, quia probatur de toto ex partibus, est per ignota, Dico licet totum sit notius suis partibus notitia confusa, & imperfecta, ta-

men notitia perfecta, & distincta, sunt notiores toto, & quia Arist. intendit dare nobis notitiam distinctam ideo ita probauit.

De quarto de uirtute uisiua, quia ipsa est accidens, quomodo igitur. Dico argumentum petit definitionem istam, quæ nam res sint potentiæ animæ, & uarij sunt modi dicendi D. Thom. qui tenet, quòd potentiæ animæ sunt qualitates secunde speciei, debet soluere hoc argumentum & etiam Gaietanus,& alij sequentes istam uiam. Alij uero, qui tenent, quòd potentiæ animæ nihil aliud sint, quàm anima, sed secundario significant organum, secundo operationem,& isti sunt nominales, ita uirtus uisiua est anima sensitiua, quæ est in oculo, & ita ista opinio est rectior, & nō habet soluere hoc argumentum, quia sicut se habet pars animæ ad organum suum, ita etiam tota anima ad totum corpus, & sicut uirtus uisiua, quæ est anima corrūpitur corruptione sui organi particularis, scilicet oculi, ita tota anima sensitiua corrumpitur corruptione corporis.

Lectio XLV.

DICEBAMVS de potentia uisiua, quomodo cum ipsa esset qualitas de secunda specie poterat esse forma substantialis, quia ablata remouetur oculus, Dixi quòd ista petebat quæstionem magnam, quid scilicet sint potentiæ animæ, Dixi tamen secundū meliorē opinionē potentiæ animæ, sunt ipsa anima, itē potest dici q̄ si sit ipsa potentia, secunde speciei qualitatis, non est uere qualitas, ut Dixit Alexander in lib. naturalium quæstionum, De causa clarius infra, Erat ultima dubitatio, quia ex his adhuc Arist. non declarabat, quòd anima esset actus primus, Dico statim in tex. sequenti demonstrabit Arist. & ideo in tex. 10. cum declarauit Arist. illam particulam, quòd scilicet anima est actus corporis phy. organici, & naturalis, hic declarat potentiā uitam habentis, & dicit, quòd per potentiam uitam habens non intelligimus id quod iam abiecit animam, ut cadauer, neque quòd nondum accipit animam, ut sunt semen & fructus, & illud, Et stat expositiue, quia idem est fructus, & semen, ut ista potenria habent uitam, & ideo nos intelligimus potentia uitam habens, id quod actu habet animam, & tunc declarat illam particulam definitionis, quomodo anima sit actus primus in illis uerbis. *Sicut igitur incisio & uisio* dicitur cū actus sit secundi, respectu primi, nam figura securis qua mediante habet potentiam ad incidendum est primus actus, ideo dicit, nunc sicut se habet, incisio ad securim & uidere ad oculum, uegetatiua ad animam, & per uigilias, intelligit quascunque operationes animæ, quæ fiunt in uigilia, sicut igitur incisio est actus secundus respectu securis, ita etiam uigilare, est actus secundus respectu animæ, cum igitur ita se habeat anima ad corpus animatum sicut figura ad securim, & uidere ad oculum, & sicut figura securis est actus primus securis, ita uidendi uirtus ipsius oculi, ergo potentia animæ est actus primus, respectu animæ, & quòd figura securis sit actus primus patet, quia inest ei etiam q̄ nō secet, & uirtus uidendi similiter, etiam quòd non uideat oculus, ergo isti sunt actus primus, ergo & anima est actus primus corporis animati, & sicut ex pupilla & uisione constat totus oculus, ita totus animal, ex anima & corpore, & per pupillam improprie accipit pupillam, quia illa est foramen aux, ideo per pupillem intelligit omnes tunicas, & omnes humores oculi, sicut igitur uirtus uidendi est actus & non secundus, ita etiam, anima, est actus primus & non secundus.

Sed hic dubitat Ioannes Grammaticus, quia cum actus & potentia sint differentiæ entis oppositæ, non possunt igitur eidem competere, quomodo igitur illud quod habet animam cum actu uiuant tum potentia, uidetur dicere, quòd duplex est potentia, quædam naturalis, quædam logica, naturalis, dicit ordinem ad formā suscipiendam, & ista excludit actum, quando aduenit, cum enim superficies colorem recipit non amplius est in potentia, & hic non intelligimus de ista potentia. Alia est potentia logica, & ista non repugnantia terminorum, & non repugnat, q̄ Addam qui mortuus est, uiuat, & existat, quia existentia in sui ratione non repugnat actui, ideo dicunt logici, semel possibile semper est possibile, sicut igitur erat possibile antequam fuisset Addam, quòd esset Addam, ita & nunc, sed istud in potentia naturali non est uerum, quòd scilicet mortuus possit esse, quia semel corruptum non potest amplius reuertere, per Arist. in lib. de generatione, & corruptione, Arist. igitur cum dicit potentia uitam habens ista est potentia logica, & hanc potentiam ostendit Arist. secundo perihermenias dicens, cum quis actu ambulat, potest ambulare, illa tamen potentia est logica, quia non excludit actum.

Sed uos dicetis quis modus loquendi Arist. si anima est actus corporis quod actu uitam habet, cur non dicit potius, est actus corporis actu uitam habentis, O dico quòd ideo Arist. ita loquitur, quia corpus organicum, & si dum uiuit actu habet animam, tamen non habet esse, ex ipso, sed ex alio, sed ipsum solum est aptum recipere animam, ideo potentia uitam habet, quia ex se habet uitam, exemplum, sicuti dicimus, quòd uisus etiā quòd actu uideat, dicimus, quòd potentia uideat, quia non habet hoc a se, quia uisionem habet ab alio, ut a caloribus, ita etiam in proposito, quia corpus habet uitam ab alio & non a se, dicimus, quòd habet uitam in potentia & non actu, sed dicetis, quid dicemus nos, quia diximus, quòd corpus organicum quod sum-

mitur

mitur in deffinitione animæ, erat totum uiuens, sed totum uiuens, per se includit animam, quia totum includit omnem partem, quomodo igitur dicit, potentia uitam habens, quia non habet uitam a se, O' possumus dicere, & uidetur dicere Themist. quòd iste est sensus, anima est actus corporis potentia uitã habentis, sit enim anima ipsa in actu & in potentia, actus quatenus habet uitam, & uiuit, potentia, non quatenus est in potentia ad opera uitæ, quia ille qui habet animam actu potest operari per ipsam animam, operibus uite, & ita habet uitam in potentia, operationem uitalem, quia uita hic, pro actu summitur, secundo, secunda dubitatio, quia dicit Arist. sicut semen & fructus potentia uiuunt, quia possunt recipere animam, ita tenuit plantas generari ex semine, tanquam ex principio passiuo, & materiali, cuius oppositum, docuit secundo phy. ubi dicit, quòd semen ennumeratur inter causas actiuas, non ergo inter passiuas, & naturales, quia iste nunquam coincidunt, causa efficiens, & materialis, Dicatis, quòd exemplariter loquitur Arist. quia de facto, semen est causa actiua generationis, apud Arist. quia sicuti semen maris in animalibus, est causa actiua generationis, ita in plantis, licet medici aliter dicant, sed quia hæc dubitatio non spectabat ad hunc locum, ideo hic exẽplariter loquitur Arist. Non negamus tamen, quòd non sit aliqua pars seminis, in qua est principium actiuum, cum passiuo, & hanc rodunt formice, & animalia qualibet, quæ thesaurizant, & ideo cum remouent a semine plantarum hanc particulam, non amplius nascitur planta.

Textus XI.

QVOD quidem igitur non sit anima separabilis a corpore, aut partes quædam ipsius, si partibilis apta nata est, non immanifestum est, quarundam enim actus partium ipsarum, at uero secundum quasdam nihil prohibet, propter id quod nullius corporis sunt actus. Amplius autem immanifestum si sit corporis actus anima, sicut nauta nauis. Figuraliter quidem igitur sic determinetur, & describatur de anima.

Quod quidem non sit anima separabilis. Consequenter ostendit Arist. quòd anima omnis inseparabilis a corpore, non intelligatis uos inseparabile a corpore secundum situm, quia de facto Arist. non ponit alium statum animæ, nec dicit animam inseparabilem secundum situm, quia hæc esset uana quæstio, non enim ponit animam ullam separabilem a corpore, secundum situm, dicit igitur Arist. quòd anima est inseparabilis a corpore, quia forma eius, ostendit hoc, quòd omnis anima est actus corporis, sed omnis actus est inseparabilis ab eo cuius est actus, nam actus & id cuius est actus correlatiua sunt, ideo non possunt esse unum sine altero, ergo corpus organicum non potest esse sine anima, neque anima sine corpore organico, & subdit uerba obscura, quòd de quibusdam partibus animæ hoc est manifestum, quòd sunt inseparabiles, a corpore, de uegetatiua, de appetitiua, & de sensitiua, nam quid nutrit, uegetatiua, sine corpore, similiter uirtus uisiua sine oculo, sed de una est dubitatio, scilicet de anima rationali, quia nihil prohibet ipsam separari a corpore, ex hoc quia nullius corporis est actus, & nunc remouet dubitationem dicens, si potest separari a corpore, quomodo ergo anima est actus corporis, Ar. uult euadere hoc & dicit duplex est actus corporis, unus separabilis a corpore, alius inseparabilis est, sicuti figura nauis a nauta, & separabilis est, sicuti nauta, & ideo hic anima est actus corporis simplicis, sicut nauta, quia esse animæ rationalis, non dependet a corpore, sicut etiam nauta non dependet a naui, & hocmodo intellexit Arist. exemplum positum non est tamen omnino simile, quia nauta potest separari ab omni naui, & non sic anima a corpore. Sed dicetis, quid dicit Arist. dicit enim, quòd omnis actus est inseparabilis ab eo cuius est actus, quomodo dicit, nihil prohibet separari a corpore, si est anima actus, quæ ergo perplexio in uerbis Arist. secundo, quia dicit Alexander hic, qui ponit animam rationalem esse inseparabilem a corpore de mente Arist. quomodo ergo exponet hunc textum. Tertio quia Arist. in plurali numero loquitur, quia dicit plures partes, sed rationalis anima non est multiplicabilis numero, secundum Arist. sed est una numero, ut dicit Auer. & Arist. tertio huius tex. 5. O'. ad primum dico, quòd recte dicit Arist. quòd anima rationalis est inseparabilis a corpore, & separabilis, quia si consideretur quo ad sua opera, habet aliqua opera, quæ non possunt exerceri sine corpore, sicut intellectio, & ex hoc quòd habet illam operationem separabilem, sequitur, quòd sit separabilis a corpore, secundum esse, id est non extenditur extensione corporis, neque diuisione corporis diuiditur, neque generatur, neque corrumpitur, ad generationem, & corruptionem corporis, anima igitur est actus corporis quo ad aliqua opera, simpliciter tamen nullius est actus, id est, non habet esse ab aliquo corpore, quia habet aliquam operationem in qua non dependet a corpore, & ideo dicemus, quòd anima est actus corporis, sicuti nauta nauis, nauta enim habet duplicem operationem, unam qua nauta est, & in ista dependet a naui, & est inseparabilis ab illa, ut est mouere nauim, secunda habet quatenus homo, & hocmodo est separabilis a naui, quia non habet esse a naui, ita dicit Arist. duplex est actus, unus separabilis, alius inseparabilis, actus inseparabilis a corpore est ille

ille a quo anima dependet a corpore, ut scire, separabilis uero in qua non dependet, ut intelligere, &c.

O' dicis, ad argumentum, quia omnis actus est inseparabilis ab eo cuius est actus. Dico ꝙ uerum est, quo ad opera, in quibus communicat actus corpus, quia non habet aliquam operationem propriam, qua dependet in esse, & tunc est separata a corpore, sed uos dicetis, esto quòd anima rationalis, quarenus rationalis, non est actus corporis, quia quatenus talis non utitur corpore, sed quatenus sic est quædam potentia intelligendi, non autem anima, quia anima habet plures potentias, sed nunquid anima ipsa sit forma dans esse corpori, dixi quòd sic, sed ita dico, quia ipsa dat esse corpori, sed non extenditur extensione corporis, & non recipit esse a corpore, sicut uegetatiua, & sensitiua. De secundo cum dicis, quid dicit Arist. Dico dicit Ioannes, quòd Alexander dicit, quòd Arist. hic loquitur, cum dubitatione, sed dicit Ioannes hoc non est uerbum dubitandi. *Nibil prohibet*. Sed ita loquitur, quia iam dixit animam esse actum corporis, & dixit omnis actus est inseparabilis ab eo cuius est actus, ideo dicit nihil prohibet, & ideo hoc non est uerbum dubitantis, sed soluentis, &c.

De tertio, quia pluraliter loquitur Arist. non ergo, una anima est una numero in omnibus hominibus. O' de hoc dicam, tertio huius, quia teneo ex Arist. quòd anima est communis omnibus, & eterna. Nunc tamen tenendo uiam Auerrois, quæ erat quòd sicut est eadem numero anima manus, pedum, & omnium partium animalis, ita est etiam in omnibus indiuiduis, & ideo pro nunc dico, quòd si comparetur anima rationalis sibi ipsi, est una numero, respectu uero corporum dicitur multiplicabilis, quia informat diuersa corpora, quæ plurificantur, illa est extrinseca ipsi animæ, scilicet multiplicatio corporum, & ita loquitur 2. phys. 26. ubi loquitur de intellectu humano, in plurali, hac ratione, quia licet secundum se sit multiplicabilis, quia tamen est in multis indiuiduis dicitur pluralis, desunt aliqua. *Figuraliter ita dictum est*. Vtitur Arist. hoc uerbo metaphorico tracto a pictoribus qui aliquando designant figuras carbone superficialiter, istam designationem appellat Arist. Tipum, & figuram, id est semen designationem, & figurationem.

Textus XII.

QVONIAM autem ex incertis quidem certius autem fit, quod & secundum rationem notius, tentandum est iterum sic aggredi de ipsa, non enim solum quia oportet diffinitiuam rationem ostendere, sicut plures terminorum dicunt, sed & causam inesse & demonstrare. Nunc autem sicut conclusiones rationes terminorum sunt, ut quid est tetragonismus equale altera parte longiori, orthogonium esse equilaterale talis autem terminus ratio conclusionis, dicens autem quoniam tetragonismus est medie inuentio rei causam dedit.

Lectio XLVI.

QVONIAM *autem*. Cum accepit Arist. in definitione communi animæ, quòd est actus primus corporis physici organici potentia uitam habentis. Hic uult reddere. Causam, propter quid sit actus primus corporis organici, & quia cum quattuor sint quæstiones, si est, & quid est, quia est, & propter quid est, & si est, præcedit quid est, & ideo cum declarauit si est, debet quid est declarare, deinde declarare quia est, & propter quid est, reddit causam huius, quia primo huius, triplex est definitio, formalis, materialis, & constans ex utroq; & semper formalis dicit propter quid, respectu materialis, & quia dicit non satis est scire si est, sed oportet scire propter quid est, ad hoc ut habeatur, perfecta rei cognitio, & ideo cum dixerit quòd anima est actus corporis, quæ erat definitio si est, quærit definitionem quæ dicit propter quid est, exemplum dicit si accipiamus quadratum, istud habet duas definitiones, & una nô suffi cit sine alia, una dicitur materialis, quæ dicit quadratum est figura, quæ est equalis figuræ quadrangulæ, & ita est imperfecta definitio, & est definitio si est, alia est perfecta, & dicit propter quid, respectu prioris, quæ dicit quadratum est figura, quæ constat ex linea quæ est media secundum proportionem inter latera quadrati, & ipsa prima definitio, non sufficit ad perfectam notiam quadrati, quia solum dicit si est, ideo opus est secunda, ita dicit Arist. cum habita sit definitio si est de anima, ideo oportet inuestigare definitionem, quæ etiam dicit propter quid anima est actus corporis.

Quo ad uerba quæ obscura sunt. Primo enim dicit quomodo ex obscuris, id est ex ignotis naturæ, manifestioribus autem uobis procedendum, & quæ nam sint ignotiora naturæ, & notiora uobis, triplex.n.est ignotius nobis, & ignotius naturæ, aliquando appellatur notius uobis, & ignotius naturæ, id quod primo cadit in quæstione, & quæstio si est, dicitur notior nobis, quæstio uero quid est, dicitur ignotior. Secundo aliquando intelligitur notius uobis & ignotius naturæ, quòd est magis uniuersale respectu minus uniuersalis, aliquando notiores nobis, & ignotiores naturæ dicuntur effectus, & compositum corpus respectu simplicis, & ideo hic dicitur ad inuestigandum notiam animæ est procedendum ex ignotioribus naturæ, & ex notioribus nobis,

sed

ſed quæ ſunt iſta notiora uobis, & ignotiora naturæ. Dico omnibus tribus modis intelligit procedendum ex notioribus nobis, & ignotioribus naturæ, primo enim nobis notius erat id quod primo cadit in quæſtione, ut quæſtio ſi eſt, ideo habuimus ſupra quòd anima eſt actus corporis; illa fuit definitio ſi eſt, reſpectu huius definitionis quid eſt, quæ diſcernit per ſingulas partes animæ, ſecundo poſſumus intelligere ex notioribus uobis, procedendũ ſecundo modo ex uniuerſalibus ad minus uniuerſalia, eo quia definitio prius habita, eſt communisſima, iſte uero quæ ſubſequuntur, ſunt definitiones cuiuslibet partis animæ, & ideo ſunt ſpeciales, definitiones animæ, & ita procedendum ab uniuerſalibus ad minus uniuerſalia, & erit procedere a notioribus nobis, ignotioribus autẽ naturæ ad ignotiora ſecũdo modo, tertio procedemus ex notioribus nobis tertio modo, ſcilicet ex effectibus ad cauſas, & hoc dupliciter accidit, primo quia ſtatim ſupponit Ariſt. quòd proprium eſt animato uiuere, animatum uero, qua tale, anima uiuit, proprium igitur eſt animæ eſſe uitam, & ita ex illa, & animato, quod eſt tanquam effectus, procedemus in animam tanquam in cauſam.

Item aliomodo, quia cum tres ſint partes animæ, uegetatiua, ſenſitiua, & rationalis, & rationalis eſt perfectisſima omnium, ſecundo ſenſitiua, tertio uegetatiua, non procedemus a rationali ad ſenſitiuam, & inde ad uegetatiuam, & inde oppoſito modo a uegetatiua, quia iſta eſt natura imperfectior, & nobis notior, quia ergo uegetatiua eſt poſterior natura, quia imperfectior, ergo notior nobis, ideo procedemus a notioribus nobis ad ignotiora.

Sed hic dubitatur dupliciter. Primo quia dictum eſt, quòd procedemus hic a notioribus nobis ignotioribus autẽ naturæ, ad ignotiora etiã, ſecundo modo, uidelicet, ab uniuerſalibus ad minus uniuerſalia, ut a definitione uniuerſaliori, ad minus uniuerſalem, ſed quærit Ioannes, cur ſicut Ariſt. tradit definitionem communem, quæ dicit ſi eſt de omni animæ parte, cur non etiam tradit unam definitionem ipſius animæ communem, quæ diceret quid eſt reſpectu iſtius, & cauſam iſtius prioris, ſed inueſtigat tres definitiones, ſecundum tres partes animæ. Secundo quia tum bene dicis, quòd Ariſt. procedit in declarando partes animæ, ab imperfectisſima anima. tanquam ex poſterioribus naturæ, & ignotioribus nobis, ut a uegetatiua ad ſenſitiuam, & inde ad rationalem, ſed cur non ita in declarando potentias animæ uegetatiuæ, etiam non incepit a nutritiua, quia nutritiua eſt omnium imperfectisſima, deinde augumentatiua, poſtea perfectisſima omnium, eſt generatiua, ſed proceſſit a perfectisſima, ut a generatiua, deinde ad auctiuam, ultimo ad nutritiuam, & quòd nutritiua omnium imperfectisſima ſit, patet, quia nutritu animal propter augmentum, augetur uero ut generet ſibi ſimile, nutritiua igitur ordinatur in auctiuam, & augmentatiua, in generatiuam, omnium igitur perfectisſima eſt generatiua, ſecundo auctiua, tertio nutritiua, & tamen Ariſt. incepit a generatiua.

Item etiam cum loqueretur de anima ſenſitiua Ariſt. incepit a perfectisſimo ſenſu, ut a uiſu deinde ad auditum, deinde ad olfactum, deinde ad guſtum, deinde ad imperfectisſimum omniũ quod eſt tactus. Reddit rationem, quia uiſus a maxima diſtantia partium omnium, percipit ſuum obiectum, ſecundo auditus, tertio olfactus, alij duo nulla diſtantia percipiunt obiectum ſuum, cur igitur Ariſt. incepit a perfectisſimo ſenſu, id eſt a uiſu, & quòd ſit perfectior omnibus patet, quia ubi eſt uiſus ibi ſunt omnes ſenſus, & non econtra, quia in aliquibus animalibus eſt ſolum tactus, in aliquibus etiam guſtus, quibuſdam etiam ſunt omnes, quattuor ſenſus, ſine guſtu, ut ſunt animalia Anſphalares, neſcio quæ animalia ſint, ubi igitur eſt uiſus, ibi ſunt etiam alij ſenſus; ſed non ubi ſunt alij ſenſus eſt uiſus, imperfectisſimus ergo omnium ſenſuum eſt tactus, cur igitur ab iſto non incepit Ariſt. ſed incepit a uiſu, qui eſt perfectisſimus &c. Ad hæc dico, primo cum dicis, cur eſt quòd ſicut poſuit definitionem ſi eſt, non poſuit quid eſt. O' dicit Ioannes, quia non poterat inueſtigari una communis definitio, quia alio modo duæ partes animæ ſunt actus corporis, alio modo tres, nam uegetatiua, & ſenſitiua, ſunt actus corporis inſeparabiliter, & iam opus fuit unicuique ſuam definitionem dare, & non ponere unam communem tum etiam quia poſuit, in definitione corporis organici, & in plantis non eſt corpus organicum perfecte & uere, & ideo non aſsignauit unam & eandem definitionem, ſed dicetis, non ne etiam in prima definitione, actus erat diuerſus, in plantis, & in animalibus, cur ergo tradit prius unam definitionem communem, O' poſſumus dicere, quòd illa prior non fuit propria & perfecta definitio, quia actus qui ſummitur pro genere, eſt æquiuocum, & ideo non poteſt perfecte definiri, ideo non curauit, poſtea uero dans perfectam definitionem, quæ eſt triplex ſecundum tres partes animæ diſtinxit, quamlibet partem animæ. De ſecundo ſunt duo modi dicendi, unus, quòd Ariſt. in doctrina uſus eſt utroque proceſſu, aliquando enim incipit ab imperfectisſimo naturæ, ad perfectisſimum, ut fecit declarando partes animæ.

Item ſecundo modo, utitur alio proceſſu oppoſito, in potentiis animæ declarandis, ut oſtendat, quòd utroque modo procedere poſſumus, Secundo dicit Ioannes, & uerius, ut declararet operationes, tam animæ uegetatiuæ, quam ſen-

sitiuæ, quàm rationalis, & ideo hic processit a nobis notioribus, dum uero declararet potentias animæ uegetatiuæ, incepit a perfectioribus operationibus istius, quia sunt nobis notiores, notior enim nobis est generatio, ut quòd ununquodq; sibi simile generat, est nobis notissimum, non autē ita est notum opus sensitiuæ, ut quomodo fiat auctio, & partes intellectus, quod est opus rationalis, eodē modo in sensibilibus procedit, qa notiores sunt nobis operationes uisus, quàm auditus, & iste quàm olfactus, & iste quàm gustus, sensus uero tactus, omnium ignotissimus & imperfectissimus, & per hoc dubitat Arist. nunquid tactus sit sensus, quia omnis sensus est unius contrarietatis tantùm, uel si plurium possunt reduci ad unum, tactus uero plurium contrarietatum est, quæ non possunt reduci ad unam; & ideo semper Arist. procedit a notioribus nobis, ad ignotiora, item de rationali anima loquendo Primo incipit ab imperfectiori, ut ab intellectu potentia, ad intellectum agentem, quia ille erat notior nobis, quàm esset intellectus agens, ultimo loco processit ad uirtutem secundum locum motiuam, & ob hoc quia nostra notitia incipit ab imperfectiori, & tendit ad perfectius, & ideo incipit semper ab eo quod est notius nobis.

Secundo aduertendum, quia dicit, tres sunt definitiones, dictum est, quòd formalis definitio ostendit materialem sciendum enim, quòd duplex est definitio, materialis, & formalis, item materialis duplex est, una quæ summitur a materia alia ab efficiente, quia quæ summitur a materia, alia est ab efficiente, quia quæ summitur a forma demonstrat illam quæ summitur a materia, item formalis duplex est, una quæ summitur a fine, alia quæ summitur a forma, illa quæ summitur a fine, demonstrarat illam quæ ab efficiente summitur, tertio est definitio sola positione differens a demonstratione, Accipiemus duplicem definitionem, semper materialis definitio præcedere debet formalem, quia genus est, ut materia, differentia ut forma, Ideo primo genus est ponendum in definitione, deinde differentia, item si coniunguntur duæ definitiones, ad integrandum unam, semper debet præcedere materialis, quod est ut genus, aliter non esset bona definitio unde ista, homo est rationale animal, non est bona definitio secundum Arist. exemplum, ut de ira est duplex definitio materialis, ut ira est feruor sanguinis circa cor, formalis ut ira est desiderium ulciscendi, tunc cum uolumus demonstrare definitionem, quòd scilicet irato feruet sanguis circa cor, & ita quando uolumus ostendere unam definitionem per aliam, semper debet præcedere formalis definitio, si uero coniungere uolumus utranque definitionem, tunc debet præcedere definitio materialis, & dicere, ira est feruor sanguinis circa cor ob appetitum reponendi ingiuriam, & ita definitio est demonstratio tota positione differens ab ipsa, quia solo terminorum ordine, differunt a definitione ipsa demonstratio.

Dicetis, tu dices, quòd duplex est definitio materialis, & formalis, ex Arist. est dubitatio, quia causæ sunt inuicem causæ, & per omne genus causæ licet demonstrare, cur ergo sicuti definitio sumpta a forma demonstrat sumptam a materia, sumpta autē a materia non demonstrat sumptam a forma, quia sunt ibi inuicem causæ, nam materia est causa formæ, & forma materiæ.

Secundo, quia finis & efficiens secundo physic. sunt sibi inuicem causæ, finis mouet efficiens ad operandum, ut locus terre, mouet Glebam ad descendendum deorsum, agens etiam est causa finis, quia graue in terra, est causa, quòd sit in loco suo, cur igitur illa quæ summitur ab efficiente non demonstrat illam quæ summitur a fine, sicuti fit, quæ summitur a fine, Dico ad hoc sicut dicit Linconiensis secundo posteriorū, scilicet quòd materia non proprie causa respectu formæ, sicut forma respectu materiæ, ideo definitio sumpta a forma, bene demonstrat sumptam a materia, definitio tamen sumpta a materia, non demonstrat illam, quæ summitur a forma.

Lectio XLVII.

ERAT difficultas quomodo, cum causæ sibi inuicē sint causæ, sicut enim effectus est causa finis ita finis efficientis, quomodo igitur definitio sumpta ab efficiente quæ materialis dicitur, non demonstrat sumptam a fine, id est formalem, Dico, re uera, finis est causa efficientis, & efficiens finis, sed non ut finis sed ut efficiens nam finis habet duplex esse, scilicet esse intensum, & hoc mouet efficiens, & est finis, secundo habet esse, quo postea producit, & tunc non habet amplius rationem finis, sed efficientis, ut patet, de igne agente in ligno, qui postquam genitus est in ligno, non habet rationem finis, sed efficientis quia tunc iam est effectus, & ita a fine pro ut causa est, summitur definitio formæ, a fine uero quatenus efficiens est non amplius summitur definitio, & ideo definitio sumpta ab efficiente, non potest demonstrare sumptam a fine, quia finis.

Tertio pro exemplo Arist aduertendum est, quia dicit duplex potest esse definitio, altera quæ dicat, quia est, altera, quæ dicat propter quid est & dedit exemplum de quadrato, cuius duplex est definitio, una materialis, quæ dicit quia est, altera formalis, quæ dicit propter quid est, pro exemplo igitur, quòd figura quadrilatera triplex est, aliqua enim est equalium laterum, & inequalium angulorum, quæ dicitur. Romboides, secundo est illa equalium laterum & equalium angulorum, & ista dicitur quadrata, ubi sunt duæ

lineæ

lineæ longæ maiores reliquis, ut si sunt duæ lineæ octo pednm & aliæ duorum pedum. Tertio est figura inequalium laterum & inequalium angulorum, & ista caret nominæ, & dicimus quòd cuilibet quadrangulo est dabile quadratum equalis continentiæ, ideo hæc figura quadrata, habet duas deffinitiones, prima materialis, scilicet quòd quadratum est figura quadrilatera altera, parte longior. Alia est formalis definitio, quæ reddit causam illius, & est illa quãdo dicit quadratum est figura in qua inuenitur linea proportionalis media inter latera inequalia quadrati, & quomodo inuenitur ista media proportionalis, inter latera quadrati, O' dico aliquando fit per numeros ut si multiplicemus, primo latera quadrati, & minus multiplicemus in maius, & radix illius numeri tunc fit quadratum, ur puta bis octo faciunt sexdecim modo radix quadruple erat quattuor multiplicamus siue dicamus, in se, quod est quattuor. tunc fiet sexdecim, qnia quattro uia quattro sedeci, & de hoc uide Euclidem 6. lib, secunda propositione, ubi dicit si cubũ in alium cubũ ducatur, ipse quoque cubus est dicit ergo Arist. si dicamus, quòd quadratum est figura, quæ fit ex linea media secundum proportionem, inter latera inequalia quadrati, ista est definitio formalis, quia dat causam.

Quarto aduertendum circa uerba Arist. quia dicit. *Nunc autem ut conclusiones rationes terminorum sunt*. Hæc uerba tripliciter exponuntur primo dicit Alexander, nunc autem ut conclusionẽ rationes, id est quædam definitiones, sunt ut conclusiones teminorum syllogismorum, & ista est prima expositio Alexandri, & hæc difficilis est, Ioan. etiam uidetur corrupta littera secundo dicit Alexander, quòd Arist. usus est genitiuo, pro nominatiuo, & nominatiuo pro genitiuo, ita ut dicat, definitiones quædam sunt ut conclusiones, quæ suut termini, ut sunt fines terminorum, id est syllogismorum, clarius dicit Ioan. & Simpl. ut dicamus, nunc autem sunt definitiones quædam ut conclusiones, id est ut prædicata conclusionum, in syllogismo, id est definitiones materiales, quædam uero sunt rationes terminorum, suut definitiones definitionum, quæ assumuntur ad ostendendum aliam definitionem, de definito, & iste dicuntur formales definitiones.

Dubitatio est quia Arist. loquens de definitionibus animæ, quia prima definitio animæ erat sicuti quod dans quia est, ipsius animæ, ur anima est actus corporis, alia quæ danda erat est formalis respectu illius, & cum dicitur, anima est qua primo uiuimus uegetamus, secundum locum mouemur, & ista secunda reddit, inquit causam primæ, ut est principium demonstrationis illius, sed dubitatur, quia nou uidetur, quòd illa secunda sit principium demonstrationis, quia si sic, tunc illa secunda debebat præcedere primam, quia ponuntur principia antequam cõclusiones fiant, sicuti faciunt mathematici, quia primo supponunt principia, antequam demonstrent, secundo & fortius, quia prima definitio, dicit, anima est actus primus corporis, & ita datur per actum primum, secunda uero datur per operationes, quia dicit, anima est id quo primo operamur, sed actus primus, sed causa secundæ, & non econtra, ergo prima definitio se habet, ut causa respectu, secundæ, & non econtra, tum tertio, quia utraque harum definitionum datur per posteriora ipsa anima, quia illa prius per corpus organicum, ista uero per operationes, quæ ambo sunt posteriora ipsa anima, quomodo ergo una est causa respectu alterius, quia causa debet esse prior causato, propter hanc dubitationem, Dicunt aliqui ut D. Thom. quòd secunda non debet dici causa primæ nisi quo ad nos, & sic inferendo sicuti dicimus, quòd effectus, in inferendo est ut principium respectu causæ, prima uero in essendo & uera causa, & propter quid respectu secundæ, si antem appellauir Arist. secundam causam respectu primæ, hoc fecit quia loquitur de eo quo ad nos, & in inferendo ita dicit, D. Thom. sed contra istat Egidius, eius discipulns, quia si secunda deffinitio est causa respectu primæ, qno ad nos, debuit ergo præcedere primam, quia primo physic. innata est nobis uia, ut ex notioribus uobis, & certioribus, secundo quia falsum est, quòd prima sit uere causa, respectu secunde, quia secunda datur per operationes, sed operatio est perfectior, quàm corpus organicum, ergo secunda definitio constat ex perfectioribus, ergo ex prioribus naturæ, ergo definitio secunda est uere causa, qnia priora naturæ sunt, ut causa respectu posteriorum. Tertio arguit argumento Auer. quia dicit Auer. prima definitio dat causam remotam animæ, secunda dat causam proximam, sed semper causa proxima effectiua demonstrat remotam, ut ex hoc, quòd homo est ergo suur quattuor elementa, ergo semper causa proxima est uere causa, ergo secunda definitio est uere causa primæ, quòd antem prima definitio detur per causam remotam, secunda per proximam, probatur dupliciter, primo, quia prima tãtum exprimit genus definiti, ut actus, secuuda explicat differentiam, quia explicat operationes proximas partium animæ, differentia autem, est ut causa proxima, genus autem ut causa remota, ergo secunda est uere causa primæ, & non in inferendo, item probatur, quia secunda definitio datur per operationes, quæ operationes sunt causæ proximæ passionum animæ, ut patet, prima datur per genus, quod non est causa proxima, ergo secunda est uerior causa, quàm prima, sed rationes Egidij nihil cogunt contra D. Thom. non dico tamen, quòd ipse D. Thom. recte sentiat, nec ipsum uollo tueri, uollo tamen osten-

dere, quòd nihil cogunt argumenta Egidij contra ipsum D. Thom. ideo cum dicit, si secunda definitio est causa primæ, ergo debet præcedere ordine doctrinæ, nego, O' tu dicis & probas ex Aristot. primo physi. Dico φ duplex, est processus, Vnus in ordine doctrinæ, qui fit inter partes scietiæ inuicem inscribendas, & iste describuntur eo ordine quem habent præfixum a natura, alius est processus inter partes describendas in doctrina, quæ dicitur uia doctrinæ, & est demonstratio & ista bene procedit a notioribus nobis, sed ex ignotioribus, ergo ad naturam, & ideo argumentum nihil est, quia Arist. primo physic. loquitur de uia doctrinæ, quæ fit ex notioribus, ita de secundo dicit datur secunda deffinitio per perfectiora, quàm prima concedo, sed omnia perfectiora sunt priora naturæ, Dico quòd hoc est falsum, ut patet, quia compositum est perfectius quàm prima materia, tamen materia prima est natura prior, & ideo simpliciora sunt priora natura, & non perfectiora, bene tamen perfectiora, aliquando sunt etiam priora natura, sed non est uerum semper hoc quod dices.

Quod addis etiam tertio, quia prima definitio accipit genus, Secunda differentiam proximam partium animæ, sed causa proxima demonstrat remotam affirmatiuæ, non negeratiuæ, ergo secunda definitio est uere causa, Dico cum dicis, secunda definitio datur per causam proximam, prima per remotam, dico quòd etiam prima datur per causam proximam, quia dicit anima est actus corporis, Reliquæ uero partes circumloquuntur nobis differentiam, non igitur una est causa alterius, licet illi sint nobis ignore, ubique igitur datur per causam proximam, ideo ad hoc nihil habet, Quod addit, operationens animæ sunt causæ proxime passionum animæ, Dico φ ista definitio dupliciter datur, datur quidem per causam proximam passionum animæ, non tamen, quòd assumat causam proximam, per quam prima definitio insit suo definito, Ideo ista argumenta non cogunt. Et ideo aliter arguo ego, contra D. Thom. primo, quia si dices quòd prima definitio se habet ut propter quid respectu Secundæ, ergo Arist. appellat effectum propter quid, respectu causæ, & causam etiam respectu effectus, quia secunda definitio datur per effectus & operationes, secundo, quia dicit Arist quòd quadratum habet duas definitiones materialem, & formalem, est formalis, quæ est secunda, & est uere causa, & propter quid respectu prioris, & quia definitio est unus effectus, non ergo prima potest esse uere causa respectu secundæ, alioquin non esset conueniens, Tertio & fortius. Quia Arist. inquit quòd prima definitio data, est materialis, secunda est formalis, quæ est uere causa respectu materialis, ergo secunda causa, est causa respectu primæ, etiam in essendo, & non quo ad nos, & ideo aliter. Dicit Auer. ubi inquit, neque prima definitio demonstrat istam secundam, neque causam eius, neque secunda demonstrat primam, O' ad Arist. quia dicit definitio prius data, se habet ut efficiens, & secunda, & ut principium, Dicit quòd Aristot. dicit quòd definitio prius data, est ut conclusio, ista secunda erat ut principium, dixit, ut conclusio, & ut principium, quia illa non est uere conclusio, & secunda non est uere principium, quia prima definitio est notior nobis, non ergo potest demonstrari a prima, quia notius non potest demonstrari per ignotius & ita formalis definitio non potest demonstrare materialem, nec etiam materialis formalem, ut dicit Arist. sed ista responsio Auer. multipliciter peccat, Primo quia non dicit, prima definitio est ut conclusio, & secunda ut principium, sed uniuersaliter loquitur, de omni definitione, & ideo uerbum ut non additur, solum specialiter respectu huis definitionis, secundo quia definitio data, est formalis, prima data est materialis, sed formalis definitio demonstrat materialem, ergo, tertio quia sibi aduersatur Auer. quia infra 25. tex. dicit Auer. quòd illa demonstratio quantitatis Arist. est demonstratio causæ, & esse, aut causæ tantum, & illa demonstratio de qua meminit Ar. hic, illa igitur est demonstratio propter quid, & est uere causa istius primæ, quarto peccat in ratione sua, quia dicit secunda non potest demonstrare primam, quia prima est notior nobis, Sed dicat, non ne in naturali philosophia primo procedimus ab effectu in causam postea regredimur a causam in effectum, & ista est scientia, & tamen effectus est notior nobis notitia. Quia causa non est notior nobis notitia propter quid, Dico igitur cum Egidio, quia in præualet in hoc Egidius, scilicet quòd secunda definitio sit uere causa, respectu primæ, quia secunda est formalis, prima est materialis, O' ad argumentum Auer. Tu dices, si secunda demonstrat primam, debet ergo præcedere, quia in mathematicis, primo ponuntur principia, quàm conclusiones. Dico non sequitur, quia prior erat uniuersalior, & uniuersaliora ordine doctrinæ præcedunt, O' dices, principium demonstrandi debet præcedere demõstrationem, ut in mathematicis, O' dico, principia in mathematicis, quæ præcedunt non ingrediuntur actualiter demonstrationem, sed potentia, De secundo, quia prima definitio datur per actum primum, secunda per secundum, sed actus primus est causa, secunda uero contra, Dico quòd actus primus est causa respectu secundi, sed etiam secundus est causa respectu, primi, quatenus est finis istius, ideo secunda definitio se habet ut formalis respectu primæ, sicut actus secundus est causa, respectu primi, argumentum nihil est, Quod addis tertio, quod utraque harum definitionum alterum per poste-

poſteriora petitur, natura ergo datur per cauſam. Dico quòd licet non detur per cauſam reſpectu animæ operationem, tamen ſe habent ut cauſæ finales, reſpectu corporis organici, & iſte uidetur melior modus dicendi, quàm alij, ſcilicet quòd ſecunda definitio ſe habet ut cauſa reſpectu primæ, ut dicit Ariſt. quia prima eſt materialis, ſecunda eſt formalis.

Lectio XLVIII.

REMANSIT ſecunda dubitatio principalis, nunquid prima definitio ſit nobis notior, quàm ſecunda, & ſequens, quia Ariſt. dicit, quòd ſecunda definitio eſt notior, quia demonſtrat primam, & eſt formalis, Ex uerbis Auer. argumentatur, quòd prima ſit notior, quia uniuerſale eſt notius ſingulari, & totum, eſt notius ſuis partibus, ſed prima definitio, ſed habet ut totum, reſpectu ſecundæ, & eſt uniuerſalior, ergo ſecunda eſt notior. Ex alia parte arguo, quia ſecunda oſtendit priorem, ſicut formalis materialem, ergo ſecunda eſt nobis notior illa. Tum ex alio quia illa prima datur pro corpus organicum iſta uero ſecunda per opera, ſed opera ſunt notiora nobis, quàm corpus organicum, quia ex operibus inueſtigamus partes organicas, ergo ſecunda definitio eſt notior prima.

Videtur mihi dicendum, quòd ſecunda eſt notior prima, quia eſt formalis, illa uero materialis, ſed formalis eſt notior materiali, ergo, ad argumentum Auer. quia totum eſt notius partibus, ſed prima definitio datur de tota anima, ſecunda de partibus, ergo, Dico, quòd & ſi ad hanc rationem demonſtratio prior ſit notior, tamen quo ad alias rationes, ſecunda eſt notior, quia illa eſt formalis, & quia eſt data per opera, quæ ſunt nobis notiora, ideo ſimpliciter eſt notior. Tertia dubitatio eſt, nunquid ſequens definitio danda, ſit una definitio an plures. Albertus Gaietanus, & alii dicunt, quòd ſicut prior definitio eſt una, qua definitur anima in genere, ita etiam ſecunda, ſed cur dicit ſecunda ſpecialis reſpectu primæ, dicit quia ſecunda datur per differentias proprias, partium animæ, & non prima, nam, illa prior explicat genus, ubi dicit actum eſſe corporis, ſecunda uero explicat differentias, quia dicit anima eſt id quo augemur, & nutrimur, quæ ſunt opera quibus ſpecificantur partes animæ. Poſſumus fortificare opinionem iſtam uerbis Ariſtotelis, in exemplo Ariſt. de quadrato, quia ſicut quadratum, duas habet definitiones, ſcilicet materialem, & formalem, ita unius animæ in genere, dicuntur eſſe duæ definitiones, aliter non eſſet uerum exemplum, Et ideo aliter dicit Egidius, & Ioannes Grammaticus, quia dicunt, quòd iſta ſecunda definitio non eſt una, ſed tot ſunt definitiones animæ, quot ſunt differentiæ poſitæ in definitione, & ideo in ſecunda definitione definit Ariſt. quattuor partes animæ, quaſi dicat, uegetatiua potentia eſt qua primo uegetamus, dico qua primo uegetamus, quia dupliciter uegetamus, anima, ſcilicet & corpore, ſecundo eſt ſenſitiua, qua primo ſentimus, intellectiua qua intelligimus, rationem affert Egidius, quia partes definiti, per ſe debent ineſſe definito, ſed differentiæ ſpeciales ſpecierum; non per ſe inſunt generi, neque in rationali per ſe ineſt animal, ergo ſi id quod ſic definitur eſt genus, quod eſt animal, ergo non datur iſta definitio per ea quæ inſunt generi, ſecundo quia ſi definitur hic genus, quod eſt anima, ergo debet competere iſta definitio cuilibet contento, ſub definito, id eſt cuilibet ſpeciei animalis, quod eſt falſum, quia non competit uegetatiuæ, quia ipſa non eſt qua primo ſentimus intelligimus, ſed ſolum eſt qua primo uegetamus, ergo iſta non poteſt eſſe definitio generis, non ergo definitur genus quod eſt anima, ſed definiuntur ſpecies animæ, Tertio ex quo iſta definitio eſt principium demonſtrandi priorem, quia illa erat imperfecta, ideo debet illa imperfecta per iſtam perfectam definiri, non ergo definitur genus, quia non poteſt definiri genus animæ perfecta definitione, quia genus animæ equiuocum eſt, ut ſanum uere, eſt urina ſana & pharmacum ſanum, & alia quæ non poſſunt definiri unica definitione ſani; ideo non poteſt dari una definitio, quæ omnibus competat, quæ ſit uniuoca, ita & anima, quia ſunt plures, ideo oportet dare plures definitiones, non autem unam. Tum ex alio, quia dicimus, quòd anima eſt actus, ſed actus eſt equiuocum, ſed definitio non debet dari pro equiuocum, aſſumptum patet, quia actus primus non dicitur uere de tribus animæ partibus, ideo non poteſt dari definitio de genere animæ perfecta, ideo non eſt definitio de ſpeciebus, & partibus animæ. Tum ex alio argumentatur ex Ariſtot. in tex. trigeſimo, ſecundi huius, ubi habet ſicut mathematico ad habendam notitiam ipſius figuræ, non ſufficit habere definitionem figuræ in genere, ſed debet deſcendere ad omnes ſpecies figuræ, quia primo genus, & poſtea ſue ſpecies, ſpectant ad eandem ſcientiam, & ita dico de anima quia non ſufficit habere definitionem ipſius animæ, ſed oportet deſcendere ad quamlibet partem ipſius animæ.

Sed quattuor ſunt primæ potentiæ animæ, id eſt uegetare, ſentire, intelligere, & ſecundum locum mouere, ideo quattuor ſunt eius definitiones, & hæc uidetur melior opinio, & ad argumentum D. Thom. quia quadratum haberet demonſtrationem materialem, & formalem, & ſunt eiuſdem rei alioquin exemplum Ariſt. non eſſet ad propoſitum. Dico quòd exemplum non eſt ita ſimile, neque ſequitur identitas ad exem-

plum, sed similitudo, satis enim est, quod sicut in illo, formalis definitio demonstrat, materialem, ita de anima accidit, & ideo definitio sequens demonstrat priorem, sed sint plures definitiones sicuti formalis definitio quadrati demonstrat materialem.

Textus XIII.

DICAMVS igitur principium accipientes intentionis determinari animatum ab inanimato in uiuendo, multipliciter autem ipso uiuere dicto, & si unum aliquod horum insit solum uiuere ipsum dicimus, ut intellectus, & sensus motus, & status secundum locum. Adhuc autem motus secundum alimentum & decrementum & augmentum.

Dicamus igitur principium. His expeditis, quia Arist. dicit, quòd post communem definitionem, quærenda erat specialis, ideo ex notioribus nobis, ignotioribus autem naturæ debet a nobis inquiri ipsa definitio formalis. Dicit ergo, accipiamus principium considerationis, quo definimus animam formali definitione, ex hoc quòd uiuens animatum distinguitur ab inanimato, ipsa uita, animatum est nobis notius, quia est totum respectu istius, quòd scilicet distinguatur animatum, & inanimatum ipso uiuere, sumpto igitur illo sequitur, quòd proprium animati est uiuere, sed uiuens uiuit per animam, igitur proprium animæ est uiuere, & subdit, quattuor modi sunt uiuendi, scilicet per uegetatiuam uitam, sensitiuam, intellectiuam, & secundum locum motiuam, & ex una dicitur corpus naturale uiuere.

Textus XIIII.

VNDE & uegetabilia omnia uidentur uiuere, uidentur autem in seipsis habentia potentiam & principium huiusmodi per quod augmentum & decrementum suscipiunt secundum contrarios locos, non enim sursum quidem augentur, deorsum autem non, sed similiter in utroque & penitus quæcunque aluntur & uiuunt in fine quousque possunt accipere alimentum.

Vnde & uegetabilia. Quia dicit quòd per quamcumque harum dicitur corpus naturale uiuere. Probat hoc, quia plantæ dicuntur uiuere, quibus inest sola uegetatiua, & subdit quòd plantæ uiuunt sola potentia uegetatiua, cuius tria sunt opera, nutrire, scilicet, augere, secundum tria loca, id est, secundum omnem dimensionem, quia duobus modis fit auctio, proprie scilicet & improprie, quæ improprie dicitur, est, quæ dicitur appositio, ut quando addimus cumulum frumenti alteri cumulo, proprie uero dicta est quæ fit per nutritionem, quæ fit secundum omnes dimensiones, & quælibet pars augetur, ideo fit secundum contraria illa auctio, id est secundum omnes dimensiones, latum longũ & profundum, tertia operatio uegetatiuæ, est sibi simile generare & addit, quòd tamdiu durant plantæ & animalia omnia, quamdiu durat nutritio, ita dicit in 8. physic. & idem in lib. de longitudine, & breuitate uitæ, & per nutritionem, non intelligimus conuersionem nutrimenti in substantiam nutriri, quia prope mortem animal uiuit, & tamen non transmittitur in substantiam nutriti, aut quòd præparatur aut quòd alteretur ad conuersionem in substantiam nutriti.

Textus XV.

SEPARARI autem hoc ab aliis possibile est, alia autem ab hoc impossibile in rebus mortalibus, manifestum est autem in his quæ uegetantur, neque enim una est in ipsis potentia alia animæ.

Separari autem. Hic addit quòd scilicet prima uegetatiua possit separari ab aliis potentiis, Aliæ tamen non possunt separari ab illa, natura uniuersaliter dicit, infra, semper imperfectiores potentiæ separari possunt a perfectioribus, non econtra perfectiores possunt separari ab imperfectioribus, ideo non potest esse sensitiua, neque rationalis, neque motus progressionis sine uegetatiua, in mortalibus, addit, in mortalibus, quia in uirtutibus perpetuis, & immortalibus possunt separari perfectiores potentiæ ab imperfectioribus, & ratio est, quia corpora uiuentia continua actione caloris quia egent calore maximo, quia calor agit in reliqua membra, sicut in sanguine, ut ex sanguine regenerentur spiritus, & nunquam reponit animal ei quod deperditur, & ob hoc decursu ætatis in omni est fieri mors, & ideo corruptibilis, hoc uerum est, quia partes uiuentium corruptibilium resoluuntur a calore innato, ideo eget uirtute qua reponatur quod deperditur, ista appositio fit per nutritionem, sed in cœlo non opus est ista appositione, quia ibi non est ista resolutio, ideo non egent nutritiua potentia.

Textus XVI.

VIVERE quidem igitur propter hoc principium est in omnibus uiuentibus. Animal autem propter sensum primum, nanque quæ non mouentur, neque mutant locum habentia autem sensum animalia dicimus, & non uiuere solum. Videntur autem & huiusmodi multa esse animalium, manentia autem cum sint natura, habent solum sensum.

Viuere quidem igitur. Subdit quòd sicuti plantæ & uiuentia corruptibilia primo uiuunt anima uegetatiua, ita etiam sunt animalia, primo anima,

ma sensitiua, & in potentia sensitiua, primo sunt animalia sensu tactus.

Textus XVII.

SENSITIVVM autem tactus primo inest omnibus, sicut autem uegetatiuum potest separari a tactu & ab omni sensu, sicut & tactus ab aliis sensibus, uegetatiuum autem dicimus, partem huiusmodi animæ, qua & uegetabilia participant, animalia autem omnia uidentur tangendi sensum habentia.

Sensus autem tactus primo inest omnibus, Addit Arist. qualis est ordo uegetatiuæ, ad reliquas potetias animæ, quia uegetatiua est prior, ita tactus se habet ad alios sensus, qa iste est primus omniū, & sicut ille est sensus primus ita separatum ab aliis sensibus, & alii sensus non possunt ab illo separari, & quòd assumptum sit uerum patet, quia aliqua animalia habent solum tactum, ut Zoophite aliqua habent tactum, & gustnm, & non alios, ita alia ultra hæc habent olfactnm, aliqua cum hoc auditum, aliqua ut perfecta habent omnes sensus, & ita imperfectiores sensus a profectioribus possunt separari, perfectiores uero ab imperfectioribus non possunt, sicnti imperfectior pars animæ potest separari a perfectiori, & non econtra, perfectior ab imperfectioti potest separari, causa uero cur uegetatiua posit separari ab aliis & tactus similiter, & non econtra, ostendit, tertio huius, & ratio est superius dicta, quia continue deperduntur humiditates membrorum actione caloris innati, ideo egent parte aliqua, qua restauretur, id quod deperditum est, ita etiam tactus, datus est animalibus ad salutem animalium, ut eligerent, quòd erat proficuum, & eui tarent quod noxinm, ideo natura dedit eis sensus, & quia ista nocumenta erant qualitates tangibiles, ut calor, frigus, ideo recte datus fuit sensus tactus animalibus.

Lectio XLIX.

SVPER uerbis lectis, Sunt dubitationes, Primo Ioan. quia dicit Arist. quòd sicut corruptibilia uiuentia primo uiuunt uegetatiua potentia, ita animalia sunt animalia, & tamen carent sensu tactus, Respondit, q Arist. loquitur de animalibus corruptibilibus, diuit tamen, quòd licet iste sensus qui insunt corporibus non insint cœlo, tamen in cœlo sunt præstantiores sensus, & etiam dicit Simpl. secundo cœli, quod dictum si intelligatur superficialiter falsum est, quia dati sunt sensus animalibus propter saluté ipsorum, ne scilicet ledantur a contrariis corruptibilibus, sed cœlum caret contrario, ergo, secundo quia ubi sunt sensus ibi sunt organa seiuncta complexione, & situ, cœlum autem est corpus simplicissimum, Caret ergo diuersitate harum partium, ergo caret sensu, & ita superficialiter intellectum illud uerbum, falsum est, sed si intelligant isti, quòd in cœlo sint sensus perfecti, id est numerus separata ipsa anima, quæ continet in sui perfectione istos sensus, non ita tamen sicut sensitiua, continet uegetatiuam, quia exercent opera eius, quia mens in corporibus cœlestibus, non fungitur operatione sensus, & tunc uerum dicerent isti, & improprie loquitur Ioan.

Secunda dubitatio, quia dicit, animalia quædam solo tactu sunt animalia, & solo tactn uiuunt, est dubitatio, quia Arist. sibi contradicit, quia in principio de sensu, & sensili dicit, duo sensus sunt necessarij omnibus animalibus, sensus tactus, & gustus, ergo, Dico quòd dupliciter, potest, sumi gustus, perfecte, scilicet, & imperfecte, gustus perfectus est, qui sentit sapores, & iste non inest omnibus animalibus, quia iste non inest conchilibus, alius est imperfectus, & iste non sentit sapores, sed sentit qualitates primas, quibus cognoscunt conueniens nutrimenrum a non conuenienti, & quia qualitates primæ sunt tangibiles, ideo iste gustus est quiddam tactus, & ita nulla est contradirio quia in illo loco loquitur de gustu imperfecto, cum dicit omnibus alijs inest gustus, & iste gustus comprehenditur sub tactu.

Textus XVIII.

PROPTER quam autem causam utrunque horum accidit posterius dicemus, nunc autem intantum dictum sit solum, quòd est anima horum quæ dicta sunt principium, & his determinata est, uegetatio, sensitiuo, intellectiuo, & motu.

Textus XIX.

VTRVM autem unumquodque horum est anima aut pars animæ, & si pars, utrum quidem sicut sit separabilis ratione solum, aut in loco. De quibusdam autem horum non est difficile uidere, quædam autem dubitationem habent.

Propter quam autem causam utrunque horum accidit. Auer. hic uult esse tres quæstiones, sed melius dicit Ioan. qui dicit, postquam Arist. dixit, quòd quattuor erant potentiæ animæ, uegetatiua, scilicet sensitiua, rationalis, & secundum locum motiua, hic repetit quæstionem propositam primo huius, nunquid hæ potentiæ quattuor animæ seiungantur ab inuicem, secundum partes corporis, si tu & figura, ut dicit Themist. uel non separentur situ & figura, Quærit igitnr Arist. nunquid sint distinctæ iste potentiæ loco, & subiecto an sint idem loco, & subiecto, sed differunt ratione tantum, & iste est uerus sensus uerborum

Arist. Soluit ergo Arist. quæstiones dicens, quòd de quibusdam potentiis animæ, non est difficile uidere, quòd seiungantur loco, & figura, & dat duo exempla, primum dicit sicut in plantis, uidemus enim in illis, ꝙ tres sunt nirtutes animæ uegetatiuæ indistinctæ loco, & subiecto, sunt enim in qualibet parte plantæ, nt patet, quia auulso uno ramo plantæ, si defodiatur in terra uiuit, & exercet omnes operationes animæ uegetatiuæ, sunt igitur hæ potentiæ in planta indistinctæ tamẽ non essent in una particula omnes iste potentiæ, secundum exemplum est de animalibus insectis quia ista animalia, ut laceræ & uermes quas Græci appellant ...... quia habent anulos quibus diuiduntur partes corporis illorum, & ista carent sanguine, Dicit ergo Arist. in istis animalibus quattuor potentiæ animæ sunt indistinctæ loco & figura, & quæ sunt iste potentiæ, O sunt sensus, & nomine sensus, intelligit interiores sensus, sed quando facit mentionem de sensu exteriori, semper dicitur sensus primus, & hic intelligit primo de sensu tactus secundo de appetitiua uirtute, tertio de secundum locum motiua, quarto de imaginatiua ipsius, & quattuor potentiæ sunt indistinctæ, in toto animali insecto,. & ideo auulsa qualibet parte animalis testant & inueniuntur iste quatuor potentiæ, de sensu patet, quia si pungatur cauda lacerte figit, & contrahitur, ergo illa cauda disecta habet sensum, ergo si habet sensum, habet & appetitum, quia ubi est sensus, ibi est apprehensio proficui & nociui, quia proficuum eligit & noxium refugit, & iste sunt operationes concupiscentiæ, & concupiscentia est appetitus, ut dicemus, ergo ubi est sensus ibi est appetitus, in omni, etiam parte est uirtus, secundum lucum motiua, quia ut patet, cauda lacerte mouetur de loco ad locum, si ergo in quatuor partes sint iste quattuor uirtutes, ergo sunt indistinctæ loco & figura, assumptum dicit Ioan. patet manifeste ut si apponamus corpus durũ tunc fugiunt conchilia, si uero apponamus aquam exeunt, & eligunt, ideo omnia iste animalia imperfecta habent concupiscentiam, ergo habent appetitum, ergo & phantasiam, Hic sunt dubitationes, Prima Ioannis Grammatici, secunda Latinorum, Prima dubitatio Ioannis, Est quia Aristotel. dicit, quòd una est differentia in tota planta, quia planta est per se una & indiuisibilis, quomodo ergo planta & anima diuiditur ad diuisione subiecti, secunda dubitatio est, quia exẽpla Arist. non sunt ad propositum, quia quærit Arist. quomodo quattuor potentiæ animæ seiungantur ab inuicem loco, & figura modo in plantis non est nisi anima uegetatiua, & nulla alia potentia, quàm ista, & ita primum exemplum de ramo auulso non est ad propositum, neque etiam secundum exemplum est conueniens, quia Arist. non quærit de appetitu, neque de phantasia, quã dicit esse in insectis, sed quærit de omnibus quattuor uirtutibus animæ, scilicet uegetatiua, sensitiua, intellectiua, & latiua, Tertio est difficultas, quia inquit Aristot. quòd in animalibus insectis quattuor sunt uirtutes indistinctæ, loco & forma sensus appetitus, motus localis, & imaginatiua, sed aduersatur sibi, quia 19. tex. huius dicit, nunquid omnibus animalibus insit phantasia, & dicit, hoc tamen dicetur postea in fine secundi, & in principio tertij, dicit non omnia animalia habent phantasiam, Tum etiam quia 32. tex. dicit non omnia uiunt nedum rationali, sed nec etiam phantastica, confirmatur, quia tertio huius dicit Arist. quia animalia habent phantasiam, quæ mouentur absolute & habent motum absolutum, animalia uero, quæ habent motum in absolutum, & obscurum, ut uermes, & lacerte, ista animalia non habent phantasiam, confirmatur, quia in regula Arist. infra, in potentiis animæ ubicunque est imperfectior potentia ibi semper est perfectior, & non econtra, loquitur igitur de mortalibus uiuentibus, sed phantasia est perfectior quolibet sensu exteriori, ergo ubicunque est phantasia, ibi sunt omnes sensus exteriores, sed in istis animalibus insectis non insunt omnes alij sensus, ut patet, neque ergo phantasia. Ex alia parte tamen est uerbum Arist. quia dicit, si habent sensum, ergo & appetitum, ergo necesse habent phantasiam.

Quarta est dubitatio Ioannis sparsim tamen hæc dicit, quia non est uerum, quòd omnes potentiæ sentiendi indistinctæ sint loco & figura, quia oculus est distinctus a manu, De primo respondet Ioan. qualibet anima est una indiuisibilis, Dico dicit ipse, quia in omni planta est medulla, aut quid proportionale medullæ, ideo in qualibet parte plantæ est anima indiuisibiliter, quia est in medulla indiuisibiliter, de hoc ctas dicam longiori sermone, De secundo quia exempla Arist. non uidentur ad propositum, ut patet, quia primum loquitur de potentiis animæ uegetatiuæ, Dico quòd re uera exemplum Arist. non est ad propositum, sed exemplum ponitur, pro exemplo, possumus tamen dicere, quòd & si Arist. loquatur de istis quattuor potentiis animæ, illius tamen ad ampliorem doctrinam, ad potentias animæ negetatiuæ. De tertio, quia hic dicit, omnium animalium est sensus, si sic, ergo & appetitus, & phantasia, sed aduersatur sibi ut dixi, in locis citatis, Dubium est Ioan. & dicit, Dico quòd Arist. non probat de facto, quòd ubi est sensus, & appetitus, ibi sit phantasia & ita licet non probet hoc, infert tamen, nisi dicamus, quòd insit istis phantasia obscura, Sed Auerroes probat, quòd quodlibet animal, habet uirtutem imaginatiuam, primo, quia dicit Aristotel. infra, si est animal, ergo habet sensum, ergo & appetitum, & sequitur, quia appetitus

petitus est, semper rei absentis, amor uero rei præsentis, omnis igitur appetitus est rei absentis, sed comprehensio rei absentis, non fit nisi per imaginationem, & phantasiam, ergo cuilibet animali inest phantasia. Tum secundo, quia dicit Auer. si cuilibet animali inest motus loci absentis, ergo habet appetitum rei absentis, comprehendit ergo rem absentem, sed hic est motus phantasiæ, ergo cuilibet animali inest phantasia. Quomodo defendemus Aristotelem dicentem, quòd animalia uiuunt, ne dum rationali uirtute, sed phantasia. Dicit Auer. quòd duplex est phantasia, sine imaginatiua, perfecta, scilicet, & imperfecta, perfecta est quæ apprehendit sensibilia in absentia, & ista non est in cauda lacertæ, nec in alio animali insecto, quia ibi non est distinctio organorum, & de hac phantasia loquutus est Arist. cum dicit, non cuilibet animali inest phantasia, alia est phantasia, quæ non apprehendit sensibilia, nisi in præsentia, & de ista loquitur hic Arist. sed quid dicit Auer. quia quæ uirtus est ista, nam uirtus quæ non operatur nisi in præsentia obiecti, est sensus exterior aut communis, phantasia uero in absentia cognouit, quomodo igitur illa phantsia imperfecta est phantasia, secundo, quia est implicatio in uerbis suis, quia dicit, ista uirtus mouetur ad locum absentem, ergo desiderat locum absentem ergo ista est phantasia perfecta, ergo implicat in uerbis suis Auer. & sequitur ex Auer. quòd in animali quolibet esset memoria, quia si mouetur cauda lacertæ ad non absentem, conseruauit, ergo simulacrum rei absentis, Item quia fatuum est dicere, quòd moueatur cauda lacertæ ad locum absentem, quem imaginatur, quia mouetur illud animal, quia fluit a toto, ideo mouetur illa cauda lacertæ, quid ergo dicendum.

Certe sum dubius. Credo tamen quòd phantasia imperfecta, quæ est in animalibus insectis, non sit aliud quàm sensus exterior, sed dicatur phantasia imperfecta, quia ipsa uirtus fugit sibi nocuum, & eligit quod est proficuum, & ideo hoc differt a sensu tactus, quia ipsa uirtus partim rem absentem cognoscit, partim præsentem, ut cum apponimus conchilia in aqua & ipsa tangūt aquam, secundum unam sui partem, illa sibi dilatatur, & reliquæ partes corporis tangunt illud obiectum sibi conueniens, & ut sic dicitur phantasia, ita cum pungitur cauda lacertæ illa pars, quæ primo pungitur fugit, & reliquæ etiam partes fugiunt, ne patiantur, & ideo hocmodo habent phantasiam, & ita non est dicendum, quòd in lacertæ cauda sit illa uirtus, quia nunquam uidit locum, neque potest simulachrum reseruare. Quod ergo dicit Ioannes appetitus est rei absentis, dico non semper appetitus est rei absentis, sed etiam rei præsentis, uerum est, quòd illa res non est ex toto præsens, sed partim præsens, & partim absens, si alii tenent quòd in cauda lacertæ sit phantasia, respondeat, quomodo possit moueri ad illum locum cum nunquam uiderit, & non potest habere simulachrum illius rei quam non habet, cogitetis tamen, & uos &c.

Lectio L.

DICEBAMVS de ea potentia animæ, quam Arist. posuit in animalibus, & dixi quòd illa erat phantasia, imperfecta, & est idem re cum actu, sed differt solum ratione; Cuius signum, quòd animalia omnia etiam imperfecta habent istam, quia omnia habent sensum, ergo ista uirtus non seiungitur a tactu, quia tunc non esset uerum, quod dicit Arist. quòd quædam sunt animalia quæ solo tactu uiuunt, ut sunt spongie, & ostrea, sed solum ratione distinguntur ille phantasiæ a tactu, hoc pacto, quia dicitur uirtus tactiua quæ uersatur circa qualitates primas absolute, & per se, sed eadem uirtus dicitur phantasia, quia non cognoscit illud absens, nunquam enim uidit nec habebit eius simulacrum, eodem pacto cum tangit sibi nocuum ista uirtus mouetur, & fugit ad locum absentem, & hoc dicitur phantasia, non tamen est uerum quòd animal sectum. In partes, mouetur ad locum absentem, quem cognoscat, neque mouetur, per appetitum animalem ad ipsum locum, quia appetitus animalis semper est cum cogitatione, animal autē discistum non habet cognitionem illius loci. Dico igitur, quòd animal sectum mouetur ad locum absentem per accidens, quia quærit animal fugere illud corpus, quod intullit sibi læsionem, ista igitur non est diuersa secundum rem a sensu tactus, de hoc tamen magis infra habebimus.

Erat quarta dubitatio, quia dixit Arist. potentiæ quattuor animæ in animalibus uiuentibus non seiunguntur loco, & subiecto, sed nunquid ita sit de perfectis, dicit Ioannes, quòd aliqui dicunt quòd etiam in animalibus perfectis ille uirtutes non seiunguntur loco, & subiecto. Sed dices, uidemus quòd sensus exteriores distinguuntur loco & subiecto, quia in una parte est uisus, in alia auditus & iste sunt diuersa organa horum sensuum distincta loco & subiecto. O dicit Ioannes duplex est organum, primarium, scilicet, & secundarium, si loquamur de organo primario, tunc ille quinque uirtutes sensitiuæ exteriores, non distinguuntur loco & subiecto, quia omnes fundantur in cerebro, quia generatio spiritus animalis, esset causa sensus, & motus, cuius signum, quia si fiat aliqua læsio in cerebro ex festuca aliqua, tunc deperduntur omnes sensus & motus. Tum secundo, quia si ligetur fortiter membrum, pars superior supra ligaturam sentit, inferior uero non sentit, quia non transit

spiritus animalis ad illam partem, ergo omnes sensus principaliter fundantur, in cerebro, & ista etiam uidetur opinio Galen. secundo de locis affectis ubi dicit, a cerebro emanat uirtus quælibet sensitiua, sicuti lumen a sole.

Sed contra istam opinionem arguo, quia apud Aristot. substantia cerebri non sentit, quia cerebrum non aliter sentit, quàm quod uis excrementum, si sic, quomodo ergo cerebrum potest esse principium sentiendi. Secundo quia dicit quòd defertur uirtus ad membra mediante spiritu, sed iste spiritus aut seutit aut non, si non sentit, non ergo potest dare sensum, si senrit ex quo illud est, corpus simplex, & uniforme, non ergo uerum est, quòd anima sit actus corporis organici, uel si sic, non ergo in ipso spiritu erit anima sensitiua. Dico, quia uirtus uisiua est forma ipsius oculi, per quam oculus esse & operationem habet, sicuti figura seminis, & forma ipsius seminis, ergo non effluente spiritu ipsius animalis a cerebro, ad oculos, ut cum dormit, non emanet uirtus ad ipsum. Tunc ergo non esset oculus, tamen oculus dormientis est uere oculus, quia in eo est potentia uisiua, ut dicit Arist. non ergo emanat uirtus uisiua, sed est in oculo. Quarto continue uariarentur hæ uirtutes, quia continue ueniunt alij, & alii spiritus, ergo continue uariarentur oculi, & alia organa sensuum, quia uariata forma, uariatur totum; dicimus uero quòd non uariantur oculi, ideo aliter dicit Diuus Thomas duplices sunt potentiæ animæ, quædam communes, & uniuersales, quædam minus communes, si loquamur de animalibus perfectis, tunc potentiæ communes animæ seiunguntur, si loquamur de communibus uirtutibus animæ, non seiunguntur loco & subiecto, si uero loquamur de particularibus, ut de sensibus exterioribus, tunc isti seiunguntur loco, & subiecto. Contra D. Tho. Surrexit Egidius, quia cerebrum, & ossa in animali perfecto, habent uim uegetatiuam, tamen non habent uim sensitiuam, separantur igitur sensitiua, & uegetatiua, ideo dicit etiam ille communes separantur loco, & subiecto in animalibus perfectis, sed Arist. hic loquutus est de animalibus imperfectis, & in istis non separantur loco & subiecto, & rectius loquitur. Alia est dubitatio communis latinorum, quia dicit Arist. quòd diuisa planta & auulsa particula eius, ut ramus, in eo remanet pars animæ, ita ut anima sit in toto. una actu plures autem potentia, & ita diuiduntur ad diuisionem corporis, ideo est dubitatio, nunquid anima diuidatur, in partes, ad diuisionem corporis. Hic est triplex modus dicendi Alber. Alemanus, hic & alibi uidetur dicere, quòd anima est indiuisibiliter in medulla, quasi in toto corpore, non sit diuisibilis, & ista etiam uidetur, opinio Ioannis Grammatici dicit igitur, quòd qualibet anima est indiuisibilis & per se & per accidens, ratio est, primo ex Arist. in de communi motu animalium, ubi inquit, constitutio animalis per similis est ciuitati rectis legibus institutæ, quia sicut in huiusmodi ciuitatibus non est rex nisi in uno loco, & in uno membro principaliter, in aliis uero partibus ciuitatis secundum potentiam tantum, ita est anima in una corporis parte, secundum ueritatem, in aliis uero partibus est secundum essentiam, & ita anima non est extensa in toto corpore. Secundo, quia si anima esset extensa extensione corporis, partes corporis continue fluuntur, & in plantis, & in omnibus animalibus, & de nouo reponitur illud quod deperditur, anima igitur etiam flueret, & recuperaretur, nullum ergo animatum duraret per aliquod tempus, quia continue uariantur eius partes essentiales numero, ergo & totum animal, nullum ergo uiuens perdurabit per aliquod tempus, cuius oppositum dicit Arist. si ergo durat animal per tempus, non igitur est extensa per totum corpus. Tertio, quia sicuti in animalibus imperfectioribus, dicit Arist. quòd diuiditur anima, & in plantis, ita etiam diuideretur anima diuisione corporis, in animalibus perfectis, per te diuideretur diuisione corporis, eadem ratione, quod tamen non dicit Arist. ideo dicit Albertus, nulla anima est diuisibilis, neque per se, neque per accidens. O Aristot. dicit, quòd auulsa planta uegetat, dicit quod improprie loquitur Arist. quia ramo auulso a planta, in ipso est anima uegetatiua, non eadem numero, sed solum eadem specie, quia fuit innata ex illa planta tota, & ista est opinio Alberti, & etiam Ioannis, sed ista opinio non est peripatetica, ostendo primo ex argumento Arist. 8. phys. tex. 80. ubi arguit quòd uirtus, qua mouetur est ratio separata a materia, argumentatur sic. Virtus illa est indiuisibilis, ergo separata a materia, ita modo ego arguam, quia si per te uirtus uegetatiua est indiuisibilis, ergo separata a materia, probat Arist. assumptum, quia si esset diuisibilis illa uirtus maioris durationis esset, quàm pars, non ergo possunt esse finitæ durationis, quia totum perpetuo durat, ergo & partes, si ergo uirtus perpetua est, ergo non potest esse maioris durationis, totum quam pars, quia infinito non datur maius, ergo est indiuisibilis illa uirtus, ex quo sequitur, quòd est separata a materia, ergo immobilis, ita igitur si uegetatiua est indiuisibilis, illa uirtus ex quo sequitur, quòd est separata a materia, cuius oppositum dicit Arist. quia ista anima est immersa corpori. Secundo quia hæ uirtutes sunt eductæ de potentia materiæ, & habent communicationem, cum materia, quia habent etiam conditionem materiæ, & habent communicationem cum materia, materiæ est esse quantum, extendi, & diuidi, ergo uirtutes ille sunt quantitatiue, & extenduntur & remittuntur.

Tertio

Tertiò quia hæc opinio non potest intelligi, quia dicit quòd anima est in una parte tantum, ut uegetatiua in planta, est in medulla, & sensitiua in in animali in corde, & tunc ista uirtus est in puncto indiuisibili illius partis, puta cordis, uel non si sit in puncto indiuisibili, cur igitur magis in uno, quàm in alio, quia non est maior ratio in uno, quàm in alio, aut igitur in nullo, aut in omni, item asignetur ille punctus. Tunc corrumpetur aliquando iste punctus, aut ergo anima permanebit, aut non, si non remanet ergo illud non esset animatum, aut alia anima erit animatum, si remanet ibi, igitur anima de subiecto in subiectum, quod est contra peripatheticos, item si illa uirtus esset in corde extensa per totum diuiditur igitur ad diuisionẽ eius subiecti, quod est cõtra te, quarto quia dicit, auulso ramo a planta generatur noua anima uegetatiua, sed contra, quia nulla substantia noua potest generari sine alteratione, hic nulla fuit facta alteratio, ergo neque noua generatio. Tum etiam quia, nullum simile corrumpitur a suo simili eiusdem speciei, sed in contrarium, non igitur ex uegetatiua corrupta rami generatur alia noua uegetatiua anima eiusdem speciei. Ideo aliter dicit, D. Thom. prima q. quæst. 76. art. 8. ubi dicit, D. Thom. quòd si loquamur de anima uegetatiua, ista diuiditur diuisione corporis, si loquamur de sensitiua, tunc si loquamur de imperfecta, id est de illa quæ est in actibus imperfectis, tunc etiam ista diuiditur diuisione totius, anima uero sensitiua animalis perfecti, non diuiditur, neque extenditur, ad extensionem corporis. Sed contra istam opinionem sunt argumenta prius facta, quia si ista anima est indiuisibilis, ergo anima separatur, & sic de singulis. Sunt etiam noua argumenta Trusiani secundo techni, quia sic anima non erit actus corporis organici, quia non actuat partes corporis diuersas, temperamẽto figura, & situ, sed tantũ est in una parte, tum etiam quia, anima sensitiua, est in singulo membro secundum operationes, ergo secundum uirtutes, ergo secundum essentiam, non ergo uerum est, quòd uirtus sensitiua perfecta sit in una parte corporis, secundum essentiam, & non in aliis, ideo aliter dicit Trusianus, quia dicit excepta rationali, omnes aliæ animæ diuiduntur diuisione corporis, & extenduntur per totum corpus, ut uegetatiua, & sensitiua.

Ad argumenta, quia inde communi motu animalium, per similis est anima ciuitati recte operationis, Dico non dicit Aristotel. quòd ita sit de anima, scilicet sicut rex est in una parte ciuitatis, ita etiam anima, sed loquitur solum de potentia motiua, & si loquatur, dico, quòd intelligit, ꝙ anima sit in uno mẽbro principaliter, sed etiam est in aliis membris, licet non principaliter, non est tamen in totum simile exemplum quia non contradicit animæ. De secundo quia si ipsa extenditur extensione corporis, ergo anima fluit, concedo. Dico de hoc argumento habendus est sermo in libro de generatione & corruptione, quia Arist. inquit, quod augetur tenet idem numero a principio usque ad finem, Sed adhoc aliqui dixerunt, quòd non remanet idem numero homo, neque aliud genitum a principio usque ad finem, quia uariantur eius partes essentiales, Dico re uera, quòd possumus dicere, quòd non est idem numero continue; sed quadam similitudine, quia partes, quæ continuæ regenerantur, reponuntur consimiles illis deperditis, ut cum dicimus de fluuio quod permanet idem, quia partes reponuntur in consimili dispositione, re uera tamen non est idem, item aliter dico, quia Arist. dicit, quòd remanet idẽ numero uiuens, & uariantur partes essentiales, Dico sicuti partes materiæ uariantur ita & forma sed per accidens, per se autem forma permanet eadem numero, & quia ab unitate formæ sumitur unitas numeralis, ideo dicimus. Cum Arist. quòd uiuens continue permanet idem numero. De tertio, quia in animalibus perfectis diuideretur anima, concedo, & non dixit Arist. dico, quòd non dixit hoc, quia brutum, uel aliud animal diuidatur in partes, bene diuiditur anima sensitiua, sed nõ permanet, sicuti in plantis ob sui perfectionem, quia eget organizatione magna, qua non indiget imperfecta, sed tn. dices nunquid in omnibus plantis ita sit. Dico quòd non, quia, ut dicit Arist. multe sunt plantæ a quibus auulso ramo, non uiuunt, ut cupressus, & ob hoc dicunt, quòd in Cimiteriis reponuntur cupresi ut nobis indicetur, quòd mortui non reuiuunt, sicuti cupressus, qui semel mortuus non reuiniscit.

Textus XX.

SICVT enim in plantis quædam diuisa uidentur & uiuentia separata ab inuicem tanquam existente in his anima, actu quidem una in unaquaq; planta, potentia autem pluribus. Sic uidemus & circa alias differentias animæ accidere, ut in entomis decisis, etenim sensum utraque partium habet & motum secundum locum si autem sensum & phantasiam & appetitum, ubi quidem enim sensus & est tristicia & leticia est, ubi autem hæc sunt ex necessitate desiderium est.

Textus XXI.

DE intellectu autem & perspectiua potentia nihil adhuc manifestum est, sed uidetur genus alterum animæ esse, & hoc solum contingere separari, sicut perpetuum a corruptibili.

Lectio

Lectio LI.

DE *intellectu autem* Quærebat Arist. cur quattuor essent potentiæ animæ, nunquid hæ potentiæ essent animæ, an partes animæ, & si partes, an seiunctæ loco & subiecto, aut non dixit quòd in quibusdam erat facile hoc uidere, quia in animalibus imperfectis non seiunguntur hæ potentiæ loco, & subiecto, quia diuisis istis animalibus qualibet pars uegetatiuæ loco mouetur & sentit, & ultra hoc habet phantasiam uegetatiua, igitur & sensitiua, in his non seiunguntur loco & subiecto ostendit de sensitiua; & loco motiua, præsupponamus, quòd etiam non seiungantur loco & subiecto. Remansit ergo dubitatio, de quarta potentia animæ, de rationali potentia de qua non dum ostendit, & ideo dicit, potentia intellectiua nondum constat nunquid loco & potentia sit distincta. Dicit Ioan. quòd ideo dicit, nōdum manifestū est, quia de aliis syllogizauit, & probauit de appetitu, & sensitiua, non poterat autem ex illis inferere de anima rationali, ut ex eo uidelicet, quòd ille non sunt separate loco & subiecto, ideo dicit de ipsa, nōdum manifestū est, quòd explicat tantum eius sententiam, de hoc, & dicit, uidetur, quòd potentia ista separetur ab aliis tribus loco, & subiecto, quia iste tres non separantur a corpore loco, & subiecto, illa separatur a corpore sicut perpetuum a corruptibili, ipsa ergo separatur ab aliis tribus, & quia potentia rationalis seu intellectus est duplex, practica, & speculatiua, non differunt, quia finis intellectus speculatiui, est speculatio, practici uero practica, & quia practica est circa opera, & ideo practicum non separatur a corpore, ideo dicit Arist. hæc loquor de intellectiua potentia speculatiua, tamen tam practicus, quàm speculatiuus intellectus separatur a corpore, tamen quia uidebatur, quòd practicus esset circa corpus, ideo se restrinxit ad speculatiuum, & propter hoc dixit de intellectu & perspectiua potentia, & subdit, & propter hoc uidetur anima rationalis diuersum genus animæ, quia ille priores subsistunt per corpus, anima uero rationalis non subsistit per corpus, quia rationalis, est actus corporis secundum operationem, & secundum esse, ideo diuersimode illi & intellectus sunt actus corporis, ideo intellectiua anima seu rationalis est diuersum genus animæ, & recte inquit Ioan. dicit Arist. separatur anima a corpore sicut perpetuū a corruptibili, quia forma dupliciter potest separari a corpore. Vno modo quando separatur a corpore, quia corrumpitur illa forma cum separatur, aliæ uero separantur & non per sui corruptionem, quia permanent, ut igitur ostenderet, quòd anima rationalis separatur a corpore, quia permanet, ideo dicit, separatur a corpore, sicut perpetuum a corruptibili. Miror certe, quàm recte attigerit Ioan. Gram. mentē Arist. non poterat quidem melius.

Sed uos dicetis inquit Ioan. quòd hic dicit Alexander quòd dicet intellectum humanum esse generabilem, & corruptibilem; O' respondet, quòd tripliciter respondet Alexander. Primo quia Arist. sub dubio loquitur, quia dicit uidetur, non autem assertiue loquitur, secundo quia Alexander citat alium tex. Arist. dicens, uidetur contingere, id est uidetur posse separari a corpore, quod est uerbum potius dubitationis, quàm assertionis. tertio dicit Alexander, quia Arist. loquitur de intellectu diuino, non autem humano; Reiicit Ioan. has dubitationes, & ego adiuuabo ipsum, quia de facto errat Alexander, & nescio quomodo teneat hāc operationē, quia nullū uerbum ei fauet, & ideo reiiciemus has rationes, & primo primam, quia dicit, quòd uerbum uidetur non est dubium, sed ideo ita dicit quòd nondum est clarus sermo Aristotelis de anima rationali, sed ostendit tertio de anima, ideo dixit hic, uidetur, item utitur uidetur, quod apparet sicuti porphirius in uniuersalibus, cum dicit, uidetur autem, neque genus, neque species, Dixit enim ibi, uidetur quod apparet & non ut dubitatiue loquatur, quia bene sciebat, quòd genus & species simpliciter dici non possunt, tamen dicit ibi, uidetur pro apparet ut hic Arist. secunda expositio, quia addit contingere separari, quod auget inquit dubitationem, nam apud Arist. duplex est contingens, contingens pro genere, quod potest esse & non esse, & contingens, ut species est contingens necessarium, Diuisit enim Arist. primo priorum contingens, ut species, in ut plurimum, & ut raro, & ut equale, & illud est contingens species, & ita hic accipit contingens pro necessario, & non pro contingenti, quod potest esse & non esse. De tertio quia hic loquitur de intellectu diuino, Arist. sed hoc est falsum, quia loquitur Arist. de intellectu, qui est pars & potentia animæ hominis, intellectus aūt diuinus non est pars animæ, neque eius potentia, & ideo non loquitur de intellectu diuino, secundo & fortius addo, nondum manifestum est de hoc intellectu, sed si esset sermo de intellectu diuino, iam hoc esset manifestum, ut in octauo physicorum, ideo quia dicit, separatur a corpore subiecto, sicuti perpetuum a corruptibili, sed intellectus diuinus non separatur ab orbe sibi subiecto loco, & subiecto, sicut perpetuum a corruptibili, falsum, igitur dicit Alexan. & ideo alij sequentes Alex. ausi sunt dicere, quòd Arist. hic bene loquitur de intellectu humano, sed hic est duplex intellectus; agens & intellectus potentia, intellectus agens est pars animæ rationalis, & de isto loquitur hic, sed non loquitur de intellectu potentiæ, sed quid dicemus contra istos, O' non ne

uerba

uerba Ariſt. dicunt de intellectu, & ſpeculatiua, potentia, ſed loquitur, dicit, de intellectu cuius potentia eſt ſpeculatiua, ſed ſpeculatiua potentia eſt intellectus potentia, non intellectus agens, ideo hic loquitur, ſecundo modo de intellectu potentia. Secunda dubitatio, quia dicit Ariſt. quòd intellectus ſeparatur ab aliis tribus potentiis animæ, quia ille tres potentiæ, ſeparantur ab obiecto, loco & ſubiecto, rationalis autem potentia ſeparatur a corpore, ergo iſta anima rationalis ſeparatur ab illis. Sed dicetis quomodo dicit hoc Ariſt. quia infra eſt regula de potentiis animæ, quia ubi eſt perfectior potentia, ibi eſt imperfectior, ſed non eſt econtra, ut ubi eſt rationalis ibi ſint reliquæ potentiæ, quomodo igitur dicit Ariſt. quòd rationalis ſeparatur loco, & ſubiecto ab illis. Dico quòd unomodo ſeparatur, aliomodo non ſeparatur, non ſeparatur, quia ubi eſt perfectior uirtus, ibi & imperfectiores, ſeparantur tamen loco & ſubiecto ab aliis, ſecundum cauſalitatem, quia non ab eodem ſubiecto a quo habent iſtæ potentiæ eſſe, & ſubſiſtentiam, ab eodem non haber eſſe & ſubſiſtentiam ipſa uirtus rationalis, & ob hoc dixit Ariſt. quòd ſeparantur loco & ſubiecto.

Textus XXII.

RELIQVE autē partes animæ manifeſtum ex his quòd non ſeparabiles ſunt, ſicut quidam dicunt, ratione autem quòd altere manifeſtum, ſenſitiuo enim eſſe & opinatiuo alterum, ſiquidem & ſentire ab ipſo opinari, ſimiliter autem & aliorum unumquodque quæ dicta ſunt.

Reliquæ uero partes animæ. Reuertitur Ariſt. dicens, iam diximus de quattuor potentiis animæ. Primo de tribus, deinde de quattuor, ſed nunquid partes, iſtæ tres, quæ non ſeparantur ab inuicem ſubiecto, nunquid etiam ratione ſeparentur uel non. O`dicit quòd bene ſeparatur ratione, & definitione, probat. Primo, quia habent diuerſas operationes, ergo habent diuerſas definitiones, patet, quia definitio datur per operationes, & quòd habet diuerſa opera, patet quia uegetatiuæ eſt, uegetare, ſenſitiuæ eſt ſentire, & ideo iſta ſeiunguntur operatione, ergo & ratione, eodem pacto ſeiungitur operatio intellectus ab illis operibus.

Textus XXIII.

QVOD autem quibuſdam animalium omnia inſunt hæc, quibuſdam uero quædam horum, alteris autem unum ſolum, hoc autem facit differentiam animalium, propter quam autem cauſam ſit factum in poſterius intendendum eſt. ſimiliter autem & circa ſenſus accidit, alia quidem habent omnes, alia uero quoſdam, quædam uero unum maxime neceſſarium tactum.

Adhuc autem quibuſdam animalium. Tum ex alio probat Ariſt. quia ex his, quattuor potentiis ſumuntur, quattuor ſpecificæ differentiæ uiuentium, quæ uiuentia ſpecie differunt, quod autem ex his potentiis oriantur ſpecificæ differentiæ uiuentium, patet, quia aliquibus animalibus ineſt una ſola potentia, aliquibus omnes & cauſam huius aſſignabimus infra, ubi dicemus,quare quibuſdam animalibus inſunt omnes ſenſus, quibuſdam unus, quibuſdam plures, iſta oſtenſio eſt. Tertio huius, & ita tres gradus uiuentium differunt ſpecie uegetatiua enim ſola eſt in plantis, ſed plures potentiæ ſunt in brutis, ut uegetatiua & ſenſitiua, omnes inſunt homini, Gaetanus, & alii uolunt, quòd iſte potentiæ differunt ratione, & re ipſa, ſed non eſt uerum, quia multa ſunt apud Ariſt. quæ differunt ratione, & definitione, & ſunt idem re, ut patet de forma & materia, & de rationali homine, de efficiente, & ita non ualet argumentum, ſi ſunt ſeparabiles, ſecundum rationem, ſeparantur etiam ſecundum rem.

Sed uos dicetis, dixit Ariſt. quòd hæ potentiæ in animalibus imperfectis non ſeparantur loco & ſubiecto, ſed quid dicetis in animalibus perfectis. Dixi heri, quòd aliqui dicebant quòd omnes in omnibus animalibus ſunt idem loco & ſubiecto, quia ſunt in cerebro omnes, & iſta erat opinio Galeni, & probatum fuit quòd illata læſione in cerebro perit ſenſus, & motus. Tum ſecundo quia ligato membro ſentit membrum ſupra ligamentum, & non infra ligaturam, quia non amplius influit uirtus. Dixi quòd Ariſt. aliter ſentit, quia dicit Ariſt.quòd in ſomno eſt anima in toto corpore organico, ut in oculo, & in pede,loquor de anima ſenſitiua, ergo omnia membra habent in ſe ipſis uim ſentiendi, etiam quòd dormiant, ideo dixi quòd iſte erat ſenſus, quia anima non operatur ſine inſtrumento, deinde eſt ſpiritus animalis a cerebro ueniens continue, & ideo uis ſentiendi eſt a cerebro. Tunc hoc uerum eſt, tamen animal dormiens habet in membris animam ſenſitiuam, & uim ſentiendi, ſemper habet membrum proximum, & ſi aliomodo intellexit Gal. quòd quædam qualitas a cerebro emanat ſicut lumen a Sole, hoc tamen eſt purus error, quia ipſa erit accidens, & tunc forma ipſius organi eſſet accidens, etiam quia in ſomno, non eſt anima in oculo, & cum euigilet eſt anima in oculo, & ita, iſte eſt purus error, & diximus, quòd in animali perfecto ſenſitiua, non extenditur, pro corpus ſicut uegetatiua, ergo ſeiungitur ſenſitiua, a uegetatiua, ut in cerebro ſecundum medicos, in corde uero ſecundum philoſophos, & ita iſta etiam ſeparatur ab aliis.

Textus XXIIII.

QVONIAM autem quo uiuimus & sentimus dupliciter, sicut quo scimus, dicimus autem hoc quidem scientiam, illud autem animam, utroque enim horum dicimus scire, similiter & quo sanamur, aliud quidem sanitas est, aliud autem parte quadam corporis, aut & toto, horum autem scientiaque, & sanitas forma, & species quædam & ratio, ut actus susceptiuorum, hæc quidem scientifici illa uero sanabilis, uidetur enim in patiente & disposito actiuorum inesse actus, anima autem hæc quo uiuimus & sentimus & mouemur, & intelligimus primo; quare ratio utique quædam erit & species, sed non ut materia; & ut subiectum.

Lectio LII.

QVONIAM *autem quo uiuimus &c.* Inquit Ioannes transiens Arist. a quia est, ad propter quid est, demonstrat illam particulam, quòd scilicet anima est actus corporis physici organici, utens ista suppositione, quòd animatum ab inanimato distinguitur ipso uiuere, uiuere igitur contingit animato ratione animæ, & incipit, ex equi, quod nobis pollicitus est, scilicet ex notioribus nobis, declarando animam esse actus corporis, ex ipso animato, argumentatur ergo sic, id quo singulum animatum est primo tale, est per eius formam, & actum; quo uero est secundo tale est per eius materiã subiectum, sed ita est, quòd animatum uiuit anima & corpore, primo anima; secundo corpore, anima ergo est corporis organici, maior & minor propositio probanda est; & probatur maior, per inductionem, exemplum primi; scimus inquit, scientia, & anima, sed primo scimus scientia, secundo anima, & ideo scientia est actus animæ, & anima est subiectum ipsius scientiæ. Secundo dicimus, sani esse sanitate, & corpore, sanitate primo, secundario corpore, aut toto aut parte, sanitas, ergo est actus corporis. Dicimur calidi, uel frigidi, calore primo, & secundario, ideo calor est actus ipsius corporis, ideo inductione probamus ipsam maiorem; quia certe principia naturalia inductione probantur, secundo physicorum, minor propositio, animatum uiuit duplici principio, primo anima; secundo corpore; probatur hæc propositio, ex suppositione dicta, quòd animatum distinguitur ab inanimato ipso uiuere, sed animatum corpus, qua animatum, est anima animatum, igitur primo uiuit ratione animæ, secundario uero ratione corporis, sequitur ergo quòd anima est actus primus corporis organici, ista est de toto demonstratio Arist. *Videtur autem in patiente.* Hic Arist. remouet dubitationem, quia dixit quòd scientia est actus animæ, sanitas corporis, sed contradicet aliquis quia actus debet esse agentis actus, & non patientis, non ergo potest esse sanitas actus eius; neque scientia animæ, nam sanitas est actus medicinæ, scientia præceptoris. Respondit Arist. quòd actus est utriusque. Tum agentis, tum patientis, agentis, ut a quo est, patientis, ut in quo est. Tertio physic. & ideo sanitas & scientia ut a quo, sunt actus agentis; patientis uero ut in quo est, reddit causam; quia omnis forma debet induci in determinato & in dispositio subiecto; quia forma secundum merita materiæ, Dubitat hic Egidius, si id quo uiuimus uegetamus, & sentimus est bifariam, uegetatio & actio uegetamus, igitur anima & corpore, corpus ergo coagit animæ ad actionem, & ita materia coagit formæ, quia scientia non potest esse neque operari sine materia, sed huic opinioni contradicit Arist. primo de generatione, & corruptione, quia dicit, proprium formæ est agere, materiæ uero pati, non ergo materia potest coagere formæ, quia tunc ex sui uirtute habent uirtutem agendi, sed omnis actio est ab actu ente, ista autem materia est ens potentia, ergo. O ad Arist. uiuimus. Tum anima, tum corpore, uegetatio est actio, concedo, pendet igitur a dupli ci principio effectiuæ. Non sequitur, quia uegetamus ab anima actiuæ, & uegetamus a corpore passiue, sicuti dicimus, quòd sani sunt sani sanitate, & corpore, sanitate actiue, & passiue corpore.

Textus XXV.

TRIPLICITER enim dicta substantia, sicut diximus quarum hæc quod species, illud autem materia, aliud autem ex utrisque, horum autem materia quidem potentia, species autem actus, postea ex utrisque animatum, non corpus est actus animæ, sed ipsa corporis cuiusdam.

Tripliciter quidem dicta substantia. Alia demonstratione ostendit Aristot. quòd anima est actus corporis, quia tripliciter diuiditur substantia, in materiam, formam, & compositum, ex his anima est substantia, non compositum, quia illud est corpus naturale quod constat ex materia, & forma; sed corpus animatum, & uiuens est corpus naturale, ergo constat ex materia & forma, sed constar ex anima, & corpore, ergo constat ex uno, tanquam ex materia, ex alio tanquam ex forma, sed non potest stare ex corpore, tanquam ex anima, quia corpus non potest esse actus, quia est. Tum ex alio quia forma est in subiecto, corpus est subiectum, ergo non posset esse forma ipsius animæ, ergo relinquitur, quòd anima est actus, & forma corporis, corpus uero est subiectum & potentia, ista est tota

de-

demonstratio Arist. Et hic inquit Auer. quòd ista demonstratio est demonstratio causæ & esse, prima uero fuit ipsius esse, quia fuit ab opere, & ab effectu animæ, & ab hoc quod uegetamus quia ista est a posteriori, illa autem a causa, ut priori, ista igitur est demonstratio causæ & esse, & ostendit quòd anima est actus corporis, & propter quid anima est actus corporis, quia accepit in medio termino definitionem maioris extremi, quia dicit, ipsa est actu ens, & esse actu ens est ratio formalis. Sed diceris quòd demonstratio causæ & esse, est illa quæ dicit tantum ueritatem consequentis, & præhabitis, non ergo ipsa potest esse demonstratio causæ & esse. Dico, quòd re uera si comparetur illa demonstratio priori, non est demonstratio causæ & esse, sed solum causæ, si uero non comparetur priori, tunc ipsa est demonstratio causæ & esse, unde dicunt, quòd duplex est demonstratio, una causæ tantum & alia causæ & esse, V.G. si quis esset supra lunam, & uideret facere eclipsim, & si ueniret Astrologus dicens, quãdo interponitur terra inter Solem & Lunam semper fit eclipsis, ista est demonstratio causæ tantum, non autem esse, si uero non uideat eclipsim & Astrologus dicit causam eclipsis, illa est demonstratio causæ & esse. Dicit igitur quòd ista demonstratio appellatur causæ & esse, non comparata priori, quia omnis demonstratio per causam, apta nata est nobis dare ueritatem, causæ & esse, ex sui natura, quòd si non semper notificet ambo, hoc est quia præsciebamus, & ob hoc Aristot. non distinxit demonstrationem in causam & esse, quia omnis demonstratio per causam habetur, & potest hoc facere, scilicet dare causam & esse, & ex hoc loco reprobatur opinio medicorum, quòd scilicet sit complexio, quia non componitur substantia ex accidente, sed ex substantia, quia omnis pars substantiæ debet esse substantia, & ex quo corpus naturale est substanti , ideo constat ex materia, & forma, quæ sunt subiecta, si ergo componitur animatum ex anima, & corpore, unumquodq; igitur debet esse substantia, non igitur anima debet esse complexio, quia ista est accidens.

Textus XXVI.

ET propter hoc bene opinantur quibus uidetur, neque sine corpore esse, neque corpus aliquod anima, corpus quidem enim non est, corporis a tem aliquid est, & propter hoc in corpore huiusmodi, & non sicut priores ad corpus aptabant ipsam nib l diffinientes in quo & quali, & uere quem non uideatur accipere quodlibet contingens, sic autem fit & secundum rationem, uniuscuiusque enim actus in potentia existentis & in propria materia aptus natus est fieri, quod quidem igitur actus est quædam, & ratio ponitur habentis esse huiusmodi materiam ex his.

Et propter hoc bene opinantur. Et ex hoc ostenso Arist. explicat dicendo primo, quòd recte antiqui dixerunt, quòd anima non est corpus, non tamen potest esse sine corpore, utraque pars est prius ostensa, quia nulla perfectio est idem ei cuius est perfectio, quia nihil actuat, & perficit semetipsum, sed iam ostensum, quòd anima est actus corporis, non est ergo corpus, secundo non potest esse sine corpore, quia correlatiuum non stat sine correlatiuo, sed actus corporis correlatiui sunt, quia omnis actus alicuius est actus, ergo anima non potest esse sine corpore, & ex hoc ostendit Arist. quòd anima non potest stare sine corpore, quia omnis eius operatio est cum corpore, quia intelligere dependet a sensu licet fides nostra aliter sentiat & recte, & dicit Aug. quòd anima non potest operari sine corpore, ex peccato primi parentis, & si separetur anima a corpore illa non est anima formaliter, sed erit illud quod erat, iam anima, secundomodo sequitur quòd perperam antiqui fecerunt loquentes de anima, non facientes mentionem de corpore, quia anima est actus corporis organici, & determinate animæ determinatum est corpus organicum a corpore organico bruti, & ideo non quælibet anima potest esse actus cuiuslibet organici corporis, male igitur fecerunt illi qui loquentes de anima non fecerunt mentionem de corpore, & bene fecimus nos, qui loquentes de anima loquuti fuimus de corpore. Dicentes anima est actus corporis physici organici, & tunc epilogat dicens dicitur actus corporis potentia uitam habentis, igitur &c.

Sed est dubitatio Ioannis Grammatici, quia supra dixit Arist. quòd intellectus nullius corporis est actus, quomodo igitur dicis, quòd anima non potest esse sine corpore. O dicit, quòd anima rationalis est actus corporis, secundum omnem operationem, sed solum secundum motum localem & uiuificationem, & intellectioné quandam, motu locali hoc patet, quia motus localis ab anima sine corpore. Item non potest sine corpore uiuificari. Item intelligere non potest intellectu practico, & operatiuo, cuius scilicet finis est operatio, & quia ista operatio est circa singularia, ideo uidetur, quòd sit circa corpora, sed dixit quòd est equiuocatio de corpore, quia licet intellectus practicus non possit esse sine corpore, id est tanquam sine obiecto, intellectus autem speculatiuus sine corpore omnino est, & quia aliqua operatio animæ est sine corpore, ideo anima est separata a corpore, secundum causalitatem, & facit exemplum datum de nauta, quia nauta habet operationem propriam, quæ contradicit ei quatenus homo, ideo secundum quòd est separatus a naui, quatenus scilicet homo est, sed quatenus mouet nauim est inseparabilis a naui, ita anima secundum sui esse est inseparabilis

a corpore, secundum uero quòd mouet separatur a corpore.

Lectio LIII.

SEQVITVR quæstio de potentiis, quæ est pulchra & difficilis, quia multa dixit Arist. de potentiis animæ, prius quæsiuit quo pacto inuicem distinguerentur, & ostendit quòd in animalibus imperfectis, non distinguebantur loco & subiecto, de perfectis, nihil dixit. Nos tamen diximus quomodo distinguerentur, etiam in perfectis, ideo subdit etiam in animalibus imperfectis, in quibus sunt eadem, tamen inquit differunt ratione, ideo hic dubitant omnes latini de potentiis animæ, quo pacto se habeant respectu animæ, ideo prima dubitatio est, An potentiæ sint res absolute, an relatiuæ. Aliqui dixere quòd sunt res relatiue, quia omne principium est principium omnium operationum, ex se ipso indifferens, & cum exit actus eorum aliunde determinatur, sed non determinatur nisi ex relatione ad organa, si fuerit organica, determinatur ad diuersa organa, si uero sit inorganica ut uoluntas tunc ex obiecto determinatur, nam obiectum uoluntatis est bonum, sicuti intellectus est ens, & ita potentiæ animæ determinantur ex relatione, sunt ergo res relatiue, non autem absolute, secundò quia nono metaphysices potentia per actũ diffinitur, si sic ergo est relatio, quia relatiua sunt cum unum dependet ab altero, & diffinitur per alterum.

Contra hanc opinionem est Scotus 16. dist. 2. cap. primo arguit hoc pacto, quia si iste potentiæ dicunt relationem in potentia nisiua & intellectiua ad opus, illud opus non est ad huc aut igitur relatio est naturalis aut rationalis, sed neutro modo est, ergo iste potentiæ non possunt esse res relatiue, quòd non sit realis, patet, quia ad non ens, non est relatio, nec etiam est rationis relatio, quia omnis relatio rationis fit a potentia intellectiua, ergo præsupponit potentiam intellectiuam, non ergo relatio rationis constituit ipsam, quia si supponit illam quomodo constituit ipsam, secundo dicit, quia unius per se operationis, debet esse per se unum principium operationis, sed essentiæ animæ non est per se unum principium, quia homo est unum ens per accidens ex aggregatione ergo potentia intellectiua, non dicit essentiam animæ unam relationis, & ita potentiæ animæ sunt res absolute & non ex relatione, Sed facile conciliantur iste opiniones, quia ut est dictum in prædicamentis, scilicet in prædicamento qualitatis, & in prædicamento relationis, nam ista materialiter sumpta est in prædicamento qualitatis, & in prædicamento relationis formaliter sumpta, ita modo dico, quòd potentiæ animæ materialiter sumptæ, sunt res absolute, si uero formaliter sumantur & uerius, tunc sunt res relatiue, & uetiori modo sunt relationes, quàm res absolute, ergo, secunda dubitatio difficilior, quia si loquamur de potentiis animæ, ut sunt res absolute, nunquid distinguantur ab essentia animæ & sint idem an non sint idem cum substantia animæ, sed differunt inuicem. Tres sunt modi dicendi quorum quilibet probabilis est, nullus enim habet demonstrationem. Prima opinio est D. Tho. & Egidij, & Ioan. Gand. qui dicunt, quòd omnes potentiæ animæ differunt ab essentia animæ, & differunt inuicem, sed iste potentiæ sunt duplices organicæ, & inorganicæ, inorganicæ non utuntur organo in suis operibus organicæ uero utũtur organo, si uero loquamur de potentiis animæ. Tam organicæ, quàm inorganicæ, iste distinguuntur inuicem, declarat, quia ille, quæ sunt inorganicæ fundantur in essentia animæ, & distinguuntur inuicem, similiter organicæ distinguuntur ab essentia animæ, tamen non fundantur in essentia animæ, & habent ordinem, quia quidam sunt priores quidam sunt posteriores, quòd autem potentiæ animæ non fundentur in essentia animæ, sed in toto composito, patet ex Arist. in libro de somno & uigilia, quia cuius est actio eius est potentia, sed uisio quæ est actus est totius compositi, ergo & potentia uisiua est potentia totius compositi, D. probat Aristoteles hoc, primo, quia substantia re differt ab accidente, sed essentia animæ est substantia, ut patet. potentia sunt accidentia, quia opera animæ sunt accidentia, ex dicto Aristotelis nono metaphysicæ, quia actus, & potentia, sunt eiusdem generis, & ita potentiæ animæ sunt in secunda specie qualitatis. Sed Scotus uexauit hanc rationẽ, primo quia tu dicis, quòd potentiæ animæ sunt accidentia, quia 9. met. actus & potentia sunt eiusdem generis, sed tu non intelligis hoc, nam si loquamur de potentia passiua, & de actu qui recipitur, nam superficies recipit colores, modo color & superficies non sunt eiusdem generis, ideo Arist. accipit potentiam obiectiuam & actus illius potentiæ, ita ergo intelligit Arist. actus & potentia sunt eiusdem generis, Capreolus & alij Thomiste respondẽt ad hoc argumentum, quòd Arist. nono met. loquitur de potentia passiua, & actu primo, quoniam incipit, modo superficies non est primus actus ipsius materiæ similiter colores non sunt primus actus superficiei, ita in proposito anima primo recipit esse animatum, sed anima non primo recipit potentias ipsas, nec ista est actus primus animæ, sed esse animatum est primus actus, & iste est eiusdem generis, cum substantia, ergo, secundum argumentum est D. Thom. quia si potentiæ animæ essent ipsa anima sequeretur, quòd anima intelligeret se ipsam, & uideret se ipsam, & sic ex se ipsa ageret, & omne quod ex se ipso agit semper agit, & producit omnia opera, ut patet de substantiis abstractis, ergo

ergo anima operaretur simul omnia opera; quod tamen est falsum. Vexat Scotus hanc rationem quia non est uerum, quòd esto quòd anima agat ex se ipsa ista opera, quòd semper agat ipsa, non enim uerum est, quòd id quod ex se agit semper agat, nisi sui substantia sit sui intellectio, ut patet de uoluntate diuina, quia eius substantia est eius intellectio, ideo ipsa semper agit, sed substantia animæ non est sui intellectio, ideo ipsa non semper agit, nec omnia opera operatur, tertiò addit Egidius una cum D. Thom. & arguit sic, sicut se habet essentia ad esse, ita potentia ad actũ ergo permutatiue, sicut se habet essentia ad opus ita essentia ad potentiam, sed in creaturis semper esse differt ad operationem, ergo etiam essentia differt ab operatione, essentia ergo animæ differt ab operatione, quarto addit Ioan. de Gandauo, quòd essentia animæ est una, sed potentiæ sunt multe, ergo differt essentia a potentia. Tum quia ipse emanantur ab anima, nihil tamen a se ipso emanat, ergo potentiæ animæ non sunt anima. Tum quia sunt eadem inter se; hoc autem non est uerum, quia quædam intelligunt, quædam non, quædam actiua, & quædam passiua, ergo non sunt eadem inter se, ergo neque sunt eadem cum ipsa anima, sed ista argumenta non probant quicquam. Et de primo cum dicit D. Tho. dico, quòd actus, & potentia sunt eiusdem generis, quatenus potentiæ recipiunt illum actum, & ita sunt eiusdem generis, alio modo non, de secundo, quod per se ipsum agit, semper egit, iam dixi; quòd est uerum, quando eius substantia est eius intellectio, & non aliter, sed substantia animæ non est eius intellectio, ideo, tertio ad argumentum Egidij nihil ualet, quia est argumentum ad sicuti, & ideo negetis ipsum semper, quia semper est similitudo cum dissimilitudine, ideo nego argumentum, quia istud argumentum a commutata proportione non tenet; nisi in quantitate, ideo nego illud. Ad argumentum Ioan. cum dices plures sunt animæ potentiæ, anima est una, ergo distinguuntur. Concedo, sed non re ipsa, sed ratione tantum, ut patet de tribus personis diuinis, quæ sunt plures, tamen sunt eadem re cum subiecto, ut dicunt Theologi. Ita apud philosophum in uno subiecto, & eodem, plures passiones esse possunt dicit, dico igitur, ꝙ differũt ratione, quatenus, scilicet potentia est posterior essentia ipsa. Quod addis, si sunt eadem animæ istæ potentiæ, quæ sunt eadem inuicem quod est falsum. Dico dupliciter sumi possunt potentiæ animæ, uno modo, pro primario significato omnes sunt eadem, quia sunt ipsa substantia animæ, si uero loquamur de illis primario significato, & pro operatione, & organo erit sic, quia opera & organa, sunt distincta, ita & potentiæ sunt distincte, & ita argumenta huius opinionis non cogunt.

Lectio LIIII.

SECVNDA opinio est Scoti 16. distin. 2. quæst. 1. ubi dicit, animæ sunt duplices, quædam utuntur organo corporali, quædam non, quæ non utuntur organo corporali sunt tres, uoluntas, intellectus, & uirtus motiua, & ista potentia utuntur beati, post diem iudicij, & ideo tertia potentia in organica, est uirtus motiua secundum locum, nunquid autem potentia hæc secundum locum motiua, differat ab organica potentia, dubium fuit, tamen in aliquo loco dicit, quòd differunt accidentaliter, & dicit, quòd omnes iste tres potentiæ sunt eadem realiter, cum essentia animæ, & ad inuicem distinguuntur formaliter ex natura rei, probat primo hoc ex illa positione Arist. natura non facit pluribus ea quæ potest facere paucioribus, sed nulla est necessitas ponendi potentias animæ re seiunctas ab essentia animæ, & ab inuicem, ut patet soldendo rationes, D. Thom. secundo, natura de possibilibus semper facit quod melius est, & nunquam desistit in necessariis. Sed melius est quòd natura sua uniatur suo ultimo fini immediate, quàm quòd uniatur per aliquòd seiunctum ab ea, unitur autem fini suo immediate per intellectũ, & uoluntatem, ergo non debet seiungi intellectus, & uoluntas ab essentia animæ, & dicit tertio, quia melius est, quòd quodlibet sit immediatum principium suorũ operationũ, ut calor qui est imperfectior anima rationali, est immediatum principium suorum operationũ, quia ex se calefacit, ergo a fortiori aĩa est principium suorum operationũ immediatum, non ergo deberent seiungi ille potentiæ ab anima. Quarto quia essentia animæ est in in materialis, & separata a materia, ergo seipsa est intellectualis, ergo non per potentiam re seiunctam. Aliæ sunt potentiæ animæ organicæ, & de istis inquit, quòd differunt realitet ab essentia animæ, quia iste potentiæ animæ nihil sunt præter tertiam entitatem consurgẽtẽ ex animato corpore ut patet, potentia enim uidendi est tertia entitas constans ex parte corporis, & ex parte animæ, ideo distinguũtur potentiæ iste animæ a tota anima, sicuti totum a parte, re ipsa distinguitur, ergo, & probat hoc, sicut etiam probat D. Thom. ex Arist. in libro de somno, & uigilia, quia cuius est actus eiusdem est potentia. Sed uisio est actus, & non est solius hominis, sed totius aggregati ex anima & corpore, & ita uidetis, quòd distinguũtur iste potentiæ ex natura rei formaliter. Sed ista uia Scot. etiam non demonstrat, licet sit probabilis, & ideo faciliter possumus soluere eius argumenta.

Ad primum argumentum igitur, frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora, & eque bene, & nulla est necessitas ponendi istam distinctionem nego.

De secundo quia melius est animæ, quòd uniatur per se ipsam, quàm per potentiam. Dico quòd bene hoc est melius, sed non est possibile, modo natura facit quod melius est de possibilibus, & ideo dico, quòd uerum est, quòd melius est quòd anima uniatur suo ultimo fini ex se ipsa, sed hoc est impossibile, quia non potest uniri illi fini nisi mediate intellectu, & uoluntate, quia debet uniri mediante aliquo accidente a se ipsa & ita soluitur argumentum.

Ad aliud cum dicis, perfectius est esse immediatum principium suorum operationũ, ut in deo patet, quia in deo intellectus, & uoluntas sunt idem re, sed conuenit calori, ergo, dico negando argumentum, quia sicuti deo, illud scilicet, esse principium suorum operationum conuenit ratione perfectionis, ita calori ratione imperfectionis, & hoc modo etiam conuenit animæ, scilicet ut sit principium suarum actionum mediantibus qualitatibus, quia est media inter calorem & & deum, & ideo argumentum nullum, &c.

De alio, quia essentia animæ rationalis, est separata a materia, sed immaterialitas est causa potentiæ intelligendi. Dico ipsa sui essentia est separata a materia, concedo, ergo sui essentia est intellectiua. Dico concedendo, quòd quatenus essentia sui est talis, quòd ex ipsa impossibile est remanere ista potentia intelligendi, uerum, argumenta igitur Scoti non cogunt.

Alia uia surrexit ut Gaietanus, quòd potentiæ animæ sunt idem, quòd essentia animæ, primo quia anima se ipsa dat esse animali, ergo se ipsa est principium operandi, quia operatio prouenit ab eo quod dat esse.

Secundo quia si potentiæ animæ sint qualitates & accidentia sic differentia, ergo rationale quod summitur a potentia intellectiua, quod est accidens per se, non erit differentia substantialis hominis, qa summitur ab accidenti igitur &c.

Tertio quia ex uerbis Arist. quia dixit omne id quo primo sentimus, uidemus est actus, sed anima est tale id quo primo ita agimus, ergo ipsa est actus corporis, sed potentia uegetatiua est qua primo uegetamus, & sensitiua qua primo sentimus, & intellectiua qua primo intelligimus, ergo iste potentiæ sunt idem quòd anima ipsa.

Sed neque iste rationes Gaietani cogunt. Ideo dico de primo cum dicis anima est principium essendi, ergo & operandi nego argumentum, operatio uenit ab esse. Concedo, tamen nõ habet principium intelligendi sine naturali potentia, quæ est accidens &c.

De secundo, quia sequitur quòd rationale non est differentia substantialis hominis. Dico si sumatur a potentia intelligendi non est differentia substantialis hominis, non summitur a potentia intelligendi. Sed ab essentia, & substantia animæ, & hoc modo est differentia substantialis.

De tertio, quia potentia uegetatiua primo uegetamus, & ita anima uegetatiua primo uegetamus, potentia uegetatiua instrumentaliter, sed primo uegetamus anima originaliter, & principaliter, & ita utrunque uerum est. sed diuersimode, & ita sunt solute omnes rationes huius uiri, & ista erat uia media.

Tertia uia est nominalium, ut Gregorij Arimi. & aliorum, & ista uia magis placet mihi, dicit, opinio, quòd potentia animæ dupliciter sumuntur uno modo pro principali significato, alio modo pro secundario, ut patet, potentia intellectiua significat duo, actum primum, scilicet, & secundum, ita potentia uisiua, primo significat animal, secundo significat operationem ipsam. Dico igitur quòd omnes potentiæ animæ sunt idem re cum anima, & adinuicem si sumantur pro primo significato, quia sunt ipsa substantia animæ, si uero sumantur pro secundario significato differunt ab anima, & inuicem, quia utuntur diuersis organis, quare distincta sunt, ita & opera differunt, ut patet inducendo per potentiam uisiuam & auditiuam, nam pro primo significato, sunt idem, quòd anima, pro secundo autem differunt ab inuicem sicuti organa differunt.

Sed tu dices quomodo uerum est, quòd omnes potentiæ animæ pro primo significato sumpto sunt idem, cum in fine huius secundi dicat Aristoteles, quòd potentia intelligendi, & audiendi non sint idem.

Secundo & fortius, quia si potentia intelligendi, & uidendi, essent idem, quòd anima, ex quo intellectio est in illa essentia animalis & in qualibet parte eius est indiuisibiliter intellectio ita etiam uisio esset indiuisibilis in qualibet parte, & sic pes, & manus uideret sicut oculus.

Tum tertio, quia in eodem, erunt contraria, quia appetitus sensitiuus & rationalis, sunt contrarii, quia unus est ad bona, ille ad mala, nam appetitus rationalis semper est ad bonum, sensitiuus uero ad malum.

Tum etiam quia per sensum scimus, quòd sol est potentialis qualitatis, per intellectum uero scimus, quòd est maior tota terra, & isti assensus sunt contrarii, & sunt in eadem substantia animæ, ergo contraria erunt in eodem, cuius uero oppositum dicit Aristoteles ubique.

O' respondetur ad primum, cum dicis, potentia intelligendi, & sentiendi, sunt una & eadem res, concedo, & dico, quòd anima ipsa cum illis non differt nisi ratione operis, Aristoteles secundo huius reprobat. Dico quòd non est uerum, quia reprobauit, quòd intelligere & sentire sint idem, & hoc falsum est, quia ista operationem seiunctam dicit.

Quod dicis sicut intellectio est in toto corpore ita & uisio & auditio sunt tote in qualibet parte,

concedo

concedo, sicut igitur in omni parte est intellectio etiam est & visio, ergo pes sicuti oculus videbit, O' respondetur dupliciter, primo, quòd potentiæ sentiendi non insunt primo animæ, sed organis, & ideo non oportet, quòd sint in qualibet parte corporis, sicuti anima, secundo dico, quòd primo est in anima, & sicut intellectio est in omni parte, ita & visio, concedo, pes ergo videt nego argumentum, quia ita arguam de intellectu, & ita dico licet intellectio sit in qualibet parte corporis indiuisibiliter, pes tamen manus & aliæ partes non intelligunt, quia ista opera sunt apta natum denominare totum, & partem, & ideo intellectio est apta nata denominare totum animal, & non eius partem.

De alio, quia sequitur, quòd contraria erunt in eodem, dico q; istæ potentiæ non sunt contrariæ pro primo significato, sed opera sunt contraria, & tunc diuersimode insunt ista opera ipsi animæ, O' quod addis de intellectu & visione. Dico quòd assensus illi non sunt contrarij nisi quatenus eodem pacto insunt animæ, sed non insunt eodem pacto, quia sensus qui inducit solem esse pedalis qualitatis induat hoc, intellectus verò non demonstrat, & ideo vario modo sit hoc ergo &c.

Lectio LV.

ETSI omnes istæ opiniones sint probabiles, Prima tamē includit aliquid dubij illi enim primo obstat verbum Arist. tertio de anima, secundo, ubi dicit, appetitum a sensitiuo non distinguitur nisi secundum esse. Sed si sic non igitur realiter distinguitur, sępe enim videbitis ab Arist. quòd quando dicit sunt idem, subiecto, & differunt esse, id est ratione, Tum quia si ita sit, ut tu dicis, tunc sequitur, quòd nobilior esset intellectus potentia, quàm intellectus agens, cuius oppositum dicit Arist. tertio huius, ubi dicit, quòd præstantior est intellectus agens. Ex dicto autem Diui Thom. sequitur, quòd intellectus potentia sit nobilior, quòd iste intellectus comprehendit, ille alius non comprehendit, nam comprehendens nobilius est non comprehendenti apud Græcos non sequitur hoc, quia intellectus agens, & intellectus potentia sunt duæ substantiæ, & non duæ qualitates, & intellectus agens intelligit, & est præstantior intellectu potentia, quia intelligit cœlestia, & ille alius solum corruptibilia, & materialia.

Secundo sequitur secundum illam opinionem, quòd accidens intelligit, ut patet, quia intellectus, & voluntas, quæ sunt potentiæ animæ rationalis, sunt ambæ separate a materia, ergo intellectuales sunt, & ambe sunt accidentia, ergo & accidentia intelligunt.

Tertio supponit D. Thom. quòd omnis propria passio distinguatur secundum rem a suo subiecto, ut risibilitas distinguitur ab homine, hoc autem est falsum, quia risibilitas est aptitudo ad ridendum, sed omnis aptitudo est idem re cum eo cuius est aptitudo, & id quod dicit iste, potentiæ & aptitudines sunt qualitates, de secunda specie qualitatis, & ideo sunt accidentia. Huic obstat verbum Arist. 7. physic. ubi dicit, quòd ad primam speciem qualitatis non est alteratio, per se, neque etiam ad quartam, ergo neque est ad tertiam.

Dubitarunt aliqui, quia debebat dicere etiam neque ad tertiam si volebat, quòd valuisset argumentum.

Sed respondet Alexander, quòd qualitates secundæ speciei, non sunt veræ accidentia, neque qualitates, sed reponuntur in prædicamento qualitatis, quia habent modum prædicandi in quale, etiam non ne Arist. ut scitis, multa dicit in prædicamentis secundum famositatem, & ita dicit Alexand. quòd potentiæ agendi non sunt quales veræ, nec accidentia, sed sunt substantiæ animæ, & ita etiam propria passio non seiungitur ab eo cuius est propria passio, quia est naturalis potentia agendi.

Ex alia parte erat secunda opinio Scoti, quòd intellectus, & eius potentia, sunt idem, differunt tamen ex parte rei, minus tamen quàm duæ res seiunctæ, unde facit ista opinio plures distinctiones reales, ut quòd Socr. differt a Platone, ratione, quæ per opus intellectus sit, alia est partim realis, partim rationalis, & de hac optime loquutus fuit Scotus, & non possumus aliter saluare illud quod de tribus personis dicitur sine doctrina Scoti, intellectus enim per modū naturæ agit & producit Tertiam personam. Sed si nulla esset distinctio ex parte rei, tunc magis esset una illarum personarum per intellectum, quàm per voluntatem, ita enim posset produci filius a voluntate sicuti ab intellectu. Item si non esset ista distinctio quomodo distinguerentur filius & Spiritus sanctus, ponenda igitur est distinctio in his, formalis, vel realis ex natura rei. Philosophus vero nullibi posuit istā distinctionē, quia omnis distinctio est aut realis, aut rationalis, & Auer. 12. met. 39. declarans, quomodo attributa deo, ut intellectus, & voluntas, sed pro quanto illa potentia, dicitur intellectus, pro quanto ipsum amat se, est voluntas, & hæc est mens peripatheticorum.

Tum ex alio quia Auer. tertio de anima sępe dixit, intellectus in nobis vult, & voluntas intelligit, nulla igitur est distinctio ex parte rei, sed solum per opus nostri intellectus, ideo lib. destructio destructum libro tertio dicit, quòd multiplicatio partium definitionis est respectu definiti, sicut igitur partes plures definitionis non distinguuntur nec a definito nec inuicem, ita potentiæ animæ ab anima, & ideo dico quòd neque

prima

prima opinio est peripathetica,neq; secunda, ut ostendi,neq; etiã tertia,ut ostendam,quia dicit,φ potentiæ animæ omnes uel organicæ, uel inorganicæ, sunt idem cum anima rationali, loquendo de illis pro principali significato, hoc non conuenit Aristoteli, quia secundo, & si dicit in homine sunt duæ animæ una rationalis alia contraria tur rationali. O' isti exponunt Aristotelem, & dicunt, quòd per duas animas,intelligit duas potentias, sed Arist. tantum dicit sunt duæ animæ, & non dicit sunt duæ potentiæ. Item tertio huius, omnes Græci dicunt, quòd in homine sunt duæ animæ re seiunctæ,de mẽte Arist. & Platonis, & hoc quia potentia intelligendi apud Aristotelem separata est a materia intelligibili, & corruptibili,potentia uero sentiendi est immersa materiæ, utens organo corporali,generabili, & corruptibili, non ergo possunt esse idem, quia idem esset corruptibile, & eternum, & ideo Plato dicit in Thimeo,animæ rationali attexit deus animam sensitiuam, & ideo dico, quòd si loquamur de potentiis animæ quæ sunt in plantis, tunc sunt idem re cum anima ipsa iste potentiæ, quia sunt ipsa substantia plantarum, si uero loquamur de potentiis animæ bruti, sunt etiam idem quòd substantia animæ bruti, quia anima illa ex sui natura est nata operari illis operationibus, ideo omnes respiciunt unum & idem, & ideo omnes sunt idem cum ipsa, in homine uero quia in ipso sunt duæ animæ re seiunctæ ut uolunt peripatetici sensitiua, scilicet,& rationalis, & nulla est distinctio, nisi rationalis, & est intellectus & uoluntas, quæ sunt idem re cum anima, & non distinguntur nisi rationaliter,si uero loquamur de potentiis animæ organicis, tunc dico si capiamus istas potentias pro principali significato, sunt eadem re cum ipsa anima, ut dicebat ista opinio, sed differunt ratione. Sustinendo igitur hanc opinionem tanquam probabiliorem. Adducam argumenta, quæ possunt adduci in contrarium ab aliis opinionibus, & primo dicunt illi, quòd potentiæ animæ sunt accidentia, quia ista fuit opinio Auer. primo de anima.86. & 92. dicit, quòd sicuti pomum diuiditur in accidentia ista, odorem, colorem, & saporem, ita substantia animæ in potentias, diuiditur autem pomum, in illa accidentia, ergo potentiæ re seiunguntur, igitur sunt accidentia, quia dicit ibi Arist. tactus præsupponit omnes alios sensus, si sic non ergo est idem cum aliis sensibus, quia aliter idem esset prius & posterius, quod est inconueniens. Tum tertio, quia tertio met. uoluntas determinat intellectum ad opus suum, si sic, ergo uoluntas non est idem cum intellectu, quia idem non determinat semetipsum, sed ab alio determinatur. Tum ratione arguo. Quia duodecimo met. Arist. numerauit substantias abstractas numero orbium cœlestium, & numerum orbium accepit ab Astrologo, & quot sunt orbes, tot erunt potentiæ, quia inquit, isti motus sunt specie, & genere seiuncti, ergo & uirtutes mouentes sunt specie, & genere seiunctæ,ita de operationibus animæ,quia sunt specie, & genere seiunctæ, ergo fiunt a re specie & genere seiuncta, fiunt autem a potentiis animæ, ergo potentiæ animæ differunt generica & specifica differentia inuicem, ergo differunt realiter. Secundo,quia dicit Arist. quòd sensus exteriores mouent sensum communem, sensus communis imaginationem, & ista memoriam, & ut uirtus uisiua uidens colorem album præsentat sensui communi, sensus communis imaginatiuæ, imaginatiua memoriæ, si igitur ista se habent hocmodo, non ergo sunt eadem, quia nihil idem mouet seipsum, neque etiam spirituali motione, secundum Arist.tertio si nulla est distinctio ex parte rei harum potentiarum, tunc ita intellectus uult scire illud, quia est illud quod est, uoluntas intelligit, igitur ita actus nolendi est ab intellectu, sicut intellectus a uoluntate. Vltimo, quia ex dicto Auer. quòd multiplicatio potentiarum animæ, est ut multiplicatio partium definitionis, respectu definiti, si igitur ita sit quòd una res habet plures definitiones ut anima ipsa, aut ergo his definitionibus diuersis, respondet aliquod ex parte rei diuersum, uel non, si sic, ego habeo intentum, si non, tunc uanæ essent iste definitiones, & hæc sunt argumenta quæ uidentur facere pro D. Tho. & ideo oportet, soluere ista.

Dico igitur ad hæc de primo, quòd exemplum Auer. non est omnino simile, quia Auer. ibi intelligit quòd sicuti idem pomum secundum, quòd habet plures partes, habet plures definitiones, ita etiam substantia ipsius animæ, secundum quòd habet plura opera habet plures definitiones, non autem, quòd sicut pomum diuiditur in qualitates re seiunctas, ita & anima in potentias re seiunctas, quia iam dixerat Auer. quòd non distinguntur illæ potentiæ,nisi per opus intellectus. De secundo dico, quòd tactus præsupponitur ab omnibus sensibus, quo ad opus, quia tactio præcedit omnes operationes aliorum sensuum, quia ista est prior in animali. Quod addis, uoluntas determinat intellectum. Dico quòd operatio uoluntatis determinat operationem & actum intellectus, non quòd distinguantur ex parte rei, sed solum secundum opus. Quod addis rationem ex 12. met. Dico secus est loqui de motibus localibus, & secus de aliis operationibus, nam bene motus locales, si sint re seiuncti, uirtutes quæ faciunt illos motus, sunt re seiunctæ, & genere & specie, quia unius naturæ simplicis, unus tantum est motus simplex, & de istis loquutus fuit Arist. sed de operationibus secus est, quia eadem uirtus plures potest facere operationes specie, percipit enim album & nigrum,

grum, & medios colores, sed non ne iste diuisiones specie differunt, cui dubium, & tamen fiunt ab eodem principio, & ita argumentum non sequitur. Quod addis, sensus exterior mouet sensum communem, & nihil mouet seipsum. Dico quòd istæ potentiæ sicuti differunt, ex parte organi, ita differunt ex parte operationis, & ideo quando dicimus sensus exterior mouet sensum communem, id est organum mouet organum, quia simulachrum uisus mouet simulachrum sensus communis, & imaginatiuæ. De alio, quia intellectus uult sicut uoluntas eligit & intelligit. O' concedit Auer. hoc, quòd intellectus uult, & uoluntas intelligit, sed iste sunt operationes per accidens, nam dicimus medicus edificat, sed non ratione, qua medicus, sed per accidens, medicat uero per se, ita etiam intellectus per accidens uult, & uoluntas intelligit per accidens, quia intellectus non uult sub ratione qua intellectus, nec uoluntas qua talis intelligit.

De ultimo, quia anima habet diuersas definitiones, inquantum moueat. Dico quòd ex parte rei nulla est distinctio. O est igitur figmentum, nego argumentum, nam non ne sumuntur simul multa prædicata a forte, ut quòd est substantia, corpus, nulla tamen est distinctio ex parte rei, quia eadem res potest concipi diuersis conceptibus, & quæ habet diuersa opera habet ob hoc plures definitiones, ita etiam dico de potentiis animæ &c.

Lectio LVI.

DVBITATVR, nunquid tota substantia animæ quæ est in ipso animato, sit ea pars animæ quæ informat illud organum particulare, & faciat illam operationem, id est, nunquid operatio puta oculi, sit attribuenda toti animæ, an solum ei parti animæ, quæ informat oculum, ex una parte uidetur, quòd sit tota anima, quia anima est per se diuisibilis, & cum per se diuiditur, non diuiditur nisi in homiomera, uisio igitur & auditus sunt attribuenda toti animæ, & non tantum ei parti animæ, quæ informat oculum. Ex alia parte est Arist. supra, ubi probat, quòd anima est actus corporis, quia inquit, ita est de toto, sicut de parte, sed pars animæ est actus partis corporis organici, ut patet, quia potentia uisiua quæ est pars animæ est actus oculi, ergo potentia uisiua non est tota substantia animæ, sed solum pars ea quæ informat oculum. Nominales dicunt, quòd potentia uisiua est tota substantia animæ, quia anima est indiuisibilis, & si diuiditur, per accidens diuiditur, & partes eiusdem materiæ, ideo quælibet pars potest exercere quamlibet operationem eius tantum, quòd est in diuersis organis, & ideo quælibet opinio potest defendi. Mihi tamen uidetur dicendum, potentia nisiua est illa pars animæ, sed informat oculum, & sic dicendum de aliis, si tamen uelimus defendere opinionem priorem, dicemus, quòd illa est tota anima, quæ est in oculo, sed dicitur pars, quatenus utitur partiali opere, & quatenus comparatur suo toti, tamen hæ opiniones, sunt probabiles. Tertia & ultima dubitatio est de actu sensuum, nunquid pura uisio ipsa conueniat animæ, quæ informat oculum, an primo toti coniuncto ex anima & oculo, ex una parte uidetur quòd sit totius aggregati, quia ista uirtus non operatur sine organo corporali, & sic de singulis.

Nominales tamen dicunt, quòd ista opera primo insunt animæ, & per animam insunt corpori, & secundario, & hoc concedimus, quòd sunt opera totius, sed secundario contingit corpori, sed hic obstat uerbum Auer. intra, quia sonus mouet organum auditus, & organum auditus potentiam audiendi, & hæc de difficultate potentiarum animæ.

Textus XXVII.

POTENTIARVM autem animæ quæ dictæ sunt, aliis quidem insunt omnes, aliis uero quædam harum, quibusdam uero una sola, potentias uero dicimus, uegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, motiuum secundum locum, intellectiuum. Inest autem plantis uegetatiuum solum, alteris autem hoc & sensitiuum, si autem sensitiuum, & appetitiuum, appetitus quidem enim desiderium, & ira & uoluntas sunt. Animalia autem omnia habent unum sensum tactum, cui autem sensus inest, huic & letitia & tristitia, & dulce & triste, quibus autem hic, & concupiscentia, delectabilis enim appetitus hæc.

Potentiarum autem animæ. Pollicitus est Arist. declarare quot nam sint potentiæ animæ, quales sint, & quibus insint, & quæ ab inuicem essent separabiles, & quæ inseparabiles, sic exequitur quod pollicitus est, & dicit, cum quinque sint potentiæ communes animæ in genere, uegetatiua, appetitiua, sensitiua secundum locum motiua, & intellectiua, deinde ponit regulam dicit, quòd potentiæ perfectiores non possunt separari ab imperfectioribus, imperfectiores uero bene possunt a perfectioribus separari, ethic. laborat Arist. dicit uegetatiua separatur ab omnibus ut in plantis, in quibus est solum uegetatiua. Item in animalibus imperfectis præter uegetatiuam & sensitiuam, & est solum sensus tactus sicut spongie, & sunt ille quæ sunt apud Atomatarios, nam spongiæ ille sunt animalia exsiccata, quæ proprie Zeophita appellantur, quia sunt media inter animalia, & plantas, & in istis animalibus est etiam appetitiua, & quia dicit quòd potentia appetendi cum cognitionibus est ani-

malibus, semper sequitur sensum, & hoc probat dupliciter. Primo repetendo argumentum de in sectis. Secundo facit nouum argumentum, probat ergo ptimo, quia ubi est sensus ibi est & apprehensio rei proficue & nocuæ, ultra, ubi est apprehensio rei delectabilis & tristabilis, sed tristitia & delectatio sunt passiones appetitus, & ubi est delectatio & tristitia, ibi est concupiscentia, & concupiscentia est appetitus, ergo ubi est sensus semper ibi est appetitus.

Textus XXVIII.

ADHVC autem alimenti sensum habent, tactus enim alimenti sensus. Siccis enim & humidis & calidis & frigidis aluntur omnia uiuentia, horum autem sensus tactus, sed aliorum sensibilium secundum accidens, nihil enim in alimentum confert sonus, neque color, neque odoratus, humor autem unum aliquod est tangibilium, esuries autem & sitis concupiscentia, & esuries quod calidi & sicci, sitis autem frigidi & humidi, sapor uero ut delectamentum horum est.

Adhuc autem. Nouam rationem deinde addit Arist. & dicit, ubi est sensus ibi est tactus, quomodo iste omnes præsupponit, contra ubi est tactus ibi est comprehensio calidi, frigidi, humidi, & sicci, ubi sunt hæc, ibi est apprehensio alimenti, ubi hæc, ibi appetitus cibi & potus, & concupiscentia est appetitus ut dicemus, ergo ubi sensus ibi appetitus, sed quomodo ualet, ubi tactus ibi quartuor primæ qualitates. O' dico, quia illa sunt propria obiecta sensus tactus, item ubi sunt hæc, ibi est comprehensio alimenti & cibi, quia solum iste qualitates primæ, per se conueniunt, sapor sonus odor sunt per accidens ipsis cibis, sapores enim sunt dati, ut condimenta, quia ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus quia data est nutririo nt reponantur partes acquisite per generationem & postea, quia distributæ sunt a calore naturali, ideo debent reponi partes similares, deperditis, & eadem est materia proxima genetationis, & nutritionis, ut sanguis, si igitur ex eisdem constamus ex quibus nutrimur, sed constamus ex quattuor elementis, quomodo ex primis qualitatibus, specificantur, quia nutrimur ex istis primis qualitatibus, ergo sensus tactus est sensus per se alimenti, sed non sequitur ubi sensus alimenti, ibi fames & sitis. O' dico tenet hoc, quia uirtus ista quæ deprehendit deperditionem suarum partium, insurgit appetitus ad restaurationem, sed iste appetitus est fames & siris, nam fames est appetitus calidi, & sicci recuperandi, sitis est appetitus ad temperandum frigidum, & humidum, & sicuti fames est cibi ita sitis est potus, ubi ergo est sensus ibi est fames & sitis, ultra. ubi fames & sitis, ibi concupiscentia, quia ut infra dicemus, appetitus est triplex concupiscentia, ira, & uoluntas, concupiscentia inest omnibus animalibus, etiam imperfectis, quia omnia animalia desiderant cibum, ira uero non competit nisi animalibus perfectis, quia sola ista animalia habent appetitum ultionis. Voluntas, Solis hominibus inest, quia est appetitus sequens intellectum, ergo sequitur quòd ubi sensus ibi appetitus, quo uero ad uerba. Primo aduertendum, quòd commutauit tristitiam & letitiam in delectabile, & tristabile, ut denotet quòd lætitia, & tristitia non sunt obiecta concupiscentiæ, sed esse delectabile & tristabile, tanquam obiecta ipsius concupiscentiæ, aliorum uero sensuum per accidens, D. Io. quòd hæc uetba dupliciter exponuntur unomodo exponit Alexander, & dicit, quòd Arist. dixit, quòd sensus tactus est per se sensus alimenti, pet accidens aliorum sensuum, quia ex hoc, quòd aliquando duo sensus coniuncti sunt circa eandem rem, ut uisus & gustus, ur in melle, uisus uidet det mel flauum, gustns percipit dulcedinem, quia reseruata sunt simulachra horum duorum sensuum in memoria, & cum unum mouet uirtutem imaginandi, alterum mouet. Ideo cum uisus uidet illam rem flauam dicit, illud est dulce, ideo color istius uisus, mouet oculum & uisus imaginatiuam, imaginatio memoriam, in qua reseruatum est illud simulachrum dulcedinis, sicut in canibus, uerberamus enim canes ne attingant carnes, ideo cum uident carnes, non tangunt quia in memoria reseruant istam uerberationem, & licet uisus moueat tamē illud simulachrum uerberum reseruatum in memoria plus potest, & ideo abstinent a carnibus, & ideo per accidens percipiuntut alia sensibilia, in eadem re, sed cur hocmodò loquutus est Arist. O' dicit Alex. ut reprobet illam opinionem, quæ dicit, quòd omnes sunt tactus, & omnes sensus percipiunt propria sensibilia per tactum, & ideo Arist. dixit, aliarum quantitatum est per accidens, si sic, ergo alij sensus non sunt tactus, quia illi sunt per se sensibilium suorum, tactus est illorum per accidens. Aliomodo exponit Ioannes, & rectius, quòd hæc uerba non referuntur ad proxime dicta, sed ad longius, id est, ad concupiscentiam, quia concupiscentia erat appetitus alimenti, & ideo dicit concupiscentia, per se est calidi, frigidi, humidi, & sicci, ideo concupiscentia, circa alias qualitates, per accidens, ur circa sudores sapores, & addit causam, & recte, quia subdit Aristot. sapor, odor, per accidens sunt circa alimentum, ergo & concupiscentia circa ista uersatur per accidens, per se uero solum est primarum qualitatum, sapor autem sequitur qualitates tangibiles.

Lectio

Lectio LVII.

SVBIVNGIT *sapor uero* Simplicius dicit quòd Arist. hac particula uult remouere tacitam obiectionem, quia posset quis dicere, quòd sapor inest per se nutrimento, & non per accidens, hac ratione, quia omne nutrimentum proximum per se est dulce, ut sanguis, ut dictum est, inde sensu, & sensato, dulcedo est sapor, ergo item quia animalia discernunt malum a bono per gustum, sed discernunt isto, gustus per sapores, igitur sapor est conditio nutrimenti per se, & non primæ qualitates. Respondit Arist. & dicit *sapor autem*. duplex est sapor, unus imperfecte sapor, & iste nihil aliud est, quàm qualitates primæ, ut insunt alimento, & iste sapor sicuti est imperfectus etiam respicit gustum imperfectum, qui gustus perfectus est quidam tactus, qui est circa qualitates primas, ut insunt animato, quibus discernunt alimentum bonum a malo, de quo loquitur Arist. inde sensu, & sensibili, cum dixit, omnibus animalibus inest sensus tactus, & gustus, id est, imperfectus, & ideo cum sapor insit nutrimento omnium animalium, hocmodo dicit, sapor aliquando est qualitas sensibilis, & hocmodo animalia imperfecta distinguunt bonum a malo, secundomodo potest accipi sapor proprie, & perfecte, & sic sapor est qualitas secunda, consurgens ex primis, & sic respicit gustum perfectum, qui solus gustus perfectus comprehendit saporem ipsum proprium, & tunc istæ sapor non cõtingit alimento qua alimentum est, sed sunt qualitates primæ, quæ insunt ipsi alimento, per se, qua alimentum est, quia ex eisdem nutrimur ex quibus constamus, sed non constamus ex alimentis, nisi quatenus habent qualitates primas, ideo sapor non nisi per accidens contingit alimento, & ita duplicem saporem hic innuit Arist. per ista uerba, quidam imperfectus, secundus perfectus. Quod addis omnia animalia nutriuntur ex dulci, uerum est, quòd omnia animalia habent alimentum proprium suæ propriæ temperaturæ, quod est dulce, & loquor de proximo alimento, id est sanguine, nam licet concedamus cibaria amara ex illis tamen fit sanguis. Et quod addis animalia distinguunt bonum a malo gustu, gustus autem per saporem, ergo sapor est condimentum alimenti, nego argumentum, quia nutrimur ex alimentis, quatenus, habent qualitates primas, & non quatenus habent sapores, quia ex eisdem elementis ita offertis constamus, & non ex elementis quatenus habent sapores. Auer. in commento uigesimoseptimo. Dicit unum uerbum famosum, quia dicit Arist. quinq; potentias animæ. Reddit causam cur numerauit has quinq; potentias. Cum dicit, ꝙ hoc facit, quia omnis artifex non tantum præsupponit genus sibi subiectum commune, sed etiam species istius generis esse, sicuti philosophus naturalis substernit, pro genere subiecto corpus naturale, & sicuti supponit illud ita partes etiam eius ut corpora uiuentia, & non uiuentia, ita Aristot. hic, quia supponit animam esse, quæ est genus subiectum, ita supponit has potentias animæ esse, tanquam partes ipsius. O' dicit Auer. hic est dubitatio, quia infra probauit Aris. communem sensum esse, non ergo supponit artifex omnes species subiecti esse. Item tertio huius probauit intellectum agentem esse, qui est pars animæ. Tum etiam quia quarto cœli probauit ignem esse, quòd est simplex, hocmodo, scilicet quòd est quoddam corpus quod humido conseruatur, & ita probauit Aristot. hoc, quòd detur ignis, quod est corpus simplex, & tamen ignis est pars subiecta lib. de cœlo, non ergo artifex supponit omnem partem subiecti esse, ut dicitur hic. O' dicatis, ut dicit Auer. 27. tertii de cœlo quòd hoc dictum habet ueritatem, ut in pluribus, aliquando tamen probat aliquas. Sed uos dicetis, tunc petit argumentum Auer. in quo tantum laborat, contra Auicennam, primo physic. tex. ultimo, ubi dicit, solus naturalis potest probare substantias abstractas esse, & non metaphysicus, quia substantia separata est subiectum metaphysicæ, ut dicitur quinto metaphysicæ, quomodo igitur sequitur ista substantia abstracta est subiectum metaphysici, ideo non potest probari a metaphysico, & ideo non ualet argumentum, hoc est subiectum metaphysicæ, ergo non potest probari a metaphysico, quia pars subiectiua per se potest probari ab artifice, & recte ibi dicit Auer. quòd substantia abstracta sit separata a materia, non potest probari alia uia, quàm eternitate motus, & ideo a solo philosopho naturali hoc potest probari, ut 8. physic. probatur, sed cum dicis argumentum Auer. ibi nullius est ualoris. Concedo, quòd nihil ualet, & ita est de facto. Dico tamen, quòd solus philosophus naturalis potest probare substantias abstractas esse, quia non potest probari alia uia quàm per motum, quia si mobile est eternum, ergo & motor est eternus. Aliud dicit in uigesimooctauo commento, ubi dicit Arist. quòd omnia animalia habent sensum alimenti, ex hoc dicit Auer. infertur, quòd non ex omnibus rebus animalia nutriuntur, ideo indigent sensu, quo distinguant alimentum conueniens a non conuenienti, & tũc tangit difficultatem aliam, quia etiam non ex omni nutrimento nutriuntur animalia, ergo indigent sensu discernente nutrimentum conueniens a non conuenienti. O' dicit Auer. planta habet appetitum naturalem, quo distinguet hoc, sed dicam ita de animalibus quòd sufficiebat illis appetitus naturalis ad hoc ut discernerent hoc, & non erat opus sensu per hoc. O' dicit nescio

suadere hoc, nisi dicamus, quod non est simile de animali & planta, quia animal nutritur pluribus quàm planta, & ideo planta non indiguit sensu, sed ita arguam supra, nam eadem ratione probatur de animali, & planta, quia satis est quòd planta non nutritur ex quocunque nutrimento, & ideo nescit quid dicat, & hoc quia male interpretantur tex Arist. quia Arist. non dicit hoc, ut Auer. dicit; sed dicit ideo indiguit animal sensu alimenti, hac ratione, quia ex eisdem nutritur animal ex quibus constat; constat autem, ex calido, frigido, humido, & sicco, & ideo non dicit Arist. quòd ideo indiget animal sensu alimenti, quia debet distinguere alimentum conueniens a non conuenienti, ut dicit Auer. & ideo iste pauper uir laborat frustra in malo tex. Est dubitatio primo hic, qa Arist. super enumerauit solum quattuor potentias animæ, hic enumerat quinque, quia addit appetitiuam potentiam; quam non posuit supra. Secundo & difficilius, quia dicit, quòd qualitates primæ per se sunt qualitates alimenti, ergo, cum omnibus mixtis per se insint istæ qualitates, ergo animalia ex quocunque corpore mixto possunt nutriri, quod falsum est, quia non nutriuntur nisi ex mixto conuenienti suis temperaturis, confirmatur, quia nutrimentum qua tale est, est primum obiectum uirtutis nutritiuæ, quod falsum est, quia sunt obiecta tactus, non igitur sunt obiecta uirtutis nutritiuæ.

Tum etiam, quia nutrimentum qua nutrimentum, est substantia, & non accidens, quia nutrimentum debet reponere partes uiuentis deperditas, sed illa pars quæ est deperdita, est substantia, ergo nutrimentum qua nutrimentum, debet esse substantia, tertio, quia inquit Arist. quòd tactus est per se sensus alimenti, quia iste discernit qualitatem, sed sicut est unus tactus illarum qualitatum, ita etiam debet esse unus appetitus, quomodo ergo potest esse duplex appetitus, respectu quattuor qualitatum, unus calidi, & sicci est fames, alius frigidi & humidi, qui est sitis, cum appetitus sequatur tactum, & sic cum cognitione, sicuti exuriens & sitiens; Addit Ioan. argumentum circa descriptionem Arist. de fame & siti, quia calidum & siccum contrariatur frigido, & humido, quomodo igitur possunt esse circa idem, & in eodem animali, eodem tempore. Tum etiam, quia sitis appetit uinum, sed uinum est calidum ut dicit Arist. in problematibus, ergo sitis est appetitus circa calidum, & siccum, non ergo circa frigidum & humidum.

Ad hæc de primo dico, quòd Arist. supra comprehendit potentiam appetendi sub sensu, & ideo non explicauit hic, non explicat & esset manifesto ista potentia. De secundo, quia qualitates primæ non uidentur per se qualitates alimenti dico dicit Ioan. quòd qualitates absolute nō sunt conditiones alimenti, sed quando sunt in certa mensura, & ob hoc non quodlibet uiuens nutritur, ex omni mixto. Quod addis si autem per se coditiones alimenti qua alimentum, ergo sunt primum obiectum uirtutis nutritiuæ. Dico, quòd non sequitur argumentum, quia dico, quòd nutrimentum quòd est substantia, est primum obiectum uirtutis nutritiuæ, insunt primæ qualitates, quæ per se continent aliæ uero qualitates per accidens, quia ex eisdem nutrimur ex quibus constamus. Quod arguit, nutrimentum, qua nutrimentum est substantia, non ergo qualitas, concedo, sed Arist. intelligit, quòd qualitates quæ ei substantiæ primo conueniunt, sunt illæ primæ, & non dicit, quòd nutrimentum qua nutrimentum sit accidens, ut qualitas, sed dicit quòd est substantia, cui primo per se conueniunt istæ primæ qualitates, De alio, quia sensus tactus est unus appetitus, non ergo possunt esse duo appetitus, scilicet fames & sitis, De hoc tamen infra dicemus. Quod addis, fames, & sitis sunt contraria, non ergo insunt eidem eodem tempore, de hoc dicam etiam infra, sed quæro nunquid hæ descriptiones sint recte date ab Arist. hic de fame & siti, & uidetur quòd non, quia Gal. primo de causis simptomatū ubi dicit fames est appetitus siccioris oris uentriculi, & dicit in fame & siti quinque conditiones requiruntur primo quòd inaniantur membra, secundo quòd naturaliter appetant restaurari & refici, primo igitur est inatio, secundo appetitus naturalis restaurationis deperdite, tertio in animali est exuctio omnium partium animalium ab ore stomachi, quarto est sensus in ore uentriculi, quinto est appetitus animalis ad cibum, & ita sensus functionis uentriculi, si sentiat consumptionem humidi constantis, est fames, si rotidi est sitis, nō igitur est recta descriptio data hic ab Arist. de fame & siti. Tum secundo quia isti appetitus sunt contrarij, non ergo idem animal potest eodem tempore simul illos habere ut dictum est supra. Tum tertio quia, fames canina immensissima est, quæ sedatur potu uini, ut habetur 2. aph. 21. non ergo omnes fames est appetitus cibi, Tum etiam quia, mulieres prægnantes appetunt plantas & alia quæ non habent rationem nutrimenti, ergo non omnis fames est appetitus ad cibum; Tum etiam quia, sitiens appetit uinum quod est calidum, & siccum, non ergo sitis est appetitus frigidi & humidi.

Dico de primo quòd uerba Galen. sunt recte intelligenda, & illa est causalis prædicatio, cum dicit, fames est exuctio oris uentriculi, quia in animali quod habet membra sub aere exposita uere inaniuntur ab aere extrinseco, & non solum ab aere, sed a calore innato intrinseco, ista ergo membra ressoluta trahunt a membris sibi proximis proprium humidum, donec ista suctio ue-

niat

niat ad uenas coniunctas uentriculo, & inde trahunt ab ore uentriculi, & humidum constans & rotidum, & ideo inquit Galen. cum animal sentit istam exuctionem & tristem sensum uehementissime leditur, & dicebatur ista passio ab antiquis praecordium, quia communicat uentriculus cum corde, propter neruos multos quos habet, & ideo cum sentit tristitiam tunc insurgit appetitus ad cibum uel ad potum, & ideo cum ista exuctio est naturalis, appetitus etiam est naturalis, similiter si exuctio non est naturalis, nec appetitus est naturalis.

Lectio LVIII.

DICO igitur cum Arist. loquitur de fame & siti, loquitur de fame & siti naturali, & has difficultates etiam posuit Galen. in lib. de inequali intemperie, & Auicen. 13. tertij, & Auer. 3. Colligit 53. in causis horum appetituum sunt dubitationes, primo quia dicit, quod fames est appetitus sequens suctionem oris uentriculi, sed illa attractio est motus, motus autem est sensibile commune, nullus autem percipit sensibile commune, nisi mediante proprio sensibili, si igitur os uentriculi sentit suctionem istam, uel eius sensus non sentit nisi mediante aliqua qualitate ei impressa, & est qualitas illa praeter naturam, mediante qua, sensus oris uentriculi percipit motum attractionis, sed nulla uidetur, quia proprie qualitates sensus tactus sunt primae qualitates, & nulla ibi est, quia non uidemus, quod calor ibi sit, quia calor potius deicit appetitum, cum sit causa famis, Item nec frigiditas, quia febrientes non famescerent, nec sitirent, nec etiam est siccitas, quia tunc fames esset appetitus humidi, nec etiam potest esse humiditas, quia qualitas illa ab attractione imprimeretur, attractio fit a calido, qui inducit siccitatem, non ergo humiditatem, quomodo igitur sentit os stomachi suctionem istam, quae est motus, secunda dubitatio est difficilior, ex quo fames est appetitus restaurans, humidum, & humidum in ore uentriculi est duplex, substantiale quod pars membri, & animatum est, cuius igitur huius restaurandi est appetitus famis, nutritiue. Videtur primo, quod non nutrimentalis, quia illud humidum est fluidum, ergo fames est appetitus humidi, non ergo sicci ut tu dicis, si dicas quod est humidi substantialis, tunc sequitur quod statim ingesto non debet causare famem, quia non adhuc est restauratum illud humidum, immo indiget longa concoctione, & trasmutatione. Tertia difficultas, quia ex Arist. sequitur, quod fames & sitis sine passiones solum oris uentriculi, & non aliis partibus animalium contingit iste appetitus, hoc autem non uidetur uerum, primo, quia reliqua membra sunt acutissimi sensus, ut musculi, cur ergo non sentiunt propriam resolutionem proprij humidi, & non habent nec sint sicut os uentriculi, statim igitur, quod iniecti fuerit tanta quantitas cibi & potus quod sufficiat pro restauratione oris uentriculi, cessabit fames & sitis, quod tamē non accidit, quia non cessat nisi tanta quantitas iniecta quae sufficiat pro restauratione totius corporis, Quarto, quia fames & sitis sunt passiones sensus tactus, & inest omnibus animalibus imperfectis, quia omnia animalia habent sensum alimenti, dicit Arist. sed in aliis animalibus non est distinctio, neque uentriculi, neque epatis, quomodo ergo fames in istis est, cum non possint esse in illis uenae meseraicae attrahentes, quia in talibus animalibus non sunt tales uenae, quae possint attrahere a uentriculo nec aliae ab epate, cum ibi nulla sit partium istarum, Quinta & ultima dubitatio, quia omnis appetitus animalis, esset cum cognitione rei appetitae, sed fames & sitis sunt sine cognitione, cibi & potus ut patet, quia infans statim natus quaerit hoc, quod nunquam nouit neque uidit non igitur fames est appetitus animalis.

De prima dubitatione laborant medici, & nulli expositores recte loquuntur, Thomas de Garbo in summa sua dicit, quod percipitur motus attractionis a sensu tactus oris uentriculi, & mediante qua qualitate, O' nulla, quia Galen. dicit, quod appetitus sequens sensum huius suctionis est fames, & non ponit aliquam aliam qualitatem medicinam, Sed contra, quia nullum sensibile commune potest apprehendi a sensu exteriori, sine apprehensione proprij sensibilis, non ergo potest apprehendi a sensu tactus ista exuctio Secundo quia si ex ista exuctione causatur iste appetitus quietis, quia nos succurrimus motum, cum quiete. & lesio in ore uentriculi fit a motu isto. Tum quia fames, est appetitus ad tollendam istam lesionem, fames ergo appetitus erit quietis, Tertio quia 1. phy. causa proxima appetitus est indigentia, nam non desiderantur nisi ea quibus indigemus, Ideo Trusianus secundo Tegh. aliter dicit, quod sensus oris uentriculi percipit istā exuctionem, & qualitatem, O dicit meditate ista qualitate causata ex illa indigentia & suctione. Sed contra, quia effectus positiui causa proxima debet esse positiua, sed illa exuctio est priuatio proprij humidi, quomodo igitur possunt esse talis qualitatis, quae est causa positiua rei, secundo quia aut ista qualitas impressa est prima, aut secunda, quae appetentia ortum habet non prima, ut prius argumentum est, neque ergo potest esse aliqua qualitas. Secundo quia iste habent ortum ex primis. Tertio dicit latebas fortius, quod percipitur iste met. mediante qualitate, & quae qualitas est ista, O' dicit ipse est qualitas, quae oritur ex illo motu corrugationis, dicit tamen quod ista qualitas nō percipe-

re manifeste, ut fit quando muscae ambulant super faciem, ubi solum motus percipitur, sed hoc est figmentum, quia ubiq; partes uentriculi sunt equalis tēperamenti, esto ꝙ una tangat aliam tamen apprehendet ipsam, quia sensus tactus non apprehendit nisi dissimilia, & si non percipitur iste motus in animali temperato, ergo non fiet fames, quod est contra ueritatem. Tum etiam quia, potest esse, quòd non sit illud quod tu dicis in ore uentriculi, ut aiunt in animali bene temperato, ergo in huiusmodi non fiet fames. Ideo Vgo senensis & alij plueres, cum Auicen. & Auer. dicunt, quòd tempore quo trahit ab ore uentriculi epar utrumque humidum. Tum scilicet constans tum fluidum, tunc stomachus trahit attrambilem a splene in auxilium sui, & ratione illius melācholiae, uel attrebilis, quae mordicat os uentriculi & mediāte ista qualitate quae est impressa a malencholia, sentit suctionem illam uentriculus. Sed contra quia nulla est uena pertingens ad os uentriculi ut dixit peritissimus Vessalius, non igitur potest, fieri ista attractio ab ipso uentriculo ab ipso epate ipsius humoris melancholici. Secundo quia Galen. nunquam assignauit hanc causam famis, sed dixit tantum esse quinque motus, & non posuit attrambilem. Tertio quia sic fames cum sit appetitus istius male qualitatis remouende, & ista mala qualitas est frigida & sicca, ergo fames est appetitus calidi, & humidi, quia tollitur per contrarium, huius tamen oppositum dicit Arist. qui dicit, quòd fames est appetitus calidi & sicci. Quarto quia pari passu etiam in siti est attractio huius humoris, quod tamen non aiunt. Quid ergo dicendum. Dico quòd illo sensu non sentimus motum, sed sentimus priuationem istius humidi. Tum constantis. Tum fluidi, & non motum. O' isti hic aduersantur, quia priuatio non est causa effectus positiui, non ergo priuatio potest esse. Causa famis & sitis, quae sunt positiua, secundo, quia nullius sensibilis priuatio & absentia potest esse causa tristitiae in sensu aliquo exteriori, quia sensus exterior non est nisi praesentis, ita & appetitus, nam appetitus sensus cuiuslibet sequitur proprium sensum, non ergo appetitus iste potest esse rei absentis, Tertio de siti, quia sitis est priuatio humidi rotidi absumpti, & male qualitatis impresse, cras prosequar.

Lectio LIX.

ERAT dubitatio in uerbis Gal. primo de simptomatū causis, ubi declarat causas famis & sitis, & in tex. dicebat, quòd fames erat sensus exuctionis. Erat dubitatio, cuius nam rei esset sensus, fuere quinque modi dicendi, quorum uerior est, quòd fames non est aliud nisi sensus priuationis, id est indigentiae humoris. Erat prima dubitatio, quia nulla priuatio est per se causa effectus positiui, quomodo ergo ista ablatio quae est priuatio potest esse causa huius appetitus, scilicet famis, quia est positiuus. Secunda dubitatio quia ista sensatio est cum tristitia, nulla absentia potest esse causa tristitiae, in sensu exteriori, quia sensus exteriores non apprehendunt nisi obiecta praecedentia, ergo & appetitus sequens istos debet esse praesentia, non ergo sensus ablationis & tristitiae ipsa fames dici potest. Tertio dubitatur in siti, quia sitis fit a calore praeter naturali consumente humidum rotidum, & sic imprimitur qualitas ibi, tamen non est absentia. Dico quòd istius appetitus, scilicet famis, causa est indigentia ex Arist. primo physic.

Ideo de primo cum dicebas nulla priuatio est per se causa positiui, quomodo ergo ista ablatio potest esse causa famis. Dico quòd priuatio non potest esse causa per se, sed tamen est occasio, & sic non est causa per se sed occasionaliter, quia duplex est appetitus naturalis, & animalis, naturalis est ut cum materia appetit formam, animalis ut quando desideramus rem quam non habemus, ideo concedo, quòd non sit per se causa, sed occasio.

De secundo dico, quòd falsum est, O' dixit Arist. quòd sit, dico, quòd etiam dixit continuū non enim bene legerunt uerba Arist. quia dixit auditus non solum percipit sonum, sed etiam absentiam soni, ita etiam de uisu, quo ad colores quia non solum colores, sed & tenebras etiam apprehendit, quia dicit sensibilia communia sunt quinque. scilicet motus, numerus nacunm, figura, & quies, sed quies est priuatio, & tamen apprehenditur, ideo sensus nedum apprehendit rē praesentem, sed priuationem, quomodo igitur Arist. dixit prius, quòd sensus exteriores apprehendunt praesentia tantum postea dixit absentia, dicemus infra.

Sed diceris nunquid actus sentiendi, sint causa appetendi in eodem sensu, circa idem subiectum, ut ex G. si uideo puellam pulchram an appetam illam, Iac. forliniēsis uidetur uaria dicere. Dicatis tamen uos quòd non, quia cum sit eadem anima, & eadem uirtus, idem moueret se ipsum motione spirituali, & sic sequeretur argumentum Arist. 8. physic. quòd actus & potentia essent simul.

De tertio concedendo quòd est sensus qualitatis, & ex hoc forsitan possumus soluere problema Arist. uigesimaoctaua parti probl. quinto & sexto, cur molestior sit sitis, quàm fames, quia in fame est tantum sensus indigentiae, in siti non est eadem indigentia, & perceptio qualitatis, & ita possumus reddere istam causam, sed illam quam reddit Arist.

De secunda dubitatione principali, quia diximus quòd fames insequitur indigentiam humidi,

di, quia ab Epate aufertur humidum, & ab ore uentriculi. Est dubitatio cum duplex sit humidum, scilicet Chilosum & substantiale, cum dicimus quòd fames insequitur humidum, quod nam humidum, chilosum, an substantiale, quod est pars uiuentis. De siti concesserunt omnes medici, quòd sitis nascitur ex ablatione humidi roridi, de fame est dubitatio, an fames sit appetitus humidi chilosi, an substantialis, uarii sunt expositores, in hoc, Gentilis in lib. de fame & siti dicit, quòd fames est humidi nutrimentalis appetitus, non substantialis, quia non est necesse, quòd resoluitur humidum substantiale, ad hoc ut fiat fames, ratio quia fames est cum tristitia, tristitia est subito & materialiter impressa, humidum substantiale paulatim deperditur, & insensibiliter, non ergo cum tristitia, secundo, quia ingesto cibo quiescit fames, & tamen non est adhuc restauratum humidum substantiale, bene subito fit chilosum humidum, quia ad hoc quòd fiat humidum substantiale indiget multo tempore.

Tertio quia in fame fit exsiccatio quædam, quia membra trahunt inuicem, Epar enim trahit a stomacho, & non trahit humidum substantiale, sed humidum chilosum, etiam quia ultimum nutrimentum omnium uiuentium est sanguis, sed illud humidum substantiale, non est sanguis, ergo uiuens non nutritur ex illo, ergo ex illo non fit fames.

Quarto quia dicit Hipp. primo Aph. tertio corpora athletarum habent famem naturalem, & tamen ibi non est resolutio humidi substantialis, quia ibi est magna copia sanguinis, ideo dicit Gentilis, quòd fames est appetitus nutrimenti chilosi, sed alii ferre omnes aduersantur, primo de animalibus dormientibus in cauernis, per sex menses, quæ non incurunt, in famem, patet, quia non dormitant in estate, quia consumpta est, pars aliqua humidi substantialis, & sic consurgunt ad famem, & quòd chilus non possit esse in tanto tempore, patet, quia corrumparentur, ut dicit Auic. prima primi, ubi inquit subtiliores durioribus præponendi sunt cibis, & ratio est, ne subtiliores cibi corrumpantur, cum igitur chilosus sit subtilis facile corrumpitur. Secundo, quia si fames esset appetitus humidi chilosi, & per famem uolumus restaurare deperditum humidum, & tale humidum est per se nutrimentum, quod est simpliciter humidum, & fluxibile, ergo fames est appetitus humidi non sicci, quid ergo dicit Arist. primo de infantibus argumentatur subito natis, quia infans subito natus, quærit nutrimentum, & non chilosum, quia non habuit nam prius nutriebatur ex sanguine delato, ad epar per uenam umbilicalem, ideo aliter ipsi dicunt, & recte, quòd defectu amborum humorum fit fames, sed cuius nam primò, expositores inter se disentiunt Iac. dicit quòd est appetitus, primo humidi nutrimentalis, quia dissoluitur humidum substantiale, nam & tempore posterius dissoluetur nutrimentale, & sic appetitus humidi nutrimentalis est causa propria, sed mihi uidetur figmentum, quia humidum substantiale natura, & tempore, posterius dissolnetur, & sic apparet quòd est figmentum, quia humidum substantiale solidius est nutrimentali, quia est animatum, & facit ad uitam, nutrimentale autem est fluxibile ut aqua, & minus facit pro uita, ergo citius dissoluetur istud humidum, & prius ipsum substantiale, secundo sequetur quòd fames primo erit appetitus humidi, quia humidum restauratiuum, per se est humidum simpliciter, non erit ergo appetitus sicci.

Ideo mihi uidetur aliter dicendum, quòd re uera oportet, quòd concurrant ambo humores, sed primo substantialis humor, secundario nutrimentalis, & ratio est. Cum membra sint inanita unum membrum trahit ab alio, & prius humidum nutrimentale, secundo substantiale, ergo, fames est appetitus humidi substantialis, & non nutrimentalis, calidi & sicci, quia humidum famis est solidum respectu roridi ideo dicitur siccum, & quia est pars animalis, dicitur calidum, quia qualibet pars animalis, calida est, & quia non possumus reparare famem & sitim, nisi cum cibariis, ideo primo appetimus humidum substantiale & roridum, secundario cibum, & potum, & sic fames, & sitis utroque obiecto definiuntur, primario, & secundario.

Sed dicetis uos, uidemus experientia quòd ingesto cibo in ore uentriculi, si offeruntur nobis alia cibaria insurgit fames, & tamen non est resolutio alicuius humidi, secundo quia fames est ex dissolutione humidi substantialis, sitis ex consumptione humidi roridi, & cum facilius dissoluatur humidum roridum, quàm substantiale, prius debemus incurere sitim, quàm famem, quod falsum est, ut experientia patet. Tertio sequitur, cum neutrum est maioris caloris, citius appetet, quia resolutio fit a caliditate, contrarium tamen dicunt omnes medici.

De primo dico quòd non est uera fames, sed uoluntas habita ad ista cibaria. De secundo dico negando argumentum, ex duplici causa, primo quia cum epar exugit a stomacho, prius exugit substantiale, quàm roridum, quia dato quòd citius dissoluatur roridum, attractio tamen fit in substantiali, secundo etiam quia maior est copia humidi roridi, quàm substantialis, ideo prius insurgit fames, & ideo cum est magna fames, est, & sitis, quia cum epar trahit humidum substantiale, trahit postea & roridum, & sic fit sitis post famem, cras persequemur.

Lectio

Lectio LX.

REMANSIT tertia dubitatio, quæ est, quia sic omnis famis erit a calido, a calido fit maior resolutio, ergo uenter calidior magis incurreret famem, quàm frigidus, cuius oppositum dicit Galen. secundo Tegh. ubi dicit, frigidior uentriculus magis incurit famem, quàm calidior. Dico negando argumentum, quia fames fit a calido bene temperato, & moderato, non autem ab immoderato calido, nam immoderatus calor prohibet famem. Tum scilicet, quia liquefacit humiditates uentriculi, tum quia etiam attrahit alias humiditates, quas liquefacit a toto corpore. Erat quarta dubitatio, quia animalia calidioris temperamenti & ficcioris, citius incurrunt sitim, quia sitis fit a calido & sicco, cuius oppositum dicit Arist. 8. de historia animalium cap. 4. & 19. quæ aduncho sunt rostro, non bibunt unquam. Dico, quòd per se bene uerum est, quòd animalia calidiora, & ficciora citius incurrunt sitim, sed per accidens, non est uerum, ut dicit Arist. de animalibus istis, quæ uiuunt raptu, nam ista inquit, non incurrunt sitim, quia habent ualde spongiosum pulmonem, quo refrigerato non inflammatur os uentriculi, ideo non fit sitis. Aliam causam addunt alii, scilicet quòd ideo non incurrunt sitim, quia uescuntur carnibus humidis, sed ista prior est potior, & est Arist. & quia sitis primo sequitur dissolutioné humidi rotidi, sicuti fames dissolutionem humidi rotidi, & sicci, ex hoc soluitur opinio gentilis, qui dicit quòd non potest fieri fames ex dissolutione humidi substantialis, & solidi, sed tantum istius humidi, quod dicitur chilus. Primo inquit, fames est cum tristitia, ergo sequitur uehementem resolutionem ipsius & subitam, quia si sensim & paulatim fiat impressio, non fit dolor, & tristitia, sed dissolutio humidi substantialis, fit paulatine, & non fit subito, ergo fames non sequitur resolutionem humidi substantialis, sed tantum chilositatis.

Dico quòd uerum est, quòd humidum substantiale membri, paulatine dissoluitur, sed cum illa ablatio, & resolutio est facta sensibilis, tamen perceptio eius est cum tristitia, & ita non tollitur, quin fames sequatur cousumptionem humidi substantialis, in ore uentriculi, secundum argumentum est, quia statim dato cibo, tollitur fames, tamen tunc non restat humidum substantiale, ergo fames non est appetitus ad restaurandum humidum substantificum deperditum. Dico quòd uerum est, quod non statim restauratur humidum substantificum. Cum est ingestus cibus. O quomodo ergo cessat fames ingesto statim cibo, dico quòd cessat fames, quia cibus qui est in stomacho sui qualitate delectat stomachũ, ideo tollitur tristitia ab ipso. Tum etiam quia ingesto cibo. Venæ meseraricæ exugunt humiditates ab ore uentriculi, exugunt tunc humiditates cibi, & potus, ideo cessant attrahere ab ore uentriculi, & ideo tollitur fames, his duabus rationibus statim ingesto cibo. Tum tertio argumentatur, quia epar non trahit a uentriculo nisi illud humidum, quo potest nutriri epar, sed non potest nutriri ex humido substantiali, quia iam est animatus, & est simile membro, ergo exugit humidum chilosum, quo potest nutriri. Dico ad hoc quòd falsum est assumptum, quia membra inanita, attrahunt ab illis membris nutrimentum quod est in ipsis, sine bonum, siue malum sit, sicuti trahunt radices a terra, cum deficit bonus humor, & sic est quòd in fame immensa repletur stomachus malis humoribus, quia trahunt a stomacho illi humores, quando stomachus est inanis, non ergo est uerum, quòd membrum inanitum non attrahat, nisi humidum quo possit nutriri.

Tum quarto argumentatur, quia sequitur quòd corpora athletarum non incurrerent famem uniuersalem, quia nunquam attraheret epar humidum substantiale, & sanguinem a uentriculo, quia est multus sanguis in ipsis. Tum dicit Gal. primo aph. tertio. quòd athlete incurrunt famem, & naturalem. Dico quòd, illa corpora sunt repleta sanguine, ut dicis, secundum uasa, tamen secundum consuetudinem non sunt semper repleta, nam sunt uoratia, & ideo licet sit in ipsis multum sanguinis, non tamen sufficit sue uoracitati, ideo exugunt etiam humidum substantiale ab ore uentriculi illius, meseraræ uenæ.

Tum quinto argumentatur, quia non potest consumi humidum substantiale, nisi consumatur prius chilus, quia calor naturalis non dissoluit humidum substantiale, quando habet aliud humidum, sed uidemus, quòd multa corpora incurrunt famẽ dum tamen euomunt, aliquid ipsius chili, euomunt ergo fames nõ sequitur cõsumptionem humidi substantialis. Dico ad hoc quòd per accidens aliquando potest fieri consumptio humidi substantialis, non consumpto toto humido nutrimentali, ut ex causa extrinseca impediente, & ita fuit soluta, secunda quæstio.

Erat tertia dubitatio, quia ex Gal. primo de causis simptomatum fames & sitis erant passiones oris uentriculi, nam dico concedendo hoc, quia ita est de facto, arguebas primo cur reliquæ partes corporis, cum sint inanite non sentiunt suam inanitionem, & appetunt eius restaurationem, sicuti os uentriculi, cum etiam ista membra sint acuti sensus, ut sunt lacerti. Trusianus, secundo Tegh. dicit, quòd causa est ista, quòd ista passio nulli alii conuenit, quia prouenit ista passio a duplici appetitu. Tum scilicet naturali. Tum animali,

animali, est enim appetitus naturalis nirtutis nutritiuæ, & iste non sequitur cognitionem, & iste seqnitur sensum tactus, ultra uterque appetitus simul est causa, tertiæ actionis compositi, id est transglutionis seu deglutionis, quæ est composita ex appetitu naturali, & noluntario, quia ad deglutionem concurrunt musculi longi, qui sunt instrumenta motus uoluntarii, secundo concnrrunt ad deglutionem uirtus naturalis stomachi, cuius signum, quod cnm abhorremus cibum non possumus deglutire, quia uirtus stomachi, non concurrit, & ita appetitus compositus, scilicet animalis, & uoluntarius concurrunt ad tertiam actionem, compositam scilicet, quæ est deglutio, sed iste duplex appetitus ad tertiam actionem composiram, quæ est deglutio, fit solum in ista parte nentriculi, & non in aliis partibus, ideo non fit fames in aliis partibus corporis, sed solum in ore uentriculi, sed quæram a Drusiano, quia tu dicis ideo ista passio est propria ori uentriculi; quia fames est appetitus, secundus ad tertiam compositam operationem, sed nunquid intellectionis, quòd ideo sunt proprie he passiones, ori uentriculi, quia concurrit ad transglutionem, tamen quid dices de extremis partibus eius. Item est principii petitio, quia quærimus, cur alia membra non appetunt, & famescunt sicut os uentriculi, cum sint prædita sensu, & quæ causa, cur non famescant, & tu dices aliud quidam quod non est ad propositũ & ita tu non soluis, quòd ideo non conueniat aliis partibus fames, quia fames est appetitus compositus.

Secundo, & difficilius, quomodo in animalibus imperfectis & conchiliis & spongiis, ubi non est ista distinctio lacertorum, & aliorum membrorum, est fames, cnm non sit ibi ista actio composita.

Tertio, quia non est uerum, quòd fames sit appetitus compositus ex animali & formali, quia sequeretur, quòd opposita inessent eidem, quia appetitus naturalis & uoluntarius, ex opposito distinguuntur, ideo dico aliter, quòd scilicet non conueniat aliis partibus, primo quorum maior exuctio fit in uentriculo, quoniam omnia membra trahunt ab eo, & fit uiolenta attractio in aliis membris, secundo quia inter omnes partes est accutissimi sensus, quia descendunt nerui a sexta coniugatione, & communicat cerebro, ideo fit fames, relique non percipiunt, & sic est sine tristitia, quare uero ita nioienter fit.

De alia cum dicitur, ingesta ranta copia quanta sufficit ad illum locum, debet cessare fames, tamen non cessat. Dico negando argumentum, quia non posuit appetitum in ista parte pro omnibus aliis partibus, ne scilicet omnes aliæ partes laborarent, quia esset maxima tristitia, ut dicit Auic. 13. tertii, sicut etiam lingua quæ discernit non tamen pro se, sed pro omnibus aliis. De tertio, in animalibus imperfectis non sunt nenæ, epar, nec uentriculus, quomodo ergo hæc animalia incurrerent sitim. Dico, quòd isti appetitus sunt communes omnibus animalibus, & licet in his non sint hæc membra, tamen est aliquod proportionatum istis membris, sicut & in plantis, sed dicetis, quid de infante in utero, quia uenæ non exugunt ab utero, sed ab umbilico, quia in uentricnlo non est humor, aut non famescit, quod est contra experientiam. Debetis concedere, quòd nec fames, nec sitis est in infante, quia non est exuctio. O quomodo attrahit cibum, dico operatione naturali, cnm uero est extra cito famescit, quia uenæ trahunt a uentriculo.

Lectio LXI.

REMANSIT ultima dubitatio, quo nam pacto fames esset appetitus naturalis, id est, cum cognitione, ut dixit Arist. & ut dixit Gal. primo de causis simptomatũ, ubi dicit primo est inanitio membrorum. Secundo naturalis appetentia. Tertio est exuctio. Quarto sensus suctionis. Quinto animalis appetentia, quæ est fames & sitis, ergo uult, quòd sit cum cognitione, quare & animalis appetentia. Erat inquam dubitatio, quare omnis appetitus, cum cognitione erat rei appetitæ, sed fames, & sitis sunt sine cognitione cibi & potus, quare fœtus statim natus quærit lac ab ubere matris, & tamen nunquam cognouit, ergo. Tum etiam quia non ex eo quòd apprehendimus cibum famescimus, sed ex eo quòd famescimus, cognitionem habemus de cibo, ergo iste appetitus non est, cum cognitione, ergo non est animalis.

Propter hanc difficultatem dicit Iac. forlinien sis, quòd improprie dicuntur animales isti appetitus, quare sunt sine cognitione rei appetitæ, sed dicuntur animales, quia sunt cum cognitione istius dispositionis præter naturam, impresse ori uentriculi, non autem apprehendunt cibum & potum, ergo &c.

Sed hæc non soluit, quia Galen. & Arist. appellant hos appetitus simpliciter animales, quatenus distinguuntur contra naturales, & ideo dico, quòd uterque appetitus simpliciter animalis est, & isti appetitus sunt simplices non compositi, ex animali, & naturali, ut dixit Druxi, dicatis igitur, quòd appetitus famis & sitis, est uere animalis, præsupponens tamen naturalem appetitionem, ideo dicit Galen. secundo est naturalis appetitus. Tertio uero animalis appetitus, qui est fames & sitis animalis, igitur præsupponit naturalem, quia est in quinto loco, ad argumentum cum dicis appetitus naturalis &c. Dico, quòd non est falsum, O' cum probas de infante

Y nato

nato, in quo nulla præcessit cognitio cibi uel potus. Dico q præcessit et cognitio in illo, quia omne agens appetens finem, appetit etiam media ad illum finem, sine quibus non possunt consequi, ut desiderans domum, desiderat ligna & lapides sed domum in actu, & partes in potentia apprehendit, Ita etiam cum desideramus reparare partem deperditam in ore uentriculi, apprehendimus & appetimus, ea etiam, sine quibus non potest separari illud humidum, ut chilus, sanguis, sed uirtute & potentia quadam, desiderat ille sensus oris stomaci, ista sine quibus non potest separari illud humidum, ita ergo illud humidũ est substantiale est primum obiectum famis, & secundum, cibaria, ideo primo appetimus humidum substantialem, ut sanguinem, secundario cibos, & ideo istius potentiæ apprehensio esse, secundario non potentia, & sic homo desiderans domum, desiderat ea quæ sunt necessaria ad domum, ita appetitus, qui est famis. Dico igitur quòd & si infans ab ubere matris non apprehendat Lac. actu, tamen quia apprehendit humidum reparãdum, deprehendit etiam potentia Lac. quo reponatur illud humidum, sed potentia, O' dices, & est dubitatio Lac. q in rigore, quia rigor fit ex materia superfusa membris, scilicet musculis, ex quo fit motus concussionis, motus ergo concusionis erit animalis, appetitus, quia ibi est cognitio motus concussionis, ergo expellitur ille humor in potentia, est ergo motus concusionis motus animalis, quod est contra Galenum, & Auicen. ubique. Dico concedendo, quòd sicut fames & sitis sunt motus animales, ita humoris expectendi, illi autem dicunt, quòd isti motus sunt naturales, quia fit sine actuali cognitione sui, sed bene fit cum cognitione potentiali illius motus te uera tamen potest dici animalis. Aduertatis tamen, quòd fames & sitis, sunt appetitus animales, non tamen uoluntarij, quare motus uoluntarius fit cum ellectione, & perficitur musculo, fames uero & sitis fiunt sine ellectione, & non perficiuntur musculis, Remanserunt dubitationes, in principio factæ, prima fuit soluta cuius nam rei, scilicet esset fames & sitis, & diximus, quæ res sit illa exuctio, & sensus exuctionis, secundum mentem nostram. Erat igitur secunda dubitatio Ioannis Grammatici, quia fames & sitis sunt appetitus contrarij, ergo non possunt esse in eodem animali, Dico quòd isti appetitus non dicuntur formaliter contrarij, sed extrinsece ratione obiectorum, quia fames dicitur appetitus calidi & sicci, id est humidi constantis, & substantialis, quatenus enim dicitur, siccum & quatenus animatum est, dicitur calidum, sitis uero erat appetitus humidi roridi, quod dicitur frigidum & humidũ respectu prioris humidi, & ita imperfecte dicuntur contrarij isti appetitus, & ideo possunt esse in eodem animali. Erat tertium argumentum de fame canina, quia succurrimus ei per potum uini, Item est instantia de appetitu prægnantium, item de siti hidropicorum, quia aliquando succurrimus ei potione aceti. Dixi quòd Arist. loquitur hic de fame & siti naturali, & ideo argumentum non est ad propositum. Erat ultima dubitatio, quia in siti est appetitus uini quod est calidum & siccum & non humidum, & frigidum. Dico ad hoc quod per sitim homo non appetit uinum, nisi per accidens, & ex consuetudine, & delectatione, uinum enim, non comprehenditur a sitiente, O tu dicis, si appetit uinum, appetit ipsum quatenus potentia frigidum, & humidum, id est quatenus reparatur ex ipso humidum roridum, Sed si calidum potentia, quomodo ergo frigidum, & si potentia frigidum, quomodo calidum. Omitto difficultatem, nunquid omne uinum sit calidum, & dico, quòd non, ex Gal. lib. de Euchimia & Caliochimia, ubi dicit, est aliquod uinum frigidum, cum ergo dicis si uinum est potentia frigidum & humidum, quomodo igitur calidum & humidum, O' Arist. quarto metheororum dixit, omne mixtum fluens a prædominio est aqueum, uel aqua, ergo est frigidum & humidum a prædominio, uinum autem fluit, non est calidum, O' soluit Arist. hanc dubitationem in fine quarti metheororum, & ideo dico, quòd si consideretur uini substantia, ratione formæ, est potentia calidum, si uero quo ad materiam est potentia frigidum, quare forma ipsius si debet esse in materia, debet habere calorem quem contraxit a sui natura.

Item etiam de semine, nam quo ad formam semen ipsum est actu calidum, quia includit calorem naturalem, quo habet generare animal, ratione uero materiæ, est frigidum, non ergo implicat, quòd uinum sit potentia calidum, & potentia frigidum, respectu diuersorum, Sed tu dicis, quomodo in brutis ex potu aquæ restauratur humidum deperditum, nam ex simplici elemento non generatur membrum maximum, neque ergo nutritur. Dico, quòd sicut nullum mixtum generatur, ex simplici elemento, ita neque nutritur, quia omnis nutritio fit per decoctionem, sed per decoctionem separatur humidum superfluum, & inerassatur, id quod nutrit aqua autem non potest coqui, ut dixit Arist. & ideo nullo simplici elemento potest nutriri animal, & ideo ex aqua pura non reparatur illud humidum roridum, sed ex aqua permixta cum alimento, bene potest reparari humidum roridum, & ideo bruta appetunt aquam, non simpliciter, secundario. Et non secundario tantum, sed etiam quatenus aqua admiscetur cum alimentis.

Textus XXIX.

CERTIFICANDVM autem de his posterius est, nunc autem intantum dictum sit, quòd animalibus habentibus tactum & appetitus insit, de phantasia autem immanifestum, posterius autem intendendum est. Quibusdam uero adhuc inest & secundm locum motiuum, alteris autem intellectiuum & intellectus, ut hominibus, & si aliquod alterum huiusmodi est, aut & honorabilius.

Textus XXX.

MANIFESTVM igitur est quoniam eodem modo una utique erit ratio animæ & figuræ, neque enim ibi figura est præter triangulum & figuras quæ consequenter sunt, neque hic anima præter prædictas est, fiet autem utique & in figuris ratio communis quæ conuenit quidem omnibus, propria autem nullius erit figuræ, similiter enim & in dictis animalibus, unde ridiculum est quærere communem rationem in his, & in alteris quæ nullius erit eorum quæ sunt propria ratio, neque secundum propriam & indiuiduam speciem dimittentes huiusmodi.

Lectio LXII.

CERTIFICANDVM *autem de his posterius*. Declarabat quæ nam essent potentiæ animæ, & quis ordo earum, & dicit quibusdam uiuentibus inest uegetatiua, ut plantis, quibusdam etiam sensus, & quibus hæc insunt necessario, inest etiam appetitus, quia ubi est sensus, ibi est delectatio, & tristitia, Tum etiam quia ubi sensus ibi tactus, ubi hic, ibi sensus alimenti, ubi hoc, ibi fames, & sitis, hoc ostenso. Reuertitur ad principale intentum, dicens certificandum de his posterius, scilicet, quòd tactus sit sensus per se alimenti, nunc autem in tantum dicatur. Est hic duplex dubitatio, Primo quia Arist. dicit, nunquid omnibus animalibus quibus insunt hæc tria, insit phantasia, dicemus infra quòd non, quia quibus inest phantasia, insunt omnes sensus, sed non omnibus animalibus insunt omnes sensus; ergo, assumptum probatur, quia, ubi est sensus perfectus, ibi sunt omnes sensus, & non contra, sed phantasia est perfectissima sensuum, ideo, secunda dubitatio est, quia dicit, quibusdam autem inest & intellectus, ut homini, & si quid honorabilius, contra, quia non est aliquid honorabilius quod habeat rationem, quia cuicunque uiuenti inest ratio, est eiusdem speciei cum homine, quomodo igitur &c.

De primo dictum est supra tex. 20. de secundo uarij modi sunt exponendi, Ioan. Gram. uno modo exponit, & dicit, quòd est aliquid aliud ab homine, quia est equalis dignitatis cum homine, sed præstantior, ut deus, & ratio est, quia non est transitus de extremo ad extremum nisi per medium, sed datur mens diuina sine corpore corruptibili & caduco & terreno, & datur mens humana quæ est cum corpore terreno, & hæc erit anima humana, antequam descendat ad generationem hominis, coniuncta corpori spirituoso, & non terreno, sed ut dixi sepius, hoc est figmentum, quia si corpori spirituoso inest ratio, Demon ergo & homo sunt eiusdem speciei, quia habent esse, ab eadem forma, in specie ergo sunt eiusdem speciei, eiusdem temperamenti eiusdem figuræ, ergo & eiusdem corporis, ergo tam Demon. quàm homo habent terrenum corpus, ergo &c. Secundo quia anima est actus corporis organici, corpus spirituosum non est organicum, quia est similare, organicum non est dissimilare, ergo &c. Tertio quia si anima inest illi corpori cum omnibus sensibus, ergo cum sit homogeneum corpus, potentiæ sensitiue erunt eiusdem naturæ, & poterunt stare in corpore similari, ergo superfluuit distinctio istarum partium in homine, sed non superfluit, ergo, sed certe isti sequuti sunt Plat. mentem, quia Plato ponebat hæc figmenta deludendo uulgares, secretam tamen philosophiam paucis expressit Plato.

Alio modo exprimit Simpl. dicens, quòd tale equale, & præstantius homine, est cœlum, sed quomodo insunt cœlo potentiæ animæ, sicut in homine, O dicit, quòd insunt ei potentiæ sensitiuæ, sicut homini, sed actiuæ. Sed contra quia Arist. hoc loco loquitur tantum de anima, corruptibili & de eius potentiis, quomodo ergo loquitur de anima cœlesti, secundo, esto, quòd cœlo insint isti sensus, quomodo inest ei uegetatiua, quia uegetatiua data est solum corruptibilibus animalibus, ut restaurerentur partes deperdite. Tertio quomodo ibi sunt uires sensitiuæ, quia ubi sunt hæc, sunt organa distincta, & ubi hæc, ibi dissimilitudo partium, sed cœlum est homogeneum, ergo, ideo Themist. Auer. & Simplicius, in alia responsione dicunt, quòd Arist. hic loquitur sub nube, quia nondum ostensum est, an sicut homini insunt omnes potentiæ animæ, cum ratione, ita etiam possint inesse alteri animali, sed ubi ostendet hoc Arist. O dico in hoc secundo, & in hoc tertio, ut mihi uidetur sed non explicite, saltim implicite, quia in tertio huius dicit, in nullo animali excepto homine, potest esse ratio, loquendo de corruptibili, quia non est aliquis intellectus inferior corpori humano, neque aliquis superior, quia intellectus humanus est omnium imperfectissimus, quia recipit omnia, ergo omnia patitur, & magnæ potentiæ, ergo magis imperfectus, ergo non datur imperfectior intellectus intellectu humano, quia si sic, daretur animal corruptibile perfectius ho-

mine, quod est falsum, quia non potest dari perfectior complexio in alio animali, quàm in ipso homine, ut dicunt medici, & præsertim Auic. in prima primi, non ergo datur intellectus, infra intellectum humanum, ergo in animalibus corruptibilibus, non potest dari ratio, excepto homine, ideo &c. Ex hoc Arist. infert, quòd præter rationem communem animæ, ex hoc; quòd ordo repetitur inter potentias animæ, oportet habere definitiones particulares cuiuslibet speciei animæ, quia si ordo est inter potentias, & inter ipsa animas, sequitur quòd genus non est uniuocum, sed equiuocum, & probat intentum exemplo mathematico, & patet. Sed dices, Arist. dicit, genus uniuocum dicit aliquod unum subsistentem, præter species suas, quod est dubium, quia supra diximus, quòd uniuersale nihil aliud est, quàm singulare uniuersaliter apprehensum, quomodo igitur genus, quod est uniuersale, dicit aliquod subsistens, præter species suas, secundo, quia a negatione specierum ad negationem generis ualet argumentum, genus igitur non dicet aliquod subsistens præter species suas, alioquin non ualeret argumentum. Dico reuera, quòd genus uniuocum nihil dicit, præter species suas, sed sensus Arist. est talis, triplex est prædicatum commune, equiuocum, & uniuocum, & medium, quod est analogum, uniuocum est, illud quod significat in mentem unum singulare primum, & unicam notionem, ut animal si sit uniuocum, illi uoci in mente correspondet una notio, quod est singulare uniuersaliter sumptum, equiuocum non est cum uni uoci in mente plures notiones correspondent, & plurima repræsentat, ut canis quia multa ei correspondent. Analogum non habet unam notionem communem, sed plura repræsentat, ut huic uoci, sano primo correspondet eius qualitas, quæ est in animali, idest sanitas, secundario sanum, quod est in urina, &c. Ita etiam huic uoci ens, correspondet in mente una notio, sed plura repræsentant, primo enim repræsentatur substantia, secundario accidens, & ideo ablata substantia, aufertur accidens, & hoc modo ens dicitur uniuocum, & equiuocum, uniuocum quia habet unam notionem, equiuocum quia habet plura significata, & ex his soluuntur omnes dubitationes, nunquid ens sit uniuocum uel analogum, uel equiuocum, quia est analogum. Dico ergo, quòd ita intelligit Arist. quod si est genus aliquod uniuocum, quod illud habet præter suas species subsistentes, intelligit subsistentes, non secundum rem, sed secundum rationem, quia dicit unam notionem præter suas species subsistentes, quæ notio est aliquid aliud præter suas species, subsistentes quidem, non secundum rem, sed secundum rationem.

Textus XXXI.

SIMILITER autem se habent ei quod de figuris est, & quæ secundum animam sunt, semper enim in eo quod est consequenter est in potentia quod prius est in figuris & in animatis, ut in tetragono quidem trigonum est, in sensitiuo autem uegetatiuum, quare est secundum unumquodque quærendum quæ uniuscuiusque anima; ut quæ plantæ, & quæ hominis, aut bestiæ, propter quam autem causam consequenter sic se habent considerandum est, sine quidem enim uegetatiuo sensitiuum non est, a sensitiuo autem separatur uegetatiuum in plantis, iterum autem, sine quidem eo quod potest tangere aliorum sensuum, neque unus est, tactus autem sine aliis est, multa enim animalium, neque uisum, neque auditum habent, neque odoratus sensum.

Lectio LXIII.

Propter quam autem causam, Redit Arist. causam huius ordinis, & patet, tamen notandum est quòd Ioan. Gram. hic inquit ꝙ omnia animalia habentia motum localem, habent uisum, & si in talpis aliter apparet, est quia natura ita ingenita est, ne fossione terre lederetur.

Textus XXXII.

ET sensitiuorum autem alia quidem habent secundum locum motiuum, alia uero non habent, ultimum autem & minimum ratiocinationem & intellectum. Quibus enim inest ratiocinatio corruptibilium, his & reliqua omnia, quibus autem illorum unumquodque non omnibus ratiocinatio, sed quibusdam quidem neque imaginatio, alia autem hac sola uiuunt, de speculatiuo autem intellectu altera ratio est, quòd quidem igitur de horum unoquoque ratio hæc propriissima & de anima manifestum est.

Et sensitiuorum autem alia. Tertio dicit quædam mouentur de loco ad locum, quædam uero non quarto dicit extremum, & minimum animalium corruptibilium est homo, quia habet perfectiorem formam, quàm haberi possit per generationem, & notetis, quòd extremum animalium corruptibilium, est homo, quia habet ut dixi formam perfectiorem, appellat etiam minimum animalium, quia unica tantũ specie continetur, ideo habet minimam multitudinem sub se, ratio est, quia in omni uiuente, quanto aliquid est perfectius, eo magis minuitur in multitudine, & augetur potentia, ut patet in deo, quia deus est minimus in numero, & habet omnes potentias, ideo quia homo magis accedit ad illum, ideo est minimi numeri, & magnitudine potentiæ dicit littera, mentem & rationem

tionem, dicit Ioan. Grammaticus. Ita dixit, ut per mentem significaret simplicem intellectum, ut est intellectio diuinorum, quæ unico intuitu sine discursu apprehendunt, quia in ea est mens, dicit secundo rationem, ut innuat intellectum humanum qui est cum discursu. *De speculatiua intellectu est alia ratio.* Quia est separatus a corpore, immortalis, & seiunctus a materia, ille uero uirtutes comixtæ sunt materiæ. Dicit Ioan. hic Alexander extorquet uerba Arist. & dicit, quòd Arist. hic loquitur de intellectu diuino, & non humano. Sed reprehendit Ioannes Alexandrum, & rectè, quia eisdem uerbis usus est supra. Cum dixit, de intellectu autem & perspectiua potentia, ergo sicut illic intelligit, sic & ibi. secundo, quia dicit, separatur sicut perpetuum a corruptibili, sed si loqueretur de diuino non esset uerum. Tum quia dicit, & speculatiua potentia, quæ secundo ethycorum est intellectus humanus, Ideo dicit Ioannes Grammaticus, de intellectu humano est alia ratio, id est alius sermo, hoc est non spectat ad naturalem philosophum, sed solum ad metaphysicum, sed supra reprobaui istam opinionem, ideo dicatis quòd alia est ratio, quia ipse est seiunctus, aliæ uero non. Sed uos diceretis, quomodo dicit quædam uiuentia sola phantasia, dicuntur uiuere, immo ubi est phantasia, ibi sunt omnes sensus. Tum secundo, quia hic omisit potentiam appetendi, quam tamen supra dixit, uidetur ergo sibi inconstans.

De primo dicit Ioannes, quòd non dicit Arist. per illam solam uiuunt, sed ista sola. De secundo dicit, quòd comprehenditur sub sensu.

Textus XXXIII.

NECESSARIUM autem est debentem de his perscrutationem facere, accipere unumquodque eorum quid est: postea sic de habitis aut & de alys inuestigare. si autem oportet dicere quid unumquodque ipsorum: ut quid intellectiuum & sensitiuum: aut uegetatiuum: prius adhuc dicendum quid sit intelligere: & quid sentire, priores enim potentijs actus & operationes secundum rationem sunt. si autem sic his adhuc priora opposita, opportet considerare de illis, utique primum oportebit determinare propter eandem causam: ut de alimento & sensibili & intelligibili.

Ex his. Postquam ostendit Arist. ordinem potentiarum animæ, & dicto quòd anima non est uniuocum genus, nec habet unam rationem, opportet tradere non tantum unam definitionem, sed oportet descendere ad definitionem omnium specierum, ut habeamus perfectam notitiam animæ. Sed determinando de his tribus animabus perquirentur, primo quid quælibet anima, secundo quæ nam sint propriæ passiones cuiuslibet animæ, & tunc erit perfecta notitia animæ. & ad inuestigandum quid sit utraque, Primo incipiemus loqui de potentiis, quam de substantiis earum, & antequam de istis, prius de operibus loquemur, quia operationes sunt priores potentiis, & antequam loquamur de illis, loquemur de obiectis, quia sunt priora, ideo incipiemus ab obiectis, ad opera, deinde ad potentias, deinde ad substantiam, exemplum, si loquamur de uegetatiua, primo loquemur de nutrimento. Secundo de nutritione, postea de nutritiua potentia, sic etiam in aliis, & per hoc soluitur dubitatio, nunquid prius determinandum sit de potentiis, quam de substantia animæ, a quo prius incipiendum, & hanc mouit primo huius, & hic soluit, quia incipiendum est ab obiectis. Sed dices, primo huius dicit, accidentia conferunt magnam partem &c. si sic, cur ergo prius dicit de substantia, quàm de accidentibus, secundo quid intelligit per rationem, prius cum loquitur de actu & potentia, & dicit actus sunt potentiis priores, & prius agit de substantia animæ, secundo de operibus, de obiectis tertio loco. De primo dicit Ioannes, duplicia sunt accidentia, quædam sunt manifesta, & ista præponuntur, quia conferunt ad quod quid est, alia sunt accidentia per se occulta, quæ innotescunt, ex substantia animæ, & de his loquitur hic, exemplum, hic supponimus quòd uiuentia corruptibilia uiuunt, primo anima uegetatiua, secundo quod sensus ab excellenti sensibili læditur, tertio quòd in potentiis animæ est ordo, & ista sunt accidentia, quæ præcedunt definitum, & quæ primo sunt manifesta, alia uero sunt immanifesta, quæ innotescunt ex substantia animæ, ut quòd sit separabilis nec ne. De secundo tripliciter dicit, primo dicit Alexander, actus sunt priores potentiis ratione, id est, perfectione, quare opera sunt fines potentiarum, & finis est natura prior & perfectior, uel dicit, secundo, quòd sicut opera sunt priora potentiis, ita sunt obiecta, quia obiecta sunt fines potentiæ, ut uisibile est finis uisionis, & hoc in passiuis potentiis, in actiuis uero non ita est, secunda expositio est, actus sunt priores potentia ratione, id est, doctrina, & notione, quia notiones sunt opera potentiis ipsis. Tertia est expositio, & uerior, quæ dicit octauo metaphysicæ, prius secundum rationem, est illud, quod accipitur in definitione eius, & quia in definitione potentiarum accipiuntur opera, & in operationum definitione obiecta, ideo prius ratione, id est definitione, sunt obiecta, quam opera, & opera quàm potentiæ, exemplum, quid est potentia uisiua. O' illa quæ uidet, & quid est uidere. O' uisibile & uocat Arist. obiecta opposita, quia correlatiua sunt, obiectum & actus, quia uisus est coloris uisio. Sed tu dices, quomodo

modo color refertur ad uisionem. Dico de primo, quòd color absolute, non est relatiuum, sed color ut uisibile, quæ sunt relatiua, quæ se habent per modum mensuræ, & mensurati, nam scibile non refertur ad scientiam, quia multa sunt scibilia quorum nondum habetur scientia, ideo ista non dicuntur relatiua, quæ dicuntur ad conuertentiam, & quia mensura est natura prior mensurato, ita etiã scibile est natura prior scientia, ita etiam uisibile est natura prior uisione, ideo prius agendum est de uisibili, quàm de uisione, & ideo &c. De tertio dicit Ioannes, quòd Arist. uerificat sermonem suum, solum, de anima sensitiua, & uegetatiua, de intellectiua, uero non intelligit, & ita ordo, non est uerus, nisi in potentia sensitiua, & uegetatiua, quòd & si ipse dixerit de intellectu, hoc fecit ut confunderet ordinem doctrinæ. Sed miror de Io. quòd attribuat hoc Arist. ut confundat ueritatem, propter uerba, quod non solet facere, est enim philosophus ueritatis, ideo dico quòd Arist. eodem ordine procedit, sicut ipse dicit, quia tertio huius prius agit de animæ rationalis potentia, secundo de operibus, tertio de obiectis, & non propter hoc peruertit ordinem doctrinæ, quia uolens agere de anima rationali, incipit a sensu, quia persimilis est intellectus humanus sensui, quia sicut sensus patitur, patitur a sensibili, ita intellectus ab intelligibili, & cum sensus patiatur ab omnibus sensibilibus, ita intellectus ab omnibus intelligibilibus; ecce igitur, quòd loquitur de obiectis, quia sensibilia sunt obiecta. Tam intellectus, quàm sensus. Secundo de opere, quia quærit quot nam sint opera animæ rationalis, postea loquitur de potentiis. O tu dices ultimo loco quærit nunquid intellectus possit apprehendere formas separatas. Dico quòd ibi non quærit de obiecto proprio, quia supposito, quòd intellectus inuestigat sensibilia, postea quærit, nunquid apprehendat substantias separatas.

Lectio. LXIIII.

SVPER prædictis, sunt quædam dubitationes, prima est, super his uerbis Arist. semper in eo quod conueniunt est &c. 31. tex. dicit Arist. quòd potentiæ animæ habent ordinem ad inuicem, & dixit, semper prior uirtus est in posteriori potentia quadam, sicut tria in quattuor, sed dubitatur, quia non uidetur, quòd semper uegetatiua sit in sensitiua potentia, sed actu, quia actu includitur, patet, quia ualet est sensitiua, ergo uegetatiua, & semper ubi est sensitiuum ibi est uegetatiuum, ex ratione Aristotelis. Secundo, quia sensitiuum continetur in uegetatiuo prima patet, quia species continetur potentia, in genere, sed sensitiuum est species ad negatiuum non est uerùm, ergo &c. Tum tertio quia 12. metaphysicæ, duplex est potentia, actiua, & passiua, sed illa potentia, qua continetur uegetatiua, in sensitiua, potentia non est aliqua, harum, nam non actiua, quia sensitiuum non perducit uegetatiuum, nec passiua, quia neutrum horum recipit alterum, sed ambo in eodem subiecto recipiuntur, non igitur est aliqua potentia.

Dico de primo, uegetatiuum continetur actu in sensitiuo. O'uerum est, ò dicit, potentia, dico quòd ista potentia est præsuppositio quædam ipsi sensitiuo, præsupponitur uegetatiuum, quare &c. De secundo dico, quòd continetur, sensitiuũ in uegetatiuo, in potentia indeterminationis eodem pacto genus continetur, in specie potentia, id est, præsuppositione quadam.

Quod addis de tertio. Dicunt expositores communiter, quòd uegetatiuum continetur in sensitiuo potentia actiua, quia producit sua opera, non quo ad esse, sed difficultas est, de intellectu, & sensu, quia intellectus est uirtus posterior & tamen non exercet opera, quia duæ animæ sunt in homine, secundum peripatheticos, quia sensus est mediante organo intellectus sine organo, ideo aliter dico, quòd hæc potentia non est actiua, nec passiua, sed est potentia præsuppositionis, quia unum alteram præsupponit, & hic impropriè potentia est, & sic triplus continetur in quattuor potẽtia, id est præsuppositione.

Secunda dubitatio est, quia dicit actus distinguuntur per obiecta, & potentiæ per actus, ideo de obiectis quærunt expositores, cur actus distinguantur ex obiecto, & dicunt, uidetur quòd non, quia obiecta sunt distincta, & tamen actus unus, ut si oculus uideat duas medietates, ille sunt distinctæ. Etiam, quorum diuersi actus sunt circa idem numero obiecto, ut uisus hominis & aquile sunt circa lucem Solis, nec potentiæ distinguuntur per actum, quia quod est principium distinguendi, est principium essendi, actus non est principium essendi, ergo nec distinguendi.

Dicimus quòd duplex est distinctio, extrinseca, scilicet & intrinseca, intrinseca quæ distinguitur per suas differentias extrinseca, quæ per accidentia, ita actus duplex adequatum, & inadequatum, & obiectum etiam duplex adequatum, & inadequatum, adequatum, ut color respectu uisus inadequati, ut respectu albi, etiam duplex obiectum, materiale, & formale, exemplum, ut nutrimentum est obiectum nutritionis, & augumẽtationis, sed differunt formaliter. Dico ergo quòd Arist. intelligit, quòd potentiæ distinguuntur ex actibus primis & adequatis, & ita cessant omnes difficultates. Quod dicis de uisione, uidentur plures partes, tamen obiectum est unum, & si sit circa plura nihil est, quia Arist. intelligit de distinctione actuum, & obiectorum, adequate non autem

autem de omnibus. Quod addis, diuersi actus specie possunt esse circa idem obiectum numero. De hoc expositores inter se sunt diuersi, & uidetur quòd non, quia agens est idem numero, quia eadem lux est quæ causat uisionem non ex parte potentiæ, quia forma non distinguitur ex subiecto, specie, aliqui dicunt quòd specie differunt. Dico tamen, quòd sunt diuersæ species, quia longe perfectior est uisio hominis in specie, quàm illa aquilæ, hæc tamen est perfectior & longius uidit, Arist. autem dicit, quòd sensus in homine sunt perfectiores. Tu arguis, obiectum est unū, unde est distinctio. Dico ex obiecto, ut respicit diuersum obiectum, exemplum, sol cum generat diuersas species, unde est, a Sole respectu materiæ diuersæ. Tertia dubitatio, quia potentiæ distinguuntur ex operibus, operationes ex obiectis, quærimus, quæ nam sit ista distinctio Diuus Thomas, & Egidius hic dicunt, quòd distinctio potentiarum ab actibus, est per causas, quia omnis potentia, aut actiua, aut passiua, actiua, ut uirtus motiua, passiua uero ut omnes sensus, & dicit, uisus ut obiectum est prior uisione, & tamen uisio est causa, & est prior uisu, etiam uirtus actiua est potentia nutritiua, ut principium nutrimenti, sic est prior, ut tamen nutritio est causa nutritiuæ, nutritiua est propter ipsam, ita de obiectis, quia obiectum ut color producit, potentia uero passiua, ut puta uisus, recipit. Confirmat Egidius, quia sexto Topicorum, datur per natura priora, præter relatiuum, sed potentiam definit actus, actum obiectum, ergo actus prior potentia. In oppositum est hic Them. Auer. & Simpl. quia cum supra dixit procedendum est a nobis notioribus, ad notiora naturæ, id est, ex effectibus ad causas, ideo prius ex obiectis, deinde ex actibus, quia obiectum est ut effectus actus. Ideo dicunt omnes Græci, quòd est ab effectu, quid ergo dicendum. Dico, quòd ambe expositiones possunt defendi, mihi tamen magis placet expositio Græcorum, quia dicit iterum incipiemus a notioribus nobis, ad ignotiora naturæ, & non uidetur alius processus nisi ex obiectis ad actus, ex actibus ad potentias. Dico igitur sustinendo modum istorum, uel potentia animæ sit actiua, uel passiua, actus est finis potentiæ, si finis, ergo causa. Dico, quòd iste finis non est primarius, sed secundarius, propter quod non habet rationem causæ finalis, ut prima causa, quidquid agit per se ipsum primo, quia motus est sui perfectio, extrinsecæ tamen secundario mouet propter sublunaria, & iste non est finalis, & si sic, sublunaria essent priora. Dico ergo quòd actus sunt fines, secundo quòd erunt duplicia, aut ipse potentiæ, aut superiora, ideo non habent rationem causæ finalis.

Quarta dubitatio, quia dixit, tres sunt animæ, quattuor gradus, quinque potentiæ in genere, hoc habet difficultatem, quòd scilicet sint tres animæ, & non plures, quæ nam est causa, quia uidemus, quòd ossa et cerebrum nutriuntur, & non sentiunt, quia ossa non sentiunt, dolor sit respectu membrorum, nec uegetatiua, quia quomodo ista difformitas, & si uiuat sola uegetatiua, erit planta, sicut de fœtu. Secundo uidetur, quòd sint plures, quia primo non est appetitiuum, non est memoriæ capax, etiam differentia ex locis, uidetur ergo quòd plures sint gradus. De potentiis, uidentur quòd sint pauciores, quia tertio huius, & de communi motu animalium, dicit, appetitus aut cum sensu, aut cum intellectu, est principium motiuum, non ergo a motiua distinguitur, difficile est inuenire rationem, quia D. Thom. cap. 44. & prima parte 78. Dicit si operatur anima sine parte corporis, quæ sit principium uitalis, sic ratio est si operatur, cum organo, hoc dupliciter, uel cum qualitate, uel sine, ut uegetatiua operatur organo, & qualitate, scilicet calore, si sine caliditate est sensitiua, ut uisus operatur uisionem sine qualitate, ideo tres tantum sunt animæ, in potentia. Quòd uero sint tantum quattuor gradus, quia quarta est ratio, & sic soluuntur rationes, cur non dentur alii gradus. Dico, cum dicis, sensitiuum comprehendit appetitiuum, quòd sunt equalis ambitus, nec memoratiuum, nec disciplinæ capax reducuntur ad sensitiuum, ut memoria disciplinæ capax, ad mentem, uolatile, & aquatile, non faciunt gradus diuersos, quia sunt extrinsecæ, potentiæ in genere, sunt quinque, quia sumitur numerus potentiarum ex operibus, quia quinque sunt opera, quæ non possunt reduci ad idem principium, ut uegetatiua, sensitiua actus appetendi, uirtus motiua, rationalis, quæ non reducuntur ad unum principium.

Vltimo dubitatur, nunquid in cœlo sint potētiæ animæ seiunctæ, ex una parte uidetur, quòd sic, quia ibi intellectus uoluntas, uirtus motiua, ex alia parte uidetur, quòd non, quia ex sui natura simplex, carens multitudine, etiam ex parte corporis, quia simplex. Dico quòd secundum Alexandrum, non distinguuntur, & tamen in cœlo est uoluntas, & intellectus, & sunt idem re, differunt tantum ratione, quia sui substantia, est sui intellectio, forte distinguuntur apud Theologos, dixi forte, quia est dubitatio, quoniam pater producit uerbum, a uoluntate emanat spiritus sanctus, & sic ex parte rei, est aliqua distinctio, etiam mihi uidetur, quòd probabiliter ponit distinctionem ex natura rei, non realiter, potentia motiua non est in cœlo, quia uirtus motiua, est quæ mouet de loco ad locum, ideo istæ potentiæ non sunt intensæ, nisi ratione & tamen intellectus, & uoluntas insunt cœlo.

Textu

Textus XXXIIII.

QVARE primo de alimento & generatione dicendum est, uegetatiua enim anima & aliis inest prima, & maxime communis potentia est anima, secundum quam est uiuere omnibus, cuius sunt opera generare & alimento uti. Naturalissimum enim operum uiuentibus est quæcunque perfecta & non orbata, aut generationem spontaneam habent, facere alterum quale ipsum, animal quidem animal, planta autem plantam, quatenus ipso semper & diuino & immortali esse participent, secundum quod possunt, omnia enim illud appetunt, illius causa agunt omnia quæcunque agunt secundum naturam.

Lectio LXV.

QVONIAM *primo de alimento* Tex. iste difficilis est & solus Ioan. bene exposuit, inquit enim, quia ad perfectam animæ notitiam, non erat satis communis definitio animæ, sed oportebat quærere in speciali, inquirendo tamen definitiones. Tum proprie, & quia inter istas tres prima est uegetatiua, ordine naturæ, est etiam communissima, quia reperitur in omnibus uiuētibus corruptibilibus etiā per hanc uirtutem omnia animalia dicuntur uiuere hac potentia, ut homo uiuit uegetatiua, quia aliquando perditur sensus, ut a poplecticis, ideo prius de ipsa, & quia istius animæ sunt tres potentiæ, actiua, generatiua & nutritiua, & quia dictum est, quòd prius de omnibus agendum, nutritiuæ autem obiectum est alimentum, auctiuæ est perfecta quantitas, generatiuæ est sibi similis generatio, & quia prius de potentiis, quàm de substantia, ideo prius de auctiua, & quia prius de operationibus, ideo primò incipiemus ab obiecto generatiuæ, ideo dicit, in tex quoniam primo de alimento & generatione, id est genito, quia per hoc uerbum exprimit obiectum generatiuæ, alimentum est nutritiuæ, dimisit auctricem, & quia inquit Ioan. obiectum nutritiuæ, & uegetatiuæ, est perfecta quantitas, qua potest generare sibi simile, generatiuæ obiectum est genitum sibi simile, & nō tantū obiecta, sed fines, & ide osubiū git, *naturalissimum est opus*, id est operatio maxime intenta a natura est ista, quia sicut in arte domus, est obiectum ædificationis, & finis, quia dum fit est obiectum, dum facta est, est finis, quia habito fine cessat motus, ideo genitum dum generatur est obiectum, cum uero genitum est, est finis, & addit rationem, quia hoc fine assequutus est diuinum & perpetuum, quod in ente diuino eo modo quo possunt, & ideo permanet sibi simile, ideo inquit, iste est finis maxime intentus, quia assequitur perpetuitatem per quam omnia agunt, ideo enim ignis generat sibi simile, ut consequatur perpetuitatem, & omnia entia naturæ agunt propter primum principium, quod est perpetuum, obseruatis tamen tribus cōditionibus, primo quòd non sint imperfecta, exponatis, secundum etatem, secundo, quòd non habeant aliquam occasionem, ut si habeant aliquid extrinsecum, & ex qualitate, ut temperamenti nimium frigidi, non generant, tertio quòd non sint sponte nata, & appellat sponte nata, quia non uidentur habere extrinsecum agens; quo etiam modo dicimus, lassitudines spontaneas, habent tamen extrinsece generans ut calor, ut uapor purior &c. Causa quòd tale animal generetur, Cum cœlo, ut generatur a patre & a cœlo, ideo generatur, & si non sit pater, & ex hoc ellicietis, quòd mus non generat murem & quòd differunt specie inter se.

Textus XXXV.

ID autem quòd cuius causa sit dupliciter est, hoc quidem cuius, illud uero quo, quoniam igitur communicare non possunt ipso semper & diuino continuatione, propter id quod nihil contingit corruptibilium idem & unum numero permanere, secundum quòd potest participare unumquodq; sic communicat, hoc quidem magis, illud uero minus, & permanet non idem sed ut idem numero quidem non unum, specie autem unum.

Ipsum autem cuius causa. Quia Aristot. fecit mentionem de causa finali, quia dixit, finis intentus est generare sibi simile, dat distinctionem de fine, & hac distinctione, usus est in secundo de generatione & corruptione, & in poetica, inquit Ioan. & dixit duplex finis, gratia cuius, & cui, non quo (sicut dicunt isti) & dat exemplum in arte, edificator enim habet duos fines, gratia cuius & est domus, cui & est homo, ut scilicet ei sit tegendum arcens ab imbribus, ita in materia duplex finis, gratia cuius, ut generet sibi simile in specie, propter perpetuitatem, cui non propter se ipsum, pater enim non generat filium propter filiū, sed propter se, quia naturaliter agit propter se ipsum, quia non potest conseruari in indiuiduo, intendit ad minus in specie, & ratio est, quia indiuidua non possunt permanere & assequi perpetuitatem, nisi mediante generatione, & hoc quidem magis, illud uero minus, Ioan. hæc uerba tripliciter exponit, quia eorum quæ generantur, in omnibus temporibus habent generationem, ut animalia perfecta, ideo semper innenitur indiuiduum, animalia uero imperfecta, ut quæ generantur ex putri materia, ista omni tempore non generantur, sed determinate, & etiam non in omni tempore generatur indiuiduum, & perfecta magis assequuntur, imperfecta uero minus, secundo possumus exponere, quòd aliqua in sui specie habent breuiorem uitam, aliqua

uero

uero longiorem, sed hæc expositio suspecta est, ideo quia, multa animalia bruta sunt longioris uitæ, quàm homo, ideo illa magis accedent ad perpetuitatem, quàm homo, quod non uidetur uerum, quia homo magis accedit deo, secundum perfectionem, ergo secundum perpetuitatem, quòd uero aliqua sunt longioris uitæ, quàm homo, patet de ceruis, & de serpentibus, tertio modo potest intelligi non referendo ad quantitatem, sed ad qualitatem, quia uisio aquilæ in luce solis est perfectior, quàm ea quam habet homo, ideo sic, perfectio ista est secundum qualitatem, non secundum quantitatem, quicquid sit, prima expositio uidetur satis bona.

Lectio LXVI.

SVPER uerbis lectis, sunt dubitationes, quia enumerans potentias uegetatiuæ, enumerat tantum duas, dimisit enim auctiuam, rum quia dixit obiectum auctiuæ, est perfecta quantitas, generatiue uero genita, cum infra aliter dicet, Tum quia hic dicit, genitum est obiectum, alibi uero dixit semen. Tum etiam quia aliter debuit producere, incipiendum enim erat a cõmuni potentia, sicut superius fecit de animalibus, modo nutritiua est prior & communior omnibus, ideo prius de altrice dicendum fuit.

De primo dico, quòd illa quam non enumerauit, comprehenditur sub illis, quia media est. De secundo dicit Ioan. quòd non erat obiectum extrinsecum proportionatum rebus, quid ad argumentum, quòd ista habent uerius rationem instituti, quàm obiecti, ut alimentum, si dicitur infra, quod est obiectum, intelligatis, quòd se habet ut institutum, ita de semine, est institutum, & ratio est, quia generatio, generati est generatio, ideo tacuit semen, & dixit genitum, quia loquebatur de primo adequato. De ultimo, quia debet describi res secundum ordinem naturæ, quia non est in potestate nostra ordinare res. Dicit Ioan. non seruauit eundem ordinem in tribus animabus, & potentiis suis, quia prius seruauit ordinem naturæ, hic uero nõ quia peruertit ordinem dicit Ioan. non quia iste operationes aliarum potentiarum reducuntur ad generationem, ideo operatio manifestior, & quia prius ab operibus, quàm a potentiis, ideo incipit ab operatione generatiuæ, quia ordo doctrinæ debet esse ex notioribus nobis, ita de sensu, prius incipit a uisu, quia obiectum & operatio sunt manifestiores aliis, non obseruauit ergo ordinem naturæ. Dico quòd obseruauit, quia perfectior est prior natura simpliciter, quia operatio notioris perfectioris.

Secunda dubitatio, quia dicit, quòd naturalissimum est generare sibi simile, seruata triplici, conditione, primo, quòd sint perfecta in etate, secunda, quòd non sit defectus, in qualitate uel quantitate, etiam si non fuerint genita sponte, id est ex putri materia. Est dubitatio, quia sunt aliqua animalia, quæ habent ista tria, & non generant in tertia conditione, quia dicit, quod quibusdam piscibus, ex materia putri natis, quòd generant sibi simile in specie, ita etiam de apibus, quæ dimittunt semen in suis cellulis. Etiam si animal generet animal, aut sensitiua aut uegetatiua potentia, si dicas, quòd sensitiua, dico, quòd non, quia etiam reliquas potentias habebunt, quia eadem est ratio, nec uegetatiua, quia imperfectum perfectus generare non potest.

De primo dicit Ioan. quòd in specie muli, est quædam orbatio a natura, quia non est puræ naturæ, quia nec asini, nec equi, sed mixtum, ideo uidetur, quòd sit orbatio, non est tamen negandum mulas concipere, & parere, ut Arist. primo de historia animalium dicit, & nostris etiam temporibus obseruatum est, quia tamen facit abortum, & non potest enutrire, ideo &c. De secundo possumus dicere, quòd generat, sed non eiusdem speciei, & sic alter alterum, non tamen in infinitum, quod de apibus quæ habent ortum ex putri materia, & non habent eandem figuram forte possumus dicere hic, quòd Arist. loquitur de perfectioribus animalibus, & Ioan. uidetur, concedere mus non est animal perfectum, quia sanguine præditus, apes uero cum sint insecta generant apes eiusdem speciei, quia insecta.

De tertio dicit Ioan. quòd generat mediante semine, in quo sunt omnes potentiæ indiuisibiliter, quia dicit Ioan. non est uerum, quòd in semine sit sensus, quia si frangatur non sentit. De uegetatiua est dubitatio, Plato dixit, quòd sic in Thimæo, quòd uiuit, quia respirat, Hippocrates etiam dixit, quia secundum ipsum calor innatus est anima, & fuit sententia stoicorum, & Galenus quinto de Simpl. medicina cap. 8. & prima particula aph. 14. cum ergo semen sit calor, est anima, & sic uiuit, sed hæc sententia longe est a sententia peripateticorum, quia anima est actus corporis organici, id est dissimilatis, semen est homogeneum, quia quælibet pars seminis est semen. Tum ex alia ratione, quia omne corpus animatum habet determinatam figuram, & sic secundo cœli probauit, quòd cœlum est animatum, quia habet figuram, sed semen non habet figuram, nisi continentis, quid ergo, ad argumentum ipsius. Dico quòd nihil est, animal generat animal mediante sensitiua, ut supplet uegetatiuam, nutrit, & auget, quia suppler opera eius. Dices, eadem ratione, potentia irascibilis debet generare irascibilem sibi similem, nego, & ratio est, quia irascibilis non supplet, ut sensitiua, quæ supplet opera uegetatiuę, & possumus dicere mediante uegetatiua, ut continetur in sensitiua, imperfectius producet perfectius, Dico

quòd non inconuenit, sicut esset, quòd ex semine generatur animal. Cum tamen sit imperfectius, & ratio est, quia est institutum. De principali agente bene uerum est. Tertia dubitatio, quia generant desiderio perpetuitatis, primo, quia desiderium est animalis, plantae uero generant, tamen non habent desiderium seu appetitum animalis, ergo non generant propter perpetuitatem. secundo quid de metallis, quae non generant sibi simile, semper tamen inuenitur, Dico ut Ioan. quòd accipit desiderium pro appetitu naturali, & sic improprie loquitur Arist. hic de secundo dico, quòd assequuntur perpetuitatem mediante generatione, non ex uirtute in ipsis, sed ex ea quae est in uniuerso, & non est mirum, quia animal emisso semine generat sibi simile. Nunquid quoddam membrum generet sibi simile non, sed ex toto generatur, non tamen intelligatis, quòd caro non generet carnem, quia falsum est.

Quarta dubitatio in uerbis istis, haec quidem magis, illa uero minus propria expositio fuit, quòd uiuentia quaedam generant sibi simile, aliqua minus perfecta, quae deficiunt aliquo tempore, est dubitatio, quia primo posteriorum species sunt ubique, & semper, & Linconiensis ita exposuit, quòd scilicet in omni loco, & tempore potest inueniri indiuiduum, & sunt de perfectione uniuersi, ideo sunt eternae, & quae est, dixit Ioan. in sua expositione, habent conditionem, cum dictis, primo, quia in prima expositione deficit, nam genita ex putri materia interrumpuntur, species autem sunt eternae, ergo semper aliqua indiuidua, si non hic, alibi, in secunda expositione etiam contradicit Arist. 4. de generatione animaliũ, decimo negantis aliquod brutum esse longioris uitae, quàm homo. Et in eo quod dixit in qualitate, quia aquila perfectius uidet, quàm homo, contradicit Arist. quinto de generatione animalium cap. primo, & secundo, ut patet, quid ergo dicit Ioannes.

Lectio LXVII.

DE primo, expositores sunt discordes, Lin. primo posteriorum dicit, species sunt eternae, & ubique, dicit, quòd aliquod indiuiduum speciei, semper & in aliquo loco reperitur, etiam de indiuiduis, quae ex putri materia nascuntur, Ioan. uero & Auer. dicunt, quòd est aliquod tẽpus in quo non reperitur aliquod indiuiduum alicuius speciei. Possumus tamen dicere, quòd si non reperitur hic, reperitur tamen alibi, & si nõ est, Possumus dicere, quòd Arist. loquitur de speciebus perfectis, quia imperfecte habent ortum ex putri materia, & recuperantur ita, si autem aliqua perfectarum specierum corrumpetur, non recuperaretur, quia oportet, quòd sit coniunctio maris cum femina, De secundo dico, quòd haec est mens Aristotelis, quòd scilicet homo sit longioris uitae, quàm alia, forte Ioan. accepit ab Esiodo, & Plinio in septimo libro, Plutarchus in libello de oraculis, Desiderius Erasmus in libro adagiorum, Aristot. autem in libro de generatione animalium, putat fabulosum, quòd cerui sint longioris uitae, quia gerit utero pro annum, cum dimidio, & uiuit secundum quosdam 159. annis, aliqui per 200. aliqui uero per 300. & ratio est, quia uita fundatur in proportione humidi & calidi, modo, quid calidius & humidius homine, ideo de phenicae est fabulosum ut dicit etiam Plinius.

Quinta dubitatio, in isto uerbo, naturalissimum, dixit, ista operatio maxime intenta a natura, quia conseruatur in sibi simile, est dubitatio, quia non uidetur uerum, nam auctio & nutritio, non uidentur perfectiores, primo, quia indiuiduum est perfectius specie, secundo de generatione 39. Auer. dicit, quòd indiuiduum addit aliquid speciei, ergo natura magis intendit conseruare indiuiduum, sed conseruatur per nutritionem & auctionem, ergo &c. Secundo omne ens appetit magis esse proprium, quàm alienum ergo indiuiduũ magis appetit nutritionem, & auctionẽ, quia his conseruatur D. Tho. dixit, naturalissimum, id est communissimum, quia conuenit uiuentibus, & non uiuentibus, uniuoce, sed dices, non ne nutritio & auctio conuenit omnibus animalibus, & uiuentibus, & genitis ex putri materia. Tertio quia dicit, generatio uiuentibus, & non uiuentibus, uniuoce conuenit. Contra animalia generantur ex semine, non animalia uero sine semine, ergo, ideo aliter exponitur a Themistio, naturalissimum, quòd scilicet generatio sit ultima operatio perfectionis, quia mediante ipsa assequitur perpetuitatem, ideo dicit naturalissimum operationum, id est perfectissimum, mihi tamen placet magis expositio Ioannis, quòd scilicet ista operatio est intenta a natura, Arist. in septimo de historia animalium, & in nono politicorum dixit, quòd uita naturalis non transcendit septuaginta annos, in homine, in muliere uero quinquaginta, & si uiuunt, non est uita naturalis, ideo septimo politicorum dixit, quòd generatio perfecta est a trigesimosecundo anno, usque ad septuagesimum in homine, in muliere uero a decimooctauo usque ad quinquagesimum, ideo ad argumentum dico, negando, quòd natura magis intendat conseruationem indiuidui, quàm speciei, ò, indiuiduum est perfectius, uerum est, sed perfectio ista non potest conseruari perpetuo tempore, ideo sua conseruatio est conseruatio speciei, & perfectius conseruatur, natura magis intendit conseruationem speciei, quàm indiuidui. De secundo cum dices, nunquodque ens &c. Dico, quòd per generationem acquiritur,

acquiritur, & est primum, quia pater generat filium propter se ipsum, quia essentia patris conseruatur in filio, & magis appetit filium, quàm se ipsum, quia perpetuo conseruatur, ideo patres magis tenentur filiis, quàm econtra, & si politica aliter instituit, ad bene esse. Sexta dubitatio, quia dicit, quæ generantur ex putri materia fiunt casu, octauo physic. quadragesimosexto dixit, quòd nulla species generatur casu, etiam quia solicitudo diuina diuidit uirtutem generatiuam ut conseruaretur esse perpetuum, quod nõ poterat sequi ex ipso; & fuit sententia Arist. primo Oechonomicorum. Dixit enim, natura fecit coniunctionem maris cum fœmina, duodecimo uero metaphysicæ dixit, quòd non habet curam, &c. Sed quomodo sollicitatur. Sollicitudo est cum cognitione, cognoscit, ergo inferiora Deus.

De primo dico, quòd septimo metaphysicæ trigesimonono exponit dicens, quòd est similis causali, quæ causalis est ab agente naturaliter, sed non intendit illum effectum fortunæ tantum in homine, & quia ista quæ oriuntur ex putri materia, oriuntur ex calore potiori illius materiæ, si consideretur absolute ut calor, non intendit illud, si autem intelligatur quo instrumentum, per quod operatur cœlum, quia cœlum intendit illud, etiam calor instrumentum intendit illum effectum, quia instrumentum regulatum a natura intendit illud quod natura, ita de mulo, quia si consideretur, ut est a semine equi, est causalis, si uero ut operatur cœlum non, quia intenditur &c. De alio, de misericordia, & sollicitudine. Dicit Gaetanus, quòd debemus dicere, habet curam sublunarium, ad authoritatem 12. metaphysicæ dicit, quòd intelligitur recipiendo, quia est actus purus, homo autem recipit. Sed Gaetanus aduersatur Arist. & Auer. quia dicit cognitio rei imperfecte, est imperfecta, ideo non comprehendit, & Auer. dicit disputatione. sexta dico & puto, quòd sit sententia Arist. 12. metaphysicæ loquens de intellectu diuino, dicit melius est nosce, quædã, quàm non nosce, quia eorum cognitio imperfecta, quòd si non ita. Tunc imminerent difficultates de præscientia, & prouidentia dei, quæ forte non potest stare, cum Arist. Alii Græci ut Themistius dicunt, quòd comprehendit, sed sub uniuersali. Dico, ergo quòd fuit natura, quæ ordinauit coniunctionem maris, cum femina, nisi prouidentia, quæ est series causarum abstractarum, cuius præcipua pars est primus intellectus, quomodo ergo ordinauit, si non cognouit. Dico appetitu naturali, & de sollicitudine, loquitur improprie, ut particularia reguntur ab uniuersali, dixit ergo, miserta est improprie, quia scilicet effecit effectum misericordiæ, sicut dicunt Theologi.

Lectio LXVIII.

ERAT ultima dubitatio, quia dixit naturalissimum est generare equale sibi, seruatis tribus conditionibus, tertia erat, quòd non sint genita ex putri materia, inuens nobis, quòd non generat sibi simile, & ita est dubitatio, nunquid niuens genitum, ex putri materia, possit generare sibi simile, & uidetur quòd sic, quia disparitas ortus, non uariat speciem, ut probatur inductione, quia caliditas generat sibi similem, ex motu & lumine Solis, & est idem specie calor, quia tantum sunt quattuor qualitates. Primæ & in respectu, quia septimo metaph. 23. eadem specie sanitas generatur ab arte, a natura, & a casu, ut manens aliquis sub radiis Solis, casu generatur sanitas, etiam ex substantia simplici, quia ignis generatur ex igne, & ex motu, ut ex confricatione, & ex speculo, quòd autem sit idem specie probatur, quia habet easdem qualitates sursum, scilicet ascendere, ergo idem ut secundo cœli, quinto dicit Arist. idem de mixtis, quia eadem metalla generantur ex natura & arte, ut Auer. tertio huius trigesimosexto, & de uegetatiua, eadem planta generatur, ex semine, & sine semine, & dixit Alexander, eadem uiuentia, ergo generant uniuoce, & equiuoce, idem etiam de animalibus, quia tertio probl. probleut. 64. inquirit, cur quædam generantur tantum ex semine, ut perfecta, quædam uero sine semine, ut imperfecta. Diuersitas ergo ortus, non uariat speciem, ergo sunt eiusdem speciei, ex alia parte, & ex aduerso, sunt uerba Arist. hic, & primo de generatione animalium, cap. primo, quædam ex semine, & coitu, & sic generant sibi simile, quædam uero ex putri materia, & non habent sexum, sed sunt diuersa specie, & hic cessat generatio, nec sunt mas, neque fœmina, & ibi probat, & repetemus infra.

Hic sunt tres modi dicendi. Primus est Platonis, & Auicennæ, omnia uiuentia generari possunt ex putri materia. Vnde dicit Auic. in aliqua regione prius natos fuisse uiros, in aliis uero bruta, & ratio est, quia in paruis mutationibus generantur parua animalia, ita in maximis perfectissima oriuntur ex putri materia, ideo in Thimeo dicit, non fuerunt fabulæ conflagratio phætontis, nec diluuium, sub Deucalione, & Pirra, huic sententiæ alludit Arist. secundo politicorum dicens putandum illos priscos homines aliquando ortum habuisse a putri materia, sequitur, & Auic. in libello de diluuio, lex nostra uidetur hoc etiam concedere, bene uerum est, quòd lex nostra ponit ex libertate. Plato uero ex causis, & probat. Tum de muliere, tum de ozimo ex quo generantur scorpiones, etiam dixit secundo historiarum cap. diuodecimo, de Castoreo, & ulte-

tius processit & dixit, si ex putri materia generantur hæc, a fortiori in utero mulieris, poterunt generari, & ideo inquit, non est mirum uirgines parere, si dicas, quòd natura fecit meliora, & possibiliora, & breuiora; cum uero breuior generatio sit ex putri materia, quàm ex semine, ergo natura semper debet generare ex uno, dicit Auic. quòd non est uerum, quòd facilius ex limo terræ generaretur homo, quia hoc non fit nisi in maximis mutationibus, quæ tamen rarissime contingunt. Sed huic opinioni aduersatur Aristotel. quia decimo probl. problemate decimoquinto modo, & sexagesimoquarto quærit cur quædam tantum ex semine generantur, ut homo & equus, imperfecta uero utroque modo, & reddit causam, quia difficilior est eorum generatio, etiam ex tertio de generatione animalium, cap. decimo, si esset primus homo genitus, aut ex ouo, aut ex uerme, non ex ouo, quia generaretur ex animali, non ex uerme, quia sunt tantum insecta, quæ sanguine carent, generantur, quòd autem hoc sequatur patet hocmodo, quia natura prouidet animali statim nato. Trifariam, uel ex matre, ut ex lacte, & sic non est prima generatio, quia sic, aliquando matrem præcessisset, aliquando non ex parte materiæ ex qua generatur homo, ut in ouo, ex albumine generatur, ex uitello uero nutritur. Hippocrates Aristoteli aduersatur in lib. de natura infantis, quia dicit, quòd ex uitello generatur, ex albumine uero nutritur. De hoc tamen possumus scire uerum, frangendo oua, & uidere, quid remanet, tertiomodo intellectio ex humido uiscoso, quod difficile dissoluitur, ut in dormientibus in cauernis, & sic tantum tribus modis, si primo modo sic non esset prima, quia ex materia, ideo dixit Arist. ex ouo aut ex matre, si sugeretur alimentum ex ouo, erit sicut cum generatur ex ouo, si alimentum tenax sic ex uerme. Cum ergo non sit possibile ex ouo, nec ex uerme, ergo non datur prima generatio, si dicas, quomodo ualet ratio. Dico, quòd eadem est materia nutritionis & generationis, quia nutritio datur ut restauretur materia deperdita, quàm habebat in generatione, sed animalia perfecta non possunt nutriri ex terra putri, nec ergo generari. Etiam aduersatur experimento, quia tot sæculis non est uisum hominem generari ex materia putri, Plato diceret, quòd generatus est in diluuio. De experimentis Auic. de primo, quòd castor generat agnos, non est uisum, sed bene generari, dicit, falsum est, ut Gal. de facultatibus medicamentorũ, de animali illo, negatur. Ideo Auer. octauo physic. quadragesimosexto dicit, quòd generaliter nullum uiuens potest generari uniuoce, & equiuoce, in eadem specie, nedum in uiuentibus, sed etiam in mixtis, ita nullum animal genitum ex putri materia, potest generare sibi simile in specie, & adducit duas rationes, prima ex duodecimo metaphysicæ undecimo, quia dicit, si agens proximum & materia sunt diuersa, etiam quod fit est diuersum specie, si ita est, animal ex semine, & sine semine, generatur, ex alia materia, ex alio agente, ergo sunt alterius speciei. Secundo dicit Auer. quia si animal ex semine, & sine semine, esset eiusdem speciei, sequeretur quòd eadem species esset a casu, & a natura; quia si fit ex putri materia, uel necessario, uel contingenter, aut equaliter, aut ut in pluribus, aut raro, si ut in pluribus, ergo quæ ex semine raro, & sic casu, quia quæ raro fiunt, sunt a casu, nec ab equali, quia ab equaliter contingenti, non prouenit actio, ut secundo physic. quadragesimooctauo, ideo inquit, Arist. posuit casum in raro contingenti, ergo ex contingenti raro, si raro, ergo casu, quod est falsum, quia nulla species generatur casu. Tum secundo, quia omnis effectus generans raro, intendit primo, & per se, unum finem, si impediatur producit alium, ut de Gleba descendente, si ergo mus ex putri materia est a casu, ergo ab aliqua causa intendente aliquem alium effectum, & non potest assignari, ergo effectus non potest esse raro. Etiam ex uerbis Arist. quia dicit, omne uiuens generat sibi simile, nisi fuerit genitum sponte. Clarius etiam primo de generatione animalium cap. primo dicens, in uniuersum dicamus, quòd animalium, alia ex coitu, sibi similia producunt, alia non ex coitu, sed ex putri materia, ista quidem generant, sed diuersum specie, quodque prodit nec mas, nec fœmina est, & probat primo, quòd genitum ex his, sit diuersum, dicens, accipiamus duos mures ex putri materia, & generent tertium murem, iste tertius erit alterius speciei, & probat, quia si eiusdem speciei, cum genito, ergo habent eundem ortum, quod est falsum, quia generans ex putri materia est aliud, ab eo ex propagatione, ita errarunt fere omnes qui dixerunt, ex quo habent diuersum ortum, non sunt specie diuersa, quòd autem nec mas, nec fœmina sit, probat, quia si essent, possent coire, ergo si tertius cum secundo sit eiusdem speciei, ergo cum primis parentibus sunt eiusdem speciei, ergo habent eundem ortum, cum ergo sint specie diuersi, primus, & secundus, supponamus quòd primi generant mas. & fœminam, secundus tertium diuersum specie, & sic processus in infinitum in speciebus, quod abhorret natura, ideo abscindatur in principio, quia si duo indiuidua generant uniuoce, habent in tota specie consimilem modum generandi, si non habent consimilem modum generationis, differunt specie. Vnde cum homines sint eiusdem speciei, habent ergo consimilem ortum, non ualet tamen ratio apud Theologos. Dicit igitur Arist. manifestum est,

est, quòd animalia ex putri materia genita, generant sed diuersum specie.

Lectio LXIX.

SED hæc opinio falsa est, licet alias sequutus sim eam, & probo, primo authoritate Arist. septimo metaphysicæ uigesimotertio de plantis dicens, quòd sicut eadem sanitas fit a natura, & ab arte, & a casu, ita etiam aiunt in his quæ natura sunt, exponit Alexander, plantas, ut quæ fiunt ex semine, & sine semine, si debet esse continuus oportet dicere, quòd plantæ quæ & semine, & quæ sine semine fiunt, sunt eiusdem speciei specialissime, ut est sanitas, ita Arist. primo de generatione animalium cap. primo dixit, sicut quædam animalia generantur ex semine & sine semine, ita de plantis. Et quia decima sect. proble, proble. sexagesimoquarto quæritur cur aliqua animalia generantur ex semine tantum, ut homo, equus, & huiusmodi, quædam uero ex semine & sine semine. Etiam 6. de hist. animalium cap. decimoquinto inquit, mugillum generat sibi simile, subdit eadem species potest generari, ex semine, & sine semine, & ratio est, quia natura non saltat de extremo ad extremum nisi mediante medio, si ita est, quædam fiunt ex semine tantum, quædam ex putri materia tantum, ergo debet esse aliquod medium, quod fiat ex putri materia & ex semine, quòd autem quædam tantum generant ex semine, manifestum est de speciebus perfectis, quòd uero quædam ex putri tantum, patet de culicibus, pulcibus, & anguillis, quinto de historia animalium, ergo sunt quædam quæ generant ex utroque modo, & da exemplum, ut cicade scorpiones, & formicæ, quia adueniente estate fiunt cicade ex putri materia, & generantur ex coitu, & sunt eiusdem speciei, cui dubium. Secundo, quia unus genitus ex semine, & ex putri materia, habet eundem motum, idem temperamentum, eandem quantitatem, eandem figuram, eisdem conseruantur, & corrumpuntur, quomodo melius possumus probare. Vnitatem specificam, quòd autem mures generentur ex putri materia patet ex Arist. 6. de historia animalium circa finem.

Ideo est tertius modus dicendi D. Thomæ, septimo metaphysicæ, uigesimotertio, & Scoti primo sententiarum dist. secunda quæst. septima, quòd scilicet una, & eadem species, posit generari ex semine, & sine semine, eandem opinionem sequitur, Conciliator in problemate, decimoquinto & sexagesimoquarto decimi proble. Vnde dicunt sequentes hunc modum dicendi, quòd in accidentibus, idem accidens specie potest generari a diuersis. Tum etiam in substantiis, ut ignis ab igne, & a calore, etiam in mixtis, quia metalla fiunt, & a natura, & ab arte D. Tho. tamen dicit, quòd non possunt fieri nisi a natura, sed est problema neutrum, etiam in uiuentibus. Tum in plantis, tum in animalibus, quia animalia habent ortum ex putri materia, & semine, inquit, aliqua coeunt & si generant, & habent sexum distinctionis, & sic in primo gradu cessant, quædam uero habent sexum distinctionis, & aliqua non generant, ut 6. de hist. quædam generant, sed non coitu, sed in uentriculo, ut anguilla. Tertio de generatione animalium, sic ad speciem mediam, quæ generantur, & ex putri materia, & ex semine, est latitudo, quædam enim generantur ex putri materia, & semine, sed non coitu, ut apes. Etiam dixit Arist. hocmodo sit in multis piscibus, apes carent sexu distinctionis, tamen generant, sed diuersum specie, & ista est peculiaris apibus, aliqua uero ex putri materia, & coitu, & hæc sunt duplicia, quia aliqua generant sibi simile mediate, ut quæ generant oua, uel uermiculos ut perfectiores species, ut mus, ita hocmodo dico, quòd Arist. non loquitur de omnibus, sed tantum de primo gradu, scilicet, qua generantur tantum ex putri materia, dicit ista non generant, & si generant, est diuersum specie, ita de omnibus quæ oriuntur, ex putri materia tantum, non de his quæ sunt in secundo gradu, & ad hoc tendit ratio Arist. quia dicit si esset eiusdem speciei, haberet consimilem ortum. Dico, quòd possunt consimilem ortum habere in secundo gradu. In primo autem non habent, nec possunt habere, ita hic loquitur, cum dicit, nisi sponte genitum sit, scilicet de primo gradu, &c. Sed dices quid dicis, omne quod fit, ab uniuocæ fit, ut dicitur septimo metaphysicæ, etiam quia mus genitus ex putri materia & ex semine sit diuersæ speciei, probant, quia habent diuersa membra, quia quæ ex semine, habent intestina inuoluta, & parum comedunt, quæ uero sine semine multum edunt. Tertio, quia Arist. definiet uegetatiuam potentiam, quòd scilicet est per quam potest generare sibi similem in specie, sed in animalibus est uegetatiua, ergo, quæ tantum ex putri materia generantur possunt generare.

De primo, omissis omnibus dico, quòd omne quod fit, ab uniuoco fit, uirtute, uel formaliter, Vnde mus ex putri materia fit a sole, fit ab uniuoca uirtute, quia continet istum effectum.. De secundo dico, quòd si uera sunt experimenta, est ex parte materiæ, quia unum fit ex materia ab hominabili, etiam si quis habeat intestiua inuoluta, est ex materia, quia calor fuit ualidus, in alio uero non fuit. De tertio dico, quòd debemus exponere dictum Aristot. ex se ipso, quòd scilicet seruatis his tribus conditionibus sed in his quæ ex putri materia, deficit una conditio, quia sponte generantur & accepi positio-

tem ab Arist. quinto de historia cap. primo, & de generatione animalium cap. quarto, ideo non finxi mihi hanc expositionem, hoc igitur modo intellecta uerba Arist. hic, & primo de generatione animalium, cap. primo, soluuntur faciliter omnia argumenta, quia idem calor fit a motu, luce, & calore, idem etiam de sanitate, & sic disparitas ortus non uariat speciem, concedo arguebatur de igne, uerum est, quòd ista duo corpora sunt eiusdem speciei, etiam de metallis, concedo, de plantis etiam, concedo, non tamen de omnibus, quia aliquæ sunt perfectissimæ, quæ non generantur nisi ex semine, alio uero medio modo, etiam eiusdem speciei arguebatur de animalibus ex Arist. decimasexta probl. Dico concedendo, quòd illa animalia sint eiusdem speciei, Erant argumenta, Auerrois ex 12. metaphysic. quia cum materia proxima, & agens proximum sunt diuersa, etiam ea quæ generantur sunt diuersa, ut si sumatur unus ex putri materia, proxima materia est putris materia, proxima est semen, agens, calor putris.

Lectio LXX.

DICO quòd Arist. dictum, uerum est, & de minore dico, quòd duplex est materia, manens, & transiens, manens, ut corpus temperatum, respectu hominis, alia est materia transiens, ut cibus respectu corporis, non manet sed transit, duplex est ergo materia proxima, imanens, & alterationis. Dico ergo quòd Arist. loquitur de materia proxima imanente, quæ est pars rei, si uero loquamur de alteratione, non est uerum, ideo cum accipis materiam putridam, & propagationem, & agens, est calor putris in genito ex semine est calor innatus. Dico quòd iste materiæ sunt transeuntes, & Aristot. non loquitur de his, sed de imanentibus, ut os, & caro, quæ sunt eiusdem speciei, sed dices, non fugies aliam difficultatem, quòd eadem est materia generationis, & nutritionis, sed materia transiens est materia nutritionis, ergo materia generationis debet esse materia nutritionis, & si in illo, ergo in alio, ergo. Dico quòd eadem est materia generationis, & nutritionis, in mure, ergo genita ex putri materia nutrirentur ex ista, uel possunt, concedo, ita erit duplex materia proxima, sanguis, scilicet, & putredo, & nutritur ex utraque. Erat secunda ratio Auer. si generatur aliqua species ex putri materia, aut necessario aut contingenter, non necessario, ut dicebam, si contingenter, aut ut in pluribus, aut equaliter, aut raro, si primum, ergo raro ex semine, ergo casu, quod non est uerum, quia quod fit casu, non intenditur a natura, sed illa intenditur, quia est perfectio uniuersi, nec equale, quia, a contingenti equaliter non prouenit actio, quia sicut uoluntas non determinatur, nisi ab obiecto, sub ratione boni, uel mali, ita si raro, ergo a casu, quia ad perfectionem uniuersi, quod non est uerum, ad hanc igitur rationem respondendo primo obicio Auer. quia dicat mihi, ignis genitus ex lumine, & motu, aut necessario aut contingenter, non primum, quia raro, ab igne, si contingenter, sequuntur ea quæ ipse adduxit contra nos. Dico ad argumentum, quòd non contingenter generatur, quia causæ naturales possunt impediri, contingenter, respectu tamen sui possunt agere, & necessario agerent, Tu dices, aut in pluribus, aut raro, dico in pluribus, & raro in respectu, exemplum, de Eclipsi habetur scientia, tamen raro fit, ergo casu, non ualet argumentum, si enim respiciamus causam, ut in pluribus est, si respectu temporis raro est, ita de genito ex putri materia respectu causæ, ut plurimum est, respectu uero temporis, raro est, quia ut plurimum generatio earum est a semine, ideo cum Arist. dicit, quæ raro fiunt, sunt a casu, intellexit, respectu causæ, non respectu temporis. Erat pro Auer. auctoritas Arist. hic, & primo de generatione animalium, cap. primo, ad hæc uerba respondet Auicen. 15. de animalibus, & conciliator sequutus est eam opinionem, dicit, quòd iste est sensus Arist. quòd scilicet loquatur, tantum de his, quæ generant immediate, dissimile specie, mediate tamen generant sibi simile, & ita Arist. loquitur particulariter. Sed hæc expositio extorta est, primo, quia Arist. loquitur uniuersaliter, quia dixit in uniuersum, ut ita dixerim, secundo uana est expositio, si illa animalia mediate generant sibi simile, possunt ergo assequi perpetuitatem, cur dixit alia assequuntur perpetuitatem, nisi ea quæ sponte, etiam quia ita omnia animalia faciunt, quia non generant sibi simile immediate, quia animalia perfecta, ut homo, prius fœtum generant, quod tamen primo uiuit uita plantæ, non debebat ergo excludere illa, si ergo sermo Arist. est uere uniuersaliter, dicendum est sicut dixi, quòd Aristot. tres gradus posuit, quòd aliqua generantur tantum ex putri materia, & dixit hæc non generant, uel si generant, generant diuersum specie, & cessat in primo gradu generationis, ut pediculi generant lendines, quod est diuersum specie, & cessat ibi generatio, & de hoc loquutus est Arist. Erat secundus gradus, quòd tantum ex sanguine & semine ut animalia, aliqua uero & ex semine, & sine semine, ex putri materia, & de isto non loquitur Arist. quia assequuntur perpetuitatem, mediante sua specie, & ita mihi, uidetur dicendum in hac materia.

Textus XXXVI.

EST autem anima uiuentis corporis causa & princi-

principium, hac autem multipliciter dicuntur; attamen anima secundum determinatos tres modos causa dicitur: etenim unde motus causa est, & cuius causa: & sicut substantia animatorum corporum anima causa.

Lectio LXXI.

EST *autem anima uiuentis corporis.* Quia prius dixit, quòd differenti de anima, necessarius erat prius sermo de actibus, quàm de potentiis, & deinde de essentiis, & dicit triplex est anima in genere, uegetatiua sensitiua, & intellectiua, & quia anima est causa nutritionis, sensibilis intelligibilis hic declarat, in quibus generibus causæ, anima sit, & inquit, in triplici genere, formali, efficiente, finali, quòd sit formalis proba dupliciter ibi.

Textus XXXVII.

QVOD quidem igitur sit sicut substantia manifestum est, causa enim ipsius esse omnibus substantia est, uiuere autem uiuentibus est esse, causa autem & principium horum anima, amplius autem eius quòd potentia ratio actus est, manifestum autem est & quòd cuius gratia anima causa, sicut enim intellectus gratia huius facit, eodem modo & natura & hoc est ipsius finis, huiusmodi autem in animalibus anima, & secundum naturam, omnia enim physica corpora animæ instrumenta sunt sicut animalium, sic & plantarum tanquam gratia animæ existentia, dupliciter autem dicitur, & quòd cuius causa est, & quòd cuius, & quòd quo. At uero & unde principium qui secundum locum motus anima est, non omnibus uiuentibus inest potentia hæc. Est autem alteratio & augmentum secundum animam, sensus enim quædam alteratio esse uidetur, nihil autem sentit quod non habet animam, similiter autem de augmento & decremento se habet, nihil enim decrementum patitur neque augmentatur physicæ, nisi alatur, alitur autem nihil quod non communicet uita.

Quod quidem igitur Quia uiuentia qua uiuentia, uiuunt per animam, & anima est causa essendi, ideo anima est causa formalis, etiam quia actus primus ipsius potentiæ est anima, ergo ut forma, quòd sit actus primus, patet, ex communi definitione animæ. quòd autem sit causa finalis, probat unica ratione, quia cuius alter est causa, est finis, sed corpus, animæ gratia factum est, ergo quòd corpus organicum sit animæ gratia patet, quia deus & natura nihil frustra faciunt, quia semper propter aliquid, ideo corpus est animæ gratia, & finis, & repetit diuisionem de fine, cuius, & cui anima est finis cuius, non cui, de omnibus animalibus, uerum est finis, non cui est corpus organicum, finis quo sunt media ordinata ad finem, sed non ita intelligit Arist. probat demum, quòd sit causa effectiua unde motus principium, non quod sit causa quo ad esse, quia est pars totius, sed quo ad operationem, quia inquit, cum motus in genere sit triplex, scilicet localis, alteratio, augmentum, & decrementum probat, quòd anima sit causa motus localis, quod patet, manifeste, quia remota anima, non mouetur corpus, etiam quòd sit actus alterationis, quia actus sentiendi actu est quædam alteratio, ideo causa alterationis, ut inquit Ioan. sunt rationes particulares, & uocantur, dixit quædam inquit Ioan. quia simpliciter non est alteratio, quia alteratio proprie est cum corpore, sed ista alteratio, est perfectiua, probat quòd eadem anima sit causa actiua augmenti, & decrementi, & est uniuersalis, in omnibus uiuētibus, quia non uiuentia non augentur, anima est causa quòd aliquid uiuat, ergo est causa augmenti & decrementi, & nutritionis, quòd autem expers animæ non augeatur patet: Et dicit Ioan. ut inquit Arist. primo de generatione, & corruptione, quælibet pars aucti augetur, sed in experientia, uita non augetur secundum quamlibet partem, sed tantum secundum unam, ut aqua, quæ augetur secundum unam partem tantum, & ita ostensum est, quòd anima sit causa corporis, triplici genere causæ, scilicet finali, efficiente & formali.

Sed hic dubitatur, primo quia inquit, quòd anima est causa augmenti, & decrementi, sed decrementum est quædam corruptio, sed anima in uiuente non est causa corruptionis, quia idem non est causa corruptionis sui ipsius, Etiam quia contradicit sibi met, quia dicit, anima est causa audiendi effectiua, tamen dicet, sensibile est causa effectiua, anima uero tantum recipit. De primo dicit Ioan. quòd anima est per se causa augmenti, quia cum acquiritur perfecta quantitas, manet, decrementi autem est causa per accidens, scilicet ob imbecillitatem caloris innati, quia cum non transmutatur, quantum fuit deperditum fit decrementum, si equaliter, nec augetur, nec diminuitur, si plus augetur, De secundo aliqui expositores dicunt ex isto loco, quòd sicuti duplex est intellectus agens, scilicet & possibile, ita sensus est duplex, agens, & recipiens, & differunt, quia ad producendam uisionem, concurrunt duo, sensibile, & anima, sensibile non potest esse per se causa, quia uisio est perfectior colore, & est opinio Ian. Gand. sed non est de mente Arist. quia tamen dicit, quòd actus sensitiuæ potentiæ tantum recipit, & ratio est ex octauo physicorum, quia idem non mouet se ipsum, & mouetur nullo motu, si dicunt, quòd actus est uirtutis potentia formalis, ita dicam, de Aristotele, ideo dico ex Aristotele, obiectum est causa actiua sensus, quid hic dicit, dico, ꝙ loquitur secundum communem opinionem, donec de hac materia pertractet, Auerroes autem dicir,

cit, quòd non, Arist. procedit præsupponendo, ex communi consensu, quòd actus sentiendi sit in instanti.

Textus XXXVIII.

EMPEDOCLES autem non bene dixit hoc addens augmentum accidere plantis deorsum, quidem radicem mittentibus, propter id quod te ra sic fertur secundum naturam. sursum aut propter ignem similiter. neque enim sursum & deorsum bene accepit. non enim idem omnibus sursum & deorsum & omni: sed sicut caput animalium, sic radices plantarum sunt: si congruit instrumenta dicere: altera & eadem operibus.

Textus XXXIX.

ADHVC autem quis est continens in contraria quæ feruntur ignem & terram: distrahentur enim nisi aliquid sit prohibens. si uero erit: hac est anima, & causa alimenti, & augmenti.

Empedocles autem non bene dicit, Cum Arist. probauerit, quòd anima sit causa trium motuum, reprobat antiquos, qui dicebant, animam non esse causam actiuam nutrimenti, referebant n. causam ad materiam, quia dicebat si est graue descendit nutriendo, partes inferiores ipsius uiuentis, si uero leue ascendendo. Respondit ergo dupliciter, primo, quòd rectè accipiunt differentias loci, in uniuerso, & plantis, quia pars plantæ quæ respicit sursum, non debet dici sursum, nec quæ respiciunt terram debent dici deorsum, sicut in uniuerso, sed dicit accipiuntur differentiæ ex operatione, quia sursum in planta est os, quòd est radix, sic sursum in animali, sunt partes, quæ respiciunt os. Tum secundo, quia in principio auctio & nutritio in uiuente fit ex materia, dicit Arist. Cum graue deorsum mouetur, leue uero sursum, separabuntur; ergo, hæ duæ partes, ita in plantis, si dicas, est quid aliud prohibens separationem, illud erit magis causa nutrimenti. Dicit hic Auer. quòd in animalibus cap. est pars superior, in plantis uero radix, planta in qua planta, uegetat mediante radice, ita de animali, quia animal qua animal sentit, principium sentiendi est in capite ideo sursum.

Sed hic est duplex dubitatio, primo quia dicit quòd sursum & deorsum, in animalibus, est ex sensu, Aristoteles uero aliter in de incessu animalium, & secundo cœli summit ex motu, non ex sensu, secundo aduersatur Arist. & sibi, quia inquit cap. est principium sentiendi, si ita esset, propter cerebrum esset, sed Aristot. dixit, quòd non, secundo de partibus cap. 10. & sibi ipsi contradicet primo colliget tertio & secundo huius, decimoquinto. Ego dico ut dixi, quòd delirat, De prima dubitatione, quomodo diuersimode accipiantur differentiæ loci, Arist. enim uidetur dicere contraria, Dico ex Arist. quarto physicorum, ex secundo cœli, & de incessu animalium, si loquamur de his simpliciter, sic non sunt nisi duæ differentiæ, ex motu grauium, & leuium, & si de partibus uniuersi, sunt dupliciter in animatis & inanimatis, in partibus inanimatis sunt tantum per relationem, si uero in animatis, est dupliciter, uel quo ad partes perfectiores, uel imperfectiores, si ad perfectiores, ut in cœlo, sunt sex res distinctæ, & sumuntur ex motu, quia ubi incipit. Cœlum moueri illa est dextra, & dicitur oriens, quia prius oriretur super nostrum hæmisperiũ si a parte opposita est sinistra, & distinguuntur re, licet dextra moueatur, in sinistram, nunquam tamen dextra fit sinistra, non quòd qualibet pars quæ est in oriens est in dextra sed ea parte tantum quæ si cœlum quiesceret inciperet moueri, ex eodem motu sumuntur sursum & deorsum, quia iste partes in quibus innititur ipsum cœlum, scilicet poli. bene in planetis & in firmamento anterior & posterior continuatio in oriente, in occidente, in parte opposita est posterior, in uiuentibus sunt iste differentiæ ex parte alimenti, in plantis sunt duæ differentiæ, sursum, & deorsum, ex oriente, in perfectis sunt quattuor, quia anterior est ubi uiget sensus, quia in omnibus animalibus uiget sensus in parte anteriori, ideo Gambari ante mouentur, & si terre a casu est pars posterior, est opposita bene de spongia fuit dubium, quia in ipsis uidentur omnes sensus, inquit quòd omnes possunt esse anteriores & posteriores, in perfectis animalibus sunt omnes sex, quia ex alimento est sursum, ex electione deorsum ubi uigent sensus pars anterior, opposita posterior, ex motu locali, aliæ duæ sumuntur.

Textus XL.

VIDETVR autem quibusdam ignis natura simpliciter causa alimenti & augmenti esse: & namque ipsum uidetur solum corporeum & elementorum quod aliter & augmentatur. unde & in plantis & in animalibus, putabit utique prius esse hoc quod operatur.

Textus XLI.

HOC autem concausa quidem quodammodo est: non tamen simpliciter causa: sed magis anima. ignis enim augmentum in infinitum est, quousque fuerit combustibile. natura autem constantium omnium terminus est & ratio magnitudinis & augmenti: hoc autem est anima, sed non ignis, & rationis magis, quam materie.

Lectio

Lectio LXXII.

VIDETVR *autem quibusdam.* Cum reprehendit Empedoclem, hic excludit aliā causam apparentem, quia aliqui ponunt ignem quòd sit principaliter,& simpliciter,causa mistionis, & est sententia Hippoc. & Gal. quia ponunt, quòd anima sit calor innatus, ut patet primo Aph. dicit, calor innatus estquo augetur corpus, ita Plato etiam reprehendit hanc opinionem, quia licet ignis sit concausa, id est causa instrumētalis, non est tamen principalis, opinio ergo mala, & demonstrat hocmodo, quia auctio ignis augumentatur in infinitum, si suggeratur materia, auctio uero uiuentium sui natura habet terminum, non ergo ab igne, Auer. in commento aduertit duo,primo quòd ignis est concausa auctionis, & sic sequetur, quòd in omnibus uiuenuentibus prædominatur ignis. Secundo declarat, quomodo auctio fiat ab igne, quia inquit auctio fit mediante concoctione, & patet, ex quo patet, quòd omnes calores sunt eiusdem speciei, differunt tamen extrinseco. Gentilis autem imaginatus est diuersitatem calorum. Sed longe errauit, quia tantum sunt quattuor, si enim different specie, essent octo qualitates. Sed est dubitatio, primo ex Auer. qui dicit, in omni uiuente prædominatur calor, Arist. autem dicit in omni uiuente prædominatur terra, ut in secundo de generatione, & corruptione, & quarto metaph. quod propria figura constat, est a prædominio terra, sed uiuens constat propria figura, ergo, maior probatur, quia tantum terra propriam figuram accipit, etiam quia dicit, coctio est ab igne, contra, actio enim assimilatur elixanoni, quæ est a calido, & humido, quid ergo dicit. Tertio quia dicit, quòd ignis augetur in infinitum, sed dicit regula oppositum, quia omnium natura constantium est certa ratio magnitudinis & paruitatis, sed ignis est corpus constans natura, quomodo ergo in infinitum augetur. De primo dico, quòd non simpliciter intelligit, quod denominetur calor, sed tantum quo ad istam opinionem, scilicet quo ad concoctionem, quia multa animalia sunt frigidætemperaturæ, multa uero uocantur calidæ temperaturæ, respectu sanguinis, & caloris, respectu tamen membri, sunt frigida. De secundo dico, quòd non est ista coctio ab igne, ut ignis est, sed a calore innaro, qui est caliditas, quia caliditas est primo in igne, calor innatus est substantia, ex puriori sanguine, aliquando ex temperamento, & Arist. appellat ignem, more Platonis, ut dicit Galenus, quia calor innatus, sui substantia, calidus est, & humidus. Albertus & Egidius dicunt quòd Arist. in his uerbis. *Omnium natura constantium.* Intellexit constantium,id est uiuentium, & sic est determinata natura, sed hoc non soluit argumentum, quia Arist. contra Anaxagoram suppponit omnia corpora naturalia, habere maximum, & minimum, & probauit Auer. sexto physic. quia in corpore naturali est forma naturalis, cuius est operatio determinata, si operatio, ergo poteuria, si potentia, ergo magnitudo, quia minori quanto, minor debet operatio & maiori maior. Ideo aliter Ioannes Gand. quòd scilicet omnia corpora habent determinatam quantitatem. Ad argumentum dicit, quomodo in infinitum crescit ignis, dicit quòd reuera Arist. non dixit, quòd ignis in infinitum augmentatur, sed loquitur respectu uiuentium, quia uiuentia habent certam magnitudinem. Sed dices, non cessat difficultas,accipiatur maximus ignis, & apponatur combustibile, aut comburit, aut non, si comburit, augetur, & dabitur maius maximo, si non,uidetur fatuum, aliqui dicunt, quòd ex natura uniuersali non comburit, aliqui dicunt quòd comburit, sed corrumpitur. Tanta alterius partis quantitas, ex natura uniuersi. Aliter ego dicebam, quòd scilicet duplex potest considerare ignis, ut scilicet in sua specie, & ut pars uniuersi, si ut in sua specie, sic est minus, & maximus ignis, quia est operatio determinata, ergo magnitudo determinata, uel sit substantialis forma, uel accidentalis, quæ est instrumentum, habet maximam, & minimam quantitatem, quia ad maximam raritatem ad quam potest fieri ignis, si apponatur palea fit maior ignis, & crescit. Dico quòd non est ille ignis, sed alius, & habet maximam raritatem. Si dicas, si ignis habet maximam raritatem augetur, si non potest. Corrumpitur, in quo corpore, non uidetur in alio, quod est tarius igne. Dico quòd non corrumpetur ex natura sui, si imaginatur quòd corrrumpetur, in rarius corrumpetur in rarius secundum imaginationem, si uero accipiatur ut species uniuersi, datur maximum, quia dicit Arist. debet esse Analogia. Quarto physic. inter elementa, ne unum alterum corrumpat, ideo si fecit elementa superiora maiora, fecit inferiora densiora, quia quantitas cùm sit in subiecto densiori, maioris quantitatis est, & ita tante actionis est unum elementum, ut alterum. Dico ergo, ex quo est inter elementa Analogia, est maxima quantitas, accipiatur ignis in ista maxima quantitate, applicetur combustibili, aut comburet, aut non. Dico si est tantum, ut ea augeatur, non comburit. O minor comburebar, uerum est, ergo maior, non ualet argumentum, quia est resistentia elementorum, & concausa uniuersi, ne destruatur uniuersum.

Textus XLII.

QVONIAM autem est eadem potentia uegetatiua & generatiua. de alimento necessarium est determinare primum: separatur enim, ab alijs potentijs opere hoc.

Lectio LXXIII.

QVONIAM *autem est eadem potentia.* Postquam posuit definicionem communem, & dixit quòd ista non est satis, sed est necessarium, descendere ad quamlibet partem, & cùm sint tres, prius de uegetatiua, agit, & ista triplex habet potentias, & prius de uegetatiua, quia est perfectio, & dicit, quòd obiectum est equale sibi ipsi, etiam dicit quòd erat finis, ideo dixit naturalissimum, nunc transit ad altricem potentiam, & quia prius ab obiecto, ideò prius incipit ab alimento, quod est obiectum. Sed dices cur non loquitur de austiua. Dicit Ioannes non habuit sermonem de ea, quia primo de generatione, & corruptione habuit, dicens quòd debet esse una numero, & dicit quòd potentia altrix est eadem, quòd generatiua, obiectum est alimentum, Auer. exponit, quòd sit eadem subiecto, & materialiter, quia fundatur in eadem anima. Sed Auer. debet dicere, quòd sint eædem, scilicet sensitiua & generatiua, &c. Ideo aliter Ioannes, quòd hæc potentia sit idem alteri, quo ad finem, quia idem finis est generatricis, & altricis, quia altrix ordinatur ad auctricem, auctio ad generationem. Ideo Arist. appellat eam finem, ideo infra dicet, a fine est habenda denominatio. Dicit Ioannes, tex. est mancus, interponit enim hæc uerba, non eadem potentia est altrix, & generatiua, & quia dictum est de generationis fine, ideo de obiecto, & sequitur.

Textus XLIII.

VIDETVR autem esse alimentum contrarium contrario: non omne autem omni, sed quecunque contrariorum non solum generationem habent ex inuicem, sed & augmentum. fiunt enim multa ex inuicem: sed non omnia augentur, ut sanum ex laborante. uidentur autem neque illa eodem modo ad inuicem esse alimentum, sed aqua quidem igni alimentum est: ignis autem non alit aquam. In simplicibus quidem igni corporibus hoc esse uidetur maxime: aliud quidem alimentum: aliud uero quod alitur.

Videtur autem esse alimentum. Ideo prius dixit agendum de alimento est, exponit conditiones alimenti, ex quibus colligit definitionem, dicit quòd alimentum habet tres conditiones. Prima quòd sit contrarium ei quod nutritur, & probat, quia transmutatio est a contrario, sed est transmutatio, ergo contrarium. Secunda quòd sit auctiuum ipsius, quia transmutatio est a contrario, sed unum alteri non est alterum, quia non auctiuum, exemplum albedo, in nigredinem transmutatur, non tamen auctiuum, ideo non est alimentum. Tertia conditio, in qua sunt intricata uerba Aristot. dicit tamen Ioannes, quòd alimentum debet habere naturæ rationem, quia si ignis transmutatur in aquam, ignis non est alimentum, bene aqua est alimentum ignis, & non econtra, sed ignis habet rationem formæ, aqua uero materiæ, ideo alimentum habet rationem materiæ, quòd alimentum debet esse humidum, patet, quia non nutriuntur animalia ex his quæ non habent humiditatem, ut cinis, qui caret humiditate, & etiam aliqua ligna putrefacta, etiam quòd augetur, & nutritur, debet esse idem numero, & corpus fluit & refluit, ut materia, manente tamen idem respectu formæ, sed non per materiam, & est per accidens, ideo uinens est idem numero, hoc pacto, ideo debetis intelligere dictum Arist. primo de generatione, quòd est unum permanens forma. Tertio, quia alimentum patitur, transmutatur enim in id quod nutritur, quod patitur, secundo de generatione habet rationem materiæ, id quod nutritur, & agit habet rationem formæ, ideo debent esse illæ tres conditiones, si alimentum existere debet, uos dicetis, Arist. numerat conditiones alimenti, & adhuc deficit altera conditio, quòd si transmutetur, & patiatur ab anima, quia licetaqua transmutetur in ignem, non tamen ab anima. Secundo quia dicit, alimentum debet esse contrarium, contraria uero sunt in eodem, ergo; tertio quia dicit, omnis transmutatio est a contrario, in contrarium, sed cœlum agit in ista inferiora, transmutando, non tamen est a contrario, in contrarium, quia cœlo nihil contrariatur. Quarto, quia dicit, alimentum debet esse humidum, contra Arist. dixit fames est calidi & sicci, ergo non indiget humido.

De primo dico, quòd re uera, deficit, quarta conditio, sed more suo innuit Arist. alimentum refertur ad animatum. De secundo dico, quòd non sunt simul loco, id quod nutritur, & id quod nutrit, sed bene contangit, ingreditur enim porositates. De tertio dico, & si non est contrarietas formaliter, est tamen uirtualiter, ut habet uirtutem calidi. Dico ergo, quòd cœlum uirtute, sublunaribus contrariatur. De quarto diximus, supra quòd fames est appetitus calidi, & sicci, & absumpta est illa pars humidi constantis, quod respectu roridi, appellatur calidum, & siccum, & sic secundario appetebamus cibaria, sic ergo ille appetitus est calidi, & sicci, primo ut debet reponi, tale humidum, simpli-

simpliciter tamen est humidum, non a prædominio, sed habet humiditatem annexam.

Textus XLIIII.

DVBITATIONEM autem habet, dicunt enim hi quidem simile ali simili, sicut & augeri, alijs autem sicut diximus econtrario uidetur ali contrarium contrario tanquam impaßibile sit simile a simili, alimentum autem mutari & decoqui, mutatio autem omnis in contrarium aut in medium.

Dubitationem autem habet. Affert Arist. duas dubitationes. Primo quia dicit, alimentum contrarium debere esse ei quod nutritur, est dubitatio, quia aliqui dicunt, quòd debet esse simile, quia ex eisdem nutritur, ex quibus constamus, & augemur, sed augemur ex simili, ergo & nutrimur etiam, quia dixit, nutritionis causa, est auctio & passio, hoc ut alimentum transmutat actio, ut conuertitur alimentum ab anima, sic potest uocari transmutatio, ut exit ab ocio ad artificium.

Textus XLV.

ADHVC autem patitur aliquid alimentum ab eo quod alitur, sed non hoc ab alimento, sicut neque instructor a materia, sed ab illo hoc. instructor autem mutatur solum in actum ex ocio. utrum autem sit alimentum quod ultimo aduenit, aut quod primo habet differentiam, si autem utrunque sed hoc quidem non coctum, illud autem coctum, utrobique utique continget alimentum dicere, inquantum enim non coctum contrarium contrario alitur, inquantum autem coctum simile simili, quare manifestum quod dicunt quodammodo utrique & recte, & non recte.

Adhuc autem patitur aliquid alimentum. Ad solutionem, infert aliam quæstionem, ut sepe solet, & quærit, an illud quod primo aduenit, uocetur alimentum, an quod ultimo, an utrunque indifferenter, & hanc dubitationem non soluit, dicit enim, soluetur prima, ex solutione secundæ, & inquit si appellamus nutrimentum, quod primo aduenit, dicemus, quòd est contrarium, si ultimum, erit simile, si non, indifferenter, partim simile, partim dissimile, & sic quodammodo omnia erunt uera. Sed dices, non soluit dubitationem, scilicet quòd sit appellandum nutrimentum. Dicit Ioannes cum medicis, quòd utrunque debemus appellare alimentum, & primo de sanitate tuenda, & primo de potentiis naturalibus. Vndecimo Gal. citat hanc distinctionem, quid ad dubitationem dicemus, alimentum partim simile, partim dissimile, & sic quodam modo, omnia erunt uera. Sed dices, quid proprie est appellandum alimentum, secundum uulgares est primum, secundum uero ueritatem, est quod ultimo aduenit. Sed dubitat Ioannes, si alimentum est proprie ultimum, auctio erit appositio, similis ad simile, quod reprobauit Arist. primo de generatione, & corruptione, auctio enim non fit appositione. Secundo, quia pars carnis genita est pars uiuentis, ergo nutritur, si nutritur, quomodo, ergo alimentum.

De primo dicit Ioannes, quòd auctio fit ex simili, sed non est appositio, ut in animatis. Secundo Arist. reprobauit, quòd tantum sit appositio, sed hic non est tantum appositio, sed etiam intus est, & secundum quamlibet partem augetur. De secundo aliqui dicunt, quòd est simile in accidentibus, non in substantio, quia sanguis ut transit, in naturam carnis. Sed opinio Arist. contradicit, quia dicit, simile actu est, sed sanguis contrariatur carni, quia caro agit in eum, ut conuertat. Etiam Galenus, in de potentiis naturalibus dicit, quòd uerum alimentum est, quod proprie jam transiuit, in actu simile, ideo aliter dicit Ioannes, quòd caro genita de nouo, habet rationem alimenti, & partis, quia si consideremus eam respectu partium prius existentium, sic alimenti rationem habet, si uero consideremus respectu ciborum, qui debent suscipi, sic est pars, & nutritur, & recte dicit Ioannes. Sed dices, quomodo in de partibus animalium dicit, quòd ultimum est sanguis, in exanguibus uero proportionale, si est caro ultimum alimentum, quomodo sanguis. Secundo nutritio est substantialis mutatio, erit ergo generatio, Arist. tamen dicit, quòd differunt, & primo lib. de generatione, & corruptione dicit, nutritio est ad materiam auctio ad formam, ita uidetur quòd nutritio sit ad formam. De primo dicatis, quòd non ita loquitur Arist. sed appellat ultimum nutrimentum potentia, actu uero est pars geniti, quia cibus est alimentum. Sed potentia, si accipiamus ultimum alimentum potentia, est sanguis, quia alia in sanguinem conuertuntur, & ita loquitur Aristot. Sed dices, non ne ex sanguine generantur quattuor humiditates specie distinctæ, quæ sunt alimenta, in potentia, ut dicit Auic. prima primi cap. de humoribus, dicatis quòd sanguis, & quattuor humiditates non differunt a sanguine, nec inuicem specie, sed accidentaliter, secundum quòd sanguis est magis coctus, & incoctus. De secundo dico, concedendo, & ad authoritatem dico, quòd est a generatio, id est, generatio partis post partem, quomodo autem statim generant, & per se. De tertio dico, appellat nutritionem ad materiam, quia est ad partem deperditam, quæ habet rationem materiæ, auctio autem ad genitam, quia habet rationem formæ, ideo est ad formam.

Lectio LXXIIII.

REMANSIT quarta dubitatio, quia Arist. posuit primam conditionem alimenti, quòd scilicet sit contrarium ei quod nutritur, postea soluens hanc quæstionem dicit, nunquid alimentum debeat dici illud, quod primo aduenit, ut cibus, potus, an pars illa carnis de nouo genita, & dicit, quòd utrunque dici debet alimentum, sed diuersimode, nam illud quod habet rationem, & quod est crudum, dicitur alimentum, in potentia, & est contrarium ei quod nutritur, illud uero est simile nutrito, quod est nutrimentum actu, ergo ponit hic Arist. nutrimentum esse simile ei quod alitur, cuius oppositum dixit supra. Et dicatis, quòd Arist. in illa prima conditione loquitur de alimento potentia, ut est cibus, potus, chilus, sanguis, & illud contrariatur altero, quia patitur adhuc a calore membrorum, quousque fiat simile membro.

Alia est dubitatio in uerbis Arist. quia dicit, quòd alimentum habet rationem materiæ, & altum rationem formæ, quia quod nutritur agit, quod nutrit patitur, sed contra insto. nam Arist. tertio physic. & primo de generatione, quinquagesimo, omnis actio naturalis, est cum reactione potentiæ, igitur agens in passum, repatitur ab illo, & aliquando plus agit, quod patitur, quàm quod patitur, ut dicit Arist. secundo de partibus animalium; & tertio physic. & in de generatione loco allegato. Dixit, quòd talis est proportio alimenti, ad id quod alitur, qualis est aquæ ad uinum, nam sicut aqua, debilitat uinum, ita alimentum debilitat continue uiuens, & ob hoc in pueritia augentur, in iuuentute consistunt homines, & in senectute diminuuntur, quia in pueritia maior est repositio, quàm resolutio, & ideo tunc fit augumentum uiuentis, ætate iuuentutis equaliter se habet; consistit uiuens, in senecta maior est deperditio, quam restauratio, & tunc diminuitur uiuens, & ideo ex hoc fit mors naturalis, quia in tantum debilitatur calor naturalis, quòd non potest amplius transmutare alimentum in substantiam aliti. Item Gal. secundo de sanitate tuenda, tertio de temperamentis, & in de simpl. medicina, & in de Placitis, Hipp. & Platonis dicit, quòd in omni concoctione fit actio cum reactione, nam sicuti substantia uentriculi agit in alimentum, ita alimentum reagit in ipsum, quomodo ergo dicit Arist. quòd alimentum patitur ab eo quod alitur, & quod alitur non patitur ab alimento. Dico quòd reuera ita est, quòd in concoctione fit actio, cum reactione, & ad Arist. dico, intelligit quòd id quod alitur non patitur ab alimento, quia non patitur passionem, scilicet similem, non tamen quòd omnino non patiatur, & hoc ideo, quia nunquam, id quod alitur. Transit in naturam alimenti; sicut transit alimentum, in naturam eius, quod alitur, & ob hoc, id quod alitur non patitur simili passione, sicut patitur id quod alit. Vnde est dubium an ista actio, & reactio sit secundum qualitates contrarias, & secundum eandem contrarietatem, an aliomodo. Dicatis resolute, quòd secundum eandem contrarietatem sit ista actio, & reactio, nam sicut aqua patitur ab igne, per calorem, ita ignis per frigus ab ipsa aqua.

Textus XLVI.

QVONIAM autem nihil alitur non participans uita, animatum utique est corpus quod alitur, inquantum animatum, quare & alimentum per se aliquid animatum est, & non secundum accidens.

Quoniam autem nihil alitur. Postquam posuit conditiones alimenti, & dixerit, quod patitur. Secundo loco tradit notitiam altricis potentiæ, & hic explicat principalem conditionem alimenti, quæ est derelicta, & dicit, nutritio est operatio altricis potentiæ, circa alimentum, ut seruetur substantia, & pars deperdita eius quod nutritur, & hic est finis nutritionis, scilicet ut restaurentur partes deperdite ipsius uiuentis, ex quo sequetur inquit, quod ex quo ista uirtus est uitalis potentia, quòd nihil alitur expers uitæ, sed omnis uita est ab anima, nihil ergo alitur expers animæ, ergo solum animatum nutritur, ergo sequitur quòd alimentum per se, refertur ad animatum, quia inest alimentum animato, sub ea ratione, qua animatum, scitis enim ex potentiis, aliqua referuntur per se, & per accidens. Dominus enim & seruus per se referuntur, sed referuntur etiam per accidens, ad hominem, quatenus seruo accidit esse hominem, ita etiam quia potebamus ambigere de hoc, & ideo dicit Arist. quòd refertur alimentum ad animatum per se, non per accidens, & ex hoc explicat quartam conditionem principalem alimenti, in quod alimentum transfertur ab anima, quia dicit solum animatum corpus, qua animatum, nutritur, & ideo ignis non potest habere alimentum, nec nutriri, & sic etiam de rebus inanimatis, quæ non possunt nutriri, quia carent anima.

Textus XLVII.

EST autem alterum alimento & augmento esse, secundum enim quòd quantum, aliquod animatum est augmentatiuum, secundum uero quòd hoc aliquid & substantia alimentum est saluat enim substantiam, & usque ad hoc est quousque alatur. Et generationis autem feminimum est, non eius quod alatur, sed qualis id quod alitur, iam enim est ipsa substantia; generat autem nihil ipsum se ipsum, sed saluat

Est autem altera ratio. Dicit Ioannes, hic ponit aliud proprium alimento, scilicet, quod sicut erant tres potentiæ uegetatiuæ, ita tria opera, scilicet nutrire, generare, & augere, alimentum ipsum est obiectum harum trium potentiarum, sed sub diuersa ratione, sicut id quod uiuit habet formam, & quantitatem, ita etiam alimentum, sed quatenus alimentum habet formam, & substantiam, habet rationem alimenti, & nutrit, quatenus uero quantum, auget, & nutrit, & est obiectum auctiuæ potentiæ, & hoc quia uiuens quandiu uiuit, tandiu nutritur, & intelligit per nutritionem transmutationem alimenti, & non propriam assimilationem, & ueram nutritionem, ut dixi supra, nam hac nutritione non nutritur animal prope mortem, & ideo dico, quòd alimentum quatenus est substantia nutrit, auget non quatenus quantum, quia quantitas uiuentis fit maior, unde dicit, in pueritia, quia plus reponitur nutrimenti, quàm ressoluatur, ideo tunc est auctio, in statu uero tantum reponitur, quantum deperditur, ideo tunc consistimus, in senectute uero fit diminutio, quia longe plus est quod ressoluitur, quàm quod reponitur, quatenus uero ex nutrione segregatur superfluum, ut sperma ipsum, generatum, & est obiectum generatiuæ uirtutis, nam ut dicit Aris. secundo de generatione animalium, semen est superfluum quoddam ultimi alimenti, est perfectissima superfluitas, inquit Arist. ultimi alimenti, quia tempore necessitatis conuertitur in membra ipsa, quod non faciunt aliæ superfluitates, & ideo alimentum est obiectum omnium harum uirtutum, sub diuersa tamen ratione, ut uideramus, sed dicit Ioan. hic est dubitatio, quia dicit fit auctio in pueritia, quia ex actione caloris plus est quod apponitur, quàm quod ressoluitur, sed ex hoc sequitur, quòd idem est auctio, nutritio, quia nihil aliud est auctio, quàm conuersio alimenti in maiorem copiam uiuentis, quàm sit deperditum, sed nihil est aliud nutritio, Dicatis, quòd ita est, quòd sunt idem auctio, & nutritio, & sola ratione differunt, quia quatenus plus apponitur, quàm ressoluitur, dicitur auctio, quatenus uero reponitur deperditum, dicitur nutritio, differunt uero formaliter, quia per auctionem acquiritur maior quantitas uiuentis, per nutritionem non reponitur id quod deperditur, & cõseruatur substãtia uiuẽtis.

Textus XLVIII.

QVARE huiusmodi animæ principium potentia est possibilis saluare suscipiens ipsum, secundum quod est huiusmodi. alimentum autem præparat operationem: unde priuatum alimento non potest esse.

Quare huius animæ principium. Ex hoc inquit Ioan. sequitur, quia primo descripsit alimentum, secundo operationem, alterius potentiæ, quòd nunc debemus scire istam potentiam, & ideo dixit altrix potentia est ea quæ potest seruare ipsum uiuens, transmutando alimentum, pro partibus deperditis, ratione alimenti, unde priuatum alimento non potest esse.

Textus XLIX.

QVONIAM autem sunt tria, quod alitur, quo alitur, & a ens, alens quidem est prima anima, quod uero alitur, est habens hanc, corpus uero quo alitur alimentum, quoniam autem a fine appellari omnia iustum est, finis autem est generasse quale ipsum, erit utique prima anima generatiuum quale ipsum.

Quoniam autem sunt tria. Et tunc dicit tria sunt in actu nutritionis conuenientia, primum quod aliter, ut uiuens, secundum quo alitur, ut alimentum, & quod alit, ut prima potentia animæ, id est uegetatiua, quæ est prima origine, & imperfectione, prior tamen perfectione est generatiua, & ex hoc innuit nobis Arist. dicit Ioan. quomodo aliæ duæ potentiæ animæ huius sint describendi, scilicet generatiua, & auctiua, nam sicuti dixit, altrix potentia est, quæ potest seruare ipsum uiuens, ita etiam auctiua potentia est illa quæ habens ipsam augetur, usque ad perfectam mensuram uiuentis, secundum mensuram sibi conuenientem, & ita generatiua potentia est per quam habens ipsam, potest generare sibi simile in specie, ex quo sequitur inquit Aristot. quòd cum anima uegetatiua habeat tres potentias, & illarum perfectissima sit generatiua, ideo anima debet denominari ab ipsa, quia unumquodq; debet denominari a fine, ista autem est finis uegetatiuæ potentiæ, ideo dicemus uegetatiuam potentiam esse generatiuam.

Textus L.

EST autem quo alitur dupliciter, sicut & quo gubernatur, & manus & temo, hoc quidem mouens & motum, illud autem mouens solum, omne autem alimentum est necessarium decoqui, operatur autem decoctionem calidum, unde omne animatum habet calorem, figuraliter quidem igitur alimentum quid sit dictum est, certificandum autem de ipso posterius in propriis rationibus.

Lectio LXXV.

EST *autem quo alitur duplex* Dicit Ioan. iste tex. dupliciter exponitur apud Græcos, quia aut duplex tex. erat, unus iste quem habemus nos, ut dixit Alexander, alia littera est ut mutemus solum illud uerbum, mouetur, quia illa dice-

bat, mouetur, ista secunda dicit, mouet, sicut igitur duplex est littera ita est duplex expositio. Dixerat Aristot. quòd in nutritione erant tria, quod alit ut anima, qua alitur, uult modo Arist. diuidere primum membrum, scilicet quòd alit, id est potentia altrix, ita ut dicatur duplex est potentia, quadam, quæ mouet, & mouetur quædam quæ solum mouet, quod alit, & solum mouet est anima, quod uero alit, & simul mouet, & mouetur, est calor innatus, quia mouetur ab anima, & mouet alimentum concoquendo, exemplum, sicut id quod gubernat nauim, est unum quod mouet tantum, ut manus, & mouetur ut temo, quia mouetur a manu, & mouet aquam & nauim, ita etiam dicamus in illo quod alit, sed tu dices, non ne manus etiam mouetur, O dicit Alexander, reuera mouetur, id est per se, quia partes in toto non mouentur nisi per accidens, sicuti per se non subsistit, ita neque per se loco sunt, nec per se mouentur, hæc est prima expositio, aut secundo dico, quòd manus non mouentur, scilicet ab extrinseco mouetur, sicut temo, sed mouetur a motore intrinseco, ut ab anima ipsa, si uero legamus textum, ut dicat, illud autem mouetur solum, tunc ista est diuisio, non eius solum, quod alit, ut diximus prima expositione, sed dicemus, quòd est diuisio secundi membri, scilicet quo alit, & est sensus; id quod est tanquam instrumentum nutritionis est duplex, quoddam est quod mouet, & mouetur, aliud quod solum mouetur, primum instrumentum est calor innatus, quia mouetur ab anima, & mouet alimentum, quod solum mouetur, est alimentum, quia solum mouetur a calore innato, & tunc adaptabimus exemplum Arist. ut dicamus, instrumentum quo regulatur nauis, est duplex, unum quod simul mouet, & mouetur, ut manus, quæ mouet nauim & mouetur ab anima nautæ, aliud uero est quod mouetur solum, ut temo, O non ne mouet nauim, dico, quòd sic, sed dicit Arist. quòd non mouet aliud instrumentum, sicut faciebat manus, non quòd omnio nō moueat, sed dicetis, quæ est rectior expositio, O dico prior est rectior, quia in sequenti tex. dabit Arist. aliam diuisionem, scilicet illius quo alitur, id est instrumenti, & si sic tunc uidetur sanior prima expositio, secundum priorem litteram, alioquin esset superfluus Arist. *omne autem alimentum*, Diuidit Arist. instrumentum, quo alitur uiuens, & dicit, quòd est duplex, unum mouendo mouetur, & iste est calor innatus, secundum est, quòd tantum mouetur, ut alimentum, quia alimentum solum patitur & non agit, & tunc epilogat Aristot. dicens, figuraliter diximus, id est rudi minerua & forma quadam, metaph. quadam sumpta a pictoribus, qui rudi minerua, cum carbonibus describunt illam figurā, quam postea pingunt. Et quo pacto rudimenta declarauit, O dicit Ioan. declarauimus primo quattuor conditiones alimenti, postea diximus, quòd alimentum est contrarium ei quod alitur, & diximus, quomodo fiebat nutritio partim a simili partim a dissimili. Tum tertio diximus, quòd nutrimentum erat obiectum nutritionis, quia substantia auctiuæ qua quantum, & qua generatio quatenus ab ipso segregatur superfluum, omnia autem ista dicit Arist. declarantur peculiari sermone, & per hoc intelligit duos libros, scilicet libros de generatione animalium ubi longo processu declarat conditiones alimenti, & iam actum est de uegetatiua anima, sequitur de sensitiua.

Sed primo dubitandum est quis nam ordo harum potentiarum animæ uegetatiuæ, & quæ prior natura. Dico ex quinto metaphysicæ duplex est ordo naturæ, & imperfectionis, ordine naturæ omnes dicunt, quòd ista est prima omnium, id est nutritiua, de ordine imperfectionis est discordia, quia dicunt aliqui, quòd auctiua est imperfectissima omnium harum uirtutum, prius ea generatiua nutritiua non est omnium perfectissima, & probatur primo, quòd nutritiua est perfectior generatiua, quia nutritiua conseruat indiuiduum, quod est perfectius specie, item est perfectior auctiua, quia nutritio est ad substantiam, auctio autem ad quantitatem, sed substantia est perfectior quantitate, ergo & nutritiua uirtus, est perfectior auctiua. Ex alia parte sunt omnes Græci, quia ex Arist. dicunt omnium imperfectissima est nutritiua, & secundo auctiua, perfectissima omnium generatiua, quia nutritio ordinatur in auctionem & auctio in generationem, finis autem est perfectior ordinatis in finem, ergo auctiua est perfectior nutritiua, & generatiua est perfectior ipsa auctiua, ergo generatiua est omnium perfectissima, & hæc est ueritas secundum Aristotelem, & ideo ad rationem dico, quòd conseruatio indiuidui includit generationem, & ita generatio ne conseruatur nedum species, sed etiam indiuiduum, & perfectiori modo conseruatur indiuiduum in specie, quam in se ipso, quia in illa conseruatur in perpetuum, in se uero corrumpitur, O quid dices, nutritiua est perfectior auctiua, quia nutritione acquiritur substantia, & auctione quantitas. Dico perfectio operationis aliquando sumitur penes terminum, qui acquiritur per operationem. Vnde dicimus, generationem substantialem esse perfectiorem omni alia transmutatione, quia eius terminus exquisitus est substantia, aliquando ex parte agente, & subiecto in quo est, & hoc modo, quia auctio est ab agente perfectiori, quam nutritio, quia est a calore animalis perfecti, item est in subiecto perfectiori, ideo est simpliciter perfectior auctio, quam nutritio, O tu dices, deberet summi maior

ior perfectio a termino, dico octauo physic. dixit Arist. motus localis est perfectissimus omnium motuum, & tamen locus est imperfectior qualitate ipsa, & hoc quia summit perfectionem ex agente & subiecto, nam motus cœlestis est ab agente perfectiori, & in subiecto perfectiori, quàm motus ipsi in istis corruptibilibus, ita etiã dico de auctioue, quia fit ab agente perfectiori, & in subiecto perfectiori, quàm nutritio, ideo est perfectius nutrimentum.

Secũdo dubitatio est de nutrimẽto harũ uirtutum, quia Arist. non expresit nisi tres uirtutes uegetatiuæ animæ. Aliæ enim plures explicantur ab Auicen. prima primi, & a Galen. & ab Auer. inde sensu & sensibili, quia sunt attractiua retentiua, O`dico quòd Arist. non explicat nobis omnes uirtutes, sicuti dicis, sed explicauit principalissimas, reliquæ enim sunt seruientes ipsis principalibus, nutritiua enim habet retentiuam, attractiuam, & expulsiuam, quæ illis superfluunt, & quæ dicit Galen. tertio de uirtutibus naturalibus, auctina uirtus etiam habet easdem uirtutes subministrantes, uirtus generatiua habet alias, ut attractiuam seminis expulsiuam, & retentiuam ipsius. Sed dices, quid dicemus de uirtute uitali, quia ista est penitus distincta a generatiua & nutritiua, & facit motũ pulsationis cordis, & arteriarum, ut dicunt medici, uerius igitur uirtutis animæ est ipsa potentia, si sit principalis non explicatur ab Arist. ergo Arist. esset diminutus, si ministratiua, cui nam uirtuti ministrat. Dico quòd Auer. dissentiens a medicis, qui dicunt, quòd hæc uirtus est seiuncta ab omni uirtute animæ, secundo cœli dicit ex Arist. quòd hæc uirtus est eadem cum uirtute nutritiua, quia generatio ipsius qua conseruatur uita in animali, fit decoctione sanguinis in corde, sed si fit decoctio, ergo ista uirtus est uirtus nutritiua, differens a uera nutritiua, & ita dicere debetis secundum Arist. quia præsertim motus pulsationis cordis, & arteriarum, non fit uirtute naturali cordis, & arteriarum, sed solum per efferuescentiã sanguinis, in arteriis, & corde, & ideo ista uirtus est nutritiua, sola ratione differens ab ipsa uera nutritiua.

Tertia dubitatio est de harum uirtutum organis, quæ nam, scilicet sint ista organa, O`dico si loquamur de nutritiua, habet multa organa a natura in perfectis animalibus, triplex fit concoctio, prima in uentriculo ubi chilus, secunda fit in epate, ubi fit sanguis, & sanguis decoctus ibi transit ad cor, ut ibi perficiatur eius coctio, & ideo non dicit sanguis simpliciter, nisi sanguis perficiatur, & decoquatur primo in corde, quia solum iste est ultimum alimentum, quia est decoctus in corde, nam sanguis epatis non est uere sanguis, quia non est perfecte concoctus, tertia concoctio fit in uenis, & membris, & ideo tertium instrumentum huius uirtutis, sunt membra ipsa, & uene, & ita habet tria instrumenta ista uirtus, primum est uentriculus, secundum epar, tertium uenæ, & in animalibus imperfectis, tantum est una coctio alimenti, ut secundo de partibus tertio, & in de longitudine & breuit. uitæ dicit Aristot. quia quemadmodũ in plantis fit attractio ultimi alimenti concocti attractiua, ita etiam in istis animalibus imperfectis, quæ non habent nisi hoc tertium organum, scilicet membra ipsa, nam terra suggerit eis alimentum concoctum, sicuti in plantis, organum uero nutritiuæ est idem cum illo auctiuæ, quia eadem concoctio subiecto sunt. Auctiua & nutritiua, quia eadem pars augetur, quæ etiam nutritur. organa generatiuæ, sunt diuersa apud medicos, & philosophos, nam medici dicunt, sunt uasa seminaria, ut testes, oppositum dicit, Arist. quia dicit, quòd organum huius uirtutis, est cor, & ideo dissentiunt medici, & philosophi inter se, qui uero rectius loquantur alias dicemus, non enim possumus habere perfectam notitiam huius problematis, quia pro utraque parte sunt rationes probabiles.

Sed uos dicetis, est etiam quarta dubitatio, nũquid generatiua, sit uirtus generatiua seminis, scilicet an operatio huius sit generatio seminis, nec ne secundo, nunquid habeat determinatum organum in plantis, sicuti in animalibus ista uirtus. Tertio nunquid sit eiusdem speciei in femina, & in masculo, ista uirtus. De primo Auicenna prima primi cap. de uirtutibus, dicit, quòd operatio huius uirtutis est generatio seminis. Idem Thom. in libello de uirtutibus, & ratio est, quia operatio huius uirtutis est generatio uiuentis, sibi similis in specie, sed ista generatio non potest fieri sine semine, ideo operatio huius uirtutis generatiuæ, est generatio seminis, Sed Trusianus in arte medica dicit, quòd hæc opinio falsa est, quia eadem generatione, qua generatur bonus humor, generatur superfluus eius, & ab eadem uirtute, ut puta in epate generatur sanguis, ibi etiam generatur bilis, & urinalis aquositas, & ab eadem uirtute, sed ita est quòd semen ex Arist. est superfluum ultimi alimenti, eadem ergo generatione generatur qua generatur ultimum alimentum, ergo semen generatur actione uirtutis nutritiuæ, non ergo generatio seminis conuenit generatiuæ, sed potius nutritiuæ, & ideo inquit Trusianus, male loquitur Auicenna, nam operatio generatiuæ est secretio seminis geniti, secundo attractio illius secreti seminis, ad uasa seminaria, item expulsio attracti in coitu, scilicet maris & feminæ; Sed dices, iminet alia difficultas, quia per te sequitur, quòd cum feces sint superfluum primæ concoctionis, quæ fit in uentriculo, ergo & feces in uentriculo generantur. Dico quòd Auicenna concessit hoc,

Sed

Sed Galen. in de uirtutibus naturalibus, & ubique contradicit ipsi, & dicit, quòd fit in intestinis ipsis gracilioribus, generatio fœcum, & non in uentriculo, & ideo ad argumentum. Dico non sequitur in hoc, quia bene in uentriculo generatur materia fœcum, non tamen acquiritur perfectio fœcum, nisi in intestinis superioribus, & ideo sentio cum Trusiano in hoc. Sed possumus conciliare istos, quòd sunt duo in semine, est enim materia seminis, & id quod excernitur ex concoctione ultimi alimenti, cum transit ad membra animalium, & quia omnia membra habent illam concoctionem tertiam, ideo ex omni membro secerniaut semen, sed magis ab epate, & a corde, & hæc est materia seminis, sed semen secundum formam, est aliud, scilicet calor innatus cuius tria sunt opera, & secundo de uirtutibus naturalibus, prima est attractio sanguinis menstrui pro generatione, loquor autem de semine uiri, quod attrahit sanguinem menstruum, in debita quantitate, & qualitate, secundo inest semini uirtus alteratiua, quia sui prima actione circumponit quandam membranam tenuem qua possit operari. Tertia uirtus est deliniatio membrorum, sed a quo ista triplex uirtus, O' secundum Arist. mediante spiritu, & ista est uirtus formalis seminis, & ideo dicit Arist. semen esse in corde, scilicet quo ad sui formam, non autem quo ad materiam, in aliis uero membris est potius secundum materiam seminis, ut dicunt alij medici.

De alio, de plantis dico, cum planta sit imperfecta, non habet organum distinctum, sed simul loco & subiecto sunt istæ uirtutes, quia auulso ramo, uidemus quòd generat sibi similem, in plantis uero perfectis, hæc uirtus habet propriū membrum, quod est proportionale cordi, & est pars, quæ est media inter stipitem, & radicem, quia illa est prima, quæ oritur, ex Arist. in lib. de longitudine, & breuitate uitæ, & ei consentit Galen. in lib. de plac. Hippocr. & Plat. & hoc quia non quælibet pars harum plantarum, generat sibi similem, si euellatur ut patet experientia.

De tertio nunquid hæ uirtutes sint eiusdem speciei in mare, & in femina. Dico loquendo secundum Hippocr. & Galen. quòd sunt eiusdem speciei, hæ uirtutes, quia in utroque semine est uirtus generandi, & actiuæ & passiuæ, sed secundum Arist. sunt diuersæ speciei, in mare, & in femina, quia ex ipso mare profluit semen, quod solum habet uim actiuum generandi, quia sicut coagulum tantum actiuæ concurit ad congelandum lac, ita semen uiri tantum actiuæ, ad congelandum, & componendum fœtum.

Textus LI.

DETERMINATIS autem his dicamus communiter de omni sensu, sensus autem in ipso moueri & pati aliquid accidit sicut dictum est, uidetur enim quædam alteratio esse, aiunt enim quidam & simile a simili pati, hoc autem quomodo possibile aut impossibile dictum est in uniuersalibus rationibus de agere & pati.

Lectio LXXI.

DETERMINATIS *autem his* Tres erāt animæ species seiunctæ, de quarum qualibet sigillatim nobis erat agendum, hucusque declarauimus potentias animæ negetatiuæ, & opera, consequens est ut de sensitiua agatur, & procedemus hic sicut supra, quia sicut primo inuestigauit definitionem communem animæ, deinde particulares, ita hic prius aget de communibus sensibus, deinde inuestigabit proprias definitiones, communia sunt hæc, primo quòd sensus, qua sensus mouetur, ab obiecto, & patitur, secundo quòd partim sint actu partim sint potentia. Tertio an sensus patiatur a sensibilibus similibus, uel dissimilibus, & declarat primam conclusionem, ex superius declaratis, quòd anima erat causa effectiua corporis animati, & erat causa actus sentiendi, sic sensatio ipsa est alteratio, est passio, & motus, ergo patitur a sensibili, quia sensus qua sensus, apprehendit sensibile, sed operatio sensus, est alteratio, alteratio est passio, & motus, ergo sensus qua sensus, patitur, & mouetur, & dicit alteratio quædam, quia improprie est, quia uisio non corrumpit uisum, & uera alteratio est, tamen alteratio perfectiua, subdit duas dubitationes, prima ex quo mouetur sensus a sensibili, & patitur, an sibi simili, an dissimili patitur, Dicit Arist. quòd soluta fuit in lib. de generatione & corruptione, scilicet in primo cap. de agere, & pati, quòd scilicet partim a simili, partim a dissimili, dissimili actu, a simili potentia, frigidum actu, quatenus potentia calidum patitur, a calido, quia si debet esse actio, oportet, quòd sit eadem materia, uel melius, si consideretur agens & patiens sunt inuicem contraria, sed postquam passa sunt similia, in medio, partim similia, partim dissimilia, quia aqua ut patitur ab igne, partim calidā, partim frigida, soluta ergo est quæstio quid, dicemus de sensu, dico quòd partim fit a simili, partim a dissimili, a dissimili, antequam impressum sit, ergo cum sensus passus est similia sunt, quia habent simulacrum, & ita soluitur hæc dubitatio in libro primo de generatione, & corruptione.

Sed dicetis primo, quia Arist. sibi ipsi aduersatur, primo quia dicit, quòd anima erat causa effectiua alterationis, quia sensationis, hic dicit quòd patitur, & mouetur, ergo in potentia passiua est, secundo, quia dicemus, quòd sensus interiores

teriores immutantur ab exterioribus, tres sunt sensus interiores, communis, uegetatiua, & memoratiua, si ergo immutat sensum interiorem, ergo agit, non ergo sensus qua sensus, mouetur, & patitur, sed etiam agit, sed quia nono met. duplex est operatio, immanens & transiens transiens est quæ externam transit, immanens, quæ immanet suo subiecto, ut uisio, & intellectio, sed immanentes operationes immanent suo sub iecto, & iste sunt, quæ agunt, etiam quia materiæ est pati, formæ uero est agere, sed sensus est anima, ergo actus etiam, quia iste operationes sunt qualitates, non ergo passiones, quia re distinguuntur, ultimo mulier menstruosa inficit speculum, & Basiliscus, uisu interficit hominem ergo sensus qua sensus mouet.

De primo dico, loquutus fuit supra secundum communem opinionem, ut dicunt omnes expositores, & maximæ ex Plat. & hoc non impediebar, quod nolebat ostendere, scilicet quòd ipsa sit causa effectiua licet non sit effectiua respectu operationum est tamen respectu animati. De secundo dico, quòd agit in sensum interiorem, ue rum est, sed Arist. loquitur de prima operatione, cum sensus apprehendit exteriora est passiua, licet sit actiua respectu operationis interioris, quia denominatio fit a prima operatione, quæ est passiua. Dico, intelligamus sane, quòd scilicet immanens immanet suo agenti, id est suo operanti, non quòd immaneat suo agenti, sed operanti, quia si suo agenti, tunc immaneret colori, dico enim, quòd sensus non est forma, sed potentia passiua, & magis habet rationem materiæ, absolute, sensus est forma, non qua potentia sentiendi, quia refertur ad sensibile. Dico quòd sunt idem re, sed differunt ratione, eadem enim res, potest esse in diuersis prædicamentis, sed ratione differunt, quia illa eadem operatio quæ est ab agente in passum, uocatur actio, ut reperitur in potentia uisiua uocatur passio. De sexto dico, quòd est per accidens, non qua sensus, sed qua uapores ascendunt, & faciunt, ita etiam de Basilisco exeunt spiritus, & interficiunt hominem.

Textus LII.

HABET autem dubitationem propter quid sensuum ipsorum non sit sensus, & quare sine his quæ sunt extra non faciunt sensum in existente igne, & terra & aliis elementis quorum est sensus per se, aut secundum accidentia his, manifestum igitur quòd non est actu sed potentia tantum, unde non sentiunt sicut combustibile non comburitur ipsum a se ipso sine combustiuo, combureret enim se ipsum & nihil indigeret actu ignem esse.

Habet autem dubitationem, subdit Arist. secundam dubitationem difficilem. Dicit Ioan. pro posuit nobis Arist. primam quæstionem, ex quo scilicet sensus erat passio, an a simili, an a dissimili pateretur, proponit nunc secundam, ex cuius solutione dependet prima, & est mos Arist. quæstio est talis, sensus qua sensus apprehendunt sensibilia, sed organa sunt sensibilia, cur ergo non apprehendunt organa, cur scilicet uisus non apprehendit colorem existentem in oculo, quod autem organa sensuum sint sensibilia, probat Arist. quia constant ex elementis, quæ sunt sensibilia, uel per se, uel per accidens, si quo ad qualitates substantiales primas, sunt per se, per accidens, ut sapor, color, quæ sunt sensibiles, per accidens, quia ressultant ex primis, ergo cur non sentiunt organa sua sensibilia, soluit Aristot. dicens dissoluitur hæc quod ex prius dictis, quia dictum est, quòd sensus qua sensus est potentia, potentia autem reducitur in actum per id quod est actu tale. Vlterius, illud autem quod est actu tale, ut reducatur potentia sensus ad actum, non est nisi sensibile extrinsecum, exemplum, quia lignum est combustibile potentia, si debet comburi, debet reduci ad actum, per illud quod actu comburit, ideo ab igne, qui est actu tale, ita sensus, non potest reduci ad actum, nisi ab extrinseco sensibili, extrinsecum sensibile est ut ignis.

Est dubitatio circa uerba Arist. nunquid sensus possit sentire qualitates, an requiratur præsentia obiecti, arguitur enim de tactu, qui percipit propriam carnem, ut in febrientibus. Est etiam dubitatio de uisu, quia in principio suffusionum, quando humor consistit, antequam occupet totum oculum, uidetur iste humor ab oculo, quia si mouetur, uidetur quòd animalia uolent, uidetur ergo, quòd egent entrinseco sensibili. Dico quòd sensus uisus secundum naturam, nedum eget extrinseco sensibili, sed medio, & ne dum medio, sed medio illuminato, cuius signum, ponatur corpus coloratum contra oculum, non percipitur, quia non est medium, & præcipue in apprehensione colorum, dicit, ille humor qui est in oculo, aut est omnino opacus, & ocupat totam pupillam, aut partem, si totam, non fit uisio, si partem, fit uisio in parte, quæ non est occupata, in alia non fit uisio, quia in humore Glaciali fit uisio colorum sine lumine, cum enim opacus fit oculus prohibet penetrationem luminis in directo eius, & non uidetur color, nec aliud quid uidemus. Dicit Ioan. in parte quæ detecta est suffusione uidet sensibilia extrinseca; & illa de directa opposita a sensibili extrinseco facit umbram, & sic uidetur umbra, & si mouetur humor, inquit, uidetur quòd res moueatur, si ille humor sit peruius lumini, oculus uidebit illam tantum. Dices sit ergo uisio in humore oculi dicit Ioan. quòd quodammodo est extra oculum, respectu humoris, Christaliui, & sic

paries uidetur eo modo sicut est humor consistens in oculo, & sic se habet ut res extrinseca, intercipitur enim albugineus humor. Sed dices ponamus, quòd sit in humor Glaciali, dicit Ioã. non fiet uisio, quia ex lesione christalini corrumpitur uisio, uerum est, quòd illa uisio non est secundum naturam, sed extra, quia non mediat aer, sed dicat mihi Io. de experimento Arist. in de sensu & sensato, quia si in nocte agitatur oculus, celeriter uidetur fulgor, & iste fulgor non est aliud, quàm spiritus agitatus, qui est in humore Glaciali. Ideo soleo dicere, quòd non regitur, quòd non fit obiectum extrinsecum, in omni uisione, O' quid ad Arist. Dico, quòd intelligit de uisione secundum naturam, in uisione uero præter naturam, potest esse rei inexistentis, eodem modo, soluitur dubitatio de auditu, qui percipit tinnitum, quãdo digito. Clauditur auris illa auditio est præter naturam, ut de amaris in lingua, sentit quòd est in profundo linguæ, est sensatio præter naturam, & soluitur dictum Auer. tertio colliget trigesimooctauo, & de memoria, dicit in nocte dum uidemur, uidere colorem, fit sensatio, quia illa simulachra in memoria multiplicantur in sensus exteriores, clausis sensibus exterioribus, ut in forti cogitatione, ut tertio colliget, uidemur uidere multa, & isti fratres dicunt, quòd sunt demones, non est uerum. Dico ad Auer. quòd uidetur Arist. aduersari, quia Arist. loquitur de operatione sensus, qui est secundum naturam, aliquando tamen est præter naturam, non est necessaria ligatio sensus, non est simpliciter ligatio, sed respectu exteriorum, ita de experientia ex forti imaginatione, quod est præter naturam, & non secundum naturam. Addebat Ioannes, persimilis est sensus ipsi intellectui. Sed intellectus apprehendit se ipsum, ergo & sensus, dicit Ioannes, sensus est persimilis intellectui, quia sic sensus est uirtus passiua, quæ recipit ab exterioribus, ita & intellectus est passiua uirtus, quia mouetur ab exterioribus, cum dicis, intellectus apprehendit se ipsum, ergo & sensus. Dico quòd non ualet similitudo, & ratio est, quia cum intellectus sit ratio seiuncta a materia, potest in se ipsum reuerti, & intelligere, sensus autem cum sint coniuncti corpori, non possunt supra se ipsos reuerti. Sed quod dicit Ioannes est partim uerum, partim falsum, uerum est, quòd sensus non potest reuerti supra se ipsum, quia percipiemus nos uidere sensu communi, sed falsum est, quòd cum intellectus reuertatur supra se ipsum, intelligat se ipsum, & ex sui apprehensione, intelligamus omnia, quia intellectus est potentia intellectus, & ideo dicit necesse est phantasmata speculari, quia non actu apprehendit, quia sui intellectio, est sui substantia, intelligimus enim intellectus per accidens, conceptu complexo, sicut intelligimus materiam primam, uerum est, quòd ex similitudine aliorum potest reuerti supra se ipsum, & per accidens comprehendere se.

Textus LIII.

QVONIAM autem sentire dicimus dupliciter, potentia enim audiens, & uidens audire & uidere dicimus, & si forte dormiens, & quod iam operans, dupliciter utique dicitur & sensus, hic quidem sicut potentia, ille autem sicut actu, similiter autem & sentire quodque potentia ens, & quod actu.

Erat alia dubitatio, quia dicebat Ioannes ex solutione secundæ soluitur prima, quinimmo uidetur, quòd ex solutione primæ, soluatur secunda, & non econtra, quia iam dictum est, quòd uirtus passiua est quæ recipit dissimile, sed sensus non est dissimile, sibi ipsi, ideo sensus non potest seipsum sentire, dicit, dissoluit primam, ex secunda fuere allegate tres causæ, prima quia nullus sensus conuertitur supra se ipsum, & si non conuertitur, non potest apprehendere seipsum, secunda, quia omnis actus sentiendi fit medio, tertio, quia uirtus passiua, & passio fit a dissimili, ergo, cum ergo soluta fuit secunda quæstio, quòd passio fit a dissimili, sequitur quòd sensus fit partim a simili, partim a dissimili, quòd sensus partim a simili, partim a dissimili fit pater, & quia dico, quòd sensus qua sensus, est potentia, & passiua uirtus, quia ergo sentiens est duplex; habitu & actu, habitu cum animal dormit, actu cum operatur, ita sentire est actus sentiendi potentia, dum non est actu, dum existit uis sentiendi, quia aduertit Ioannes, quia bis dicit sentire, in principio, & in fine, dicit, in principio, intelligit sentire sensitiuum, in fine intelligit actum sentiendi, & ex hoc soluitur quæstio, & fuit pertractata, in primo de generatione, & corruptione &c.

Textus LIIII.

PRIMVM igitur quidem tanquam idem sit pati & moueri, & agere, & mouere dicimus, & nanque motus est actus quidem imperfectus tamen sicut in alteris dictum est, omnia autem patiuntur & mouentur ab actiuo, & actu ente, unde est quidem tanquam a simili pati, est autem ut a dissimili, sicut diximus, patitur quidem enim quod dissimile, passum autem simile est.

Lectio LXXVII.

PRIMVM *igitur quidem.* Ponens Aristot. differentiam, inter passionem, motum, & operationem, dicebat, quòd se habebat ut genus, & species, dixit quòd omnis actio fit a dissimili.

simili. Dubitatur, quia minor flama extinguitur a maiori, quæ non est dissimilis,etiam, quia dicit, est operatio, quia est actus perfectus, ut exitus luminis a luce, operario est imperfectus actus, qui est motus. Est dubitatio, quia est operatio, quæ non est actus perfectus, impartibilis, nec imperfectus, assumptum patet, ex discursu, intellectus ex præmisfis ad conclusionem, ista est operatio perfecta, quia nihil corrumpit, & non est impartibilis, quia accipit prius unam propositionem, deinde aliam, ita non est operatio perfecta, in momento temporis, nec imperfecta. De prima dicit Ioannes, quòd uerum est, & fuit problema Arist. utrum super fructibus sit bibendum, aqua, aut uinum, dicit utrunque, si enim bibatur uinum oportet, quòd sit bonum, quia minor flama extinguitur a maiori, & bona est aqua, quia extinguit ebulitionem, ista non est passio dissimilis dicit Ioannes, est dissimilis, quia una est maior altera, diceris quòd minor patitur a maiori per accidens, quia consumit materiam, qua debet nutriri minor flama, & Arist. loquutus est de passione per se.

De secundo dicit Ioannes, quòd uerum est, quòd est una operatio quæ non est, nec in momento temporis, perfecta, nec imperfecta, sed forte comprehenditur sub perfecta operatione, sed falsum dicit Ioannes, quòd discursus sit in tempore, nisi sit per accidens, si accipiamus unam propositionem, in uno tempore, alteram in alio, & ita discursus qua discursus est in momento temporis, & ratio est, quia discursui, non est contrarietas, ergo nec resistentia, ergo in momento temporis, ut dixit quarto physic. Aristot. Etiam omnis comprehensio est in momento, quia sensus interiores subito comprehendunt, si comprehensio, ergo. modus concipiendi, uel comprehendendi est in nunc, fuit dubitatio quæ sit illatio. Sed uos dicatis, quòd illatio nihil aliud est, nisi modus concipiendi, ita omnes termini sincathegorematici, duo tantum cathegorematici, ut dicit Priscianus, nomen & participium, & sic, illatio non est nisi modus concipiendi, sicut etiam copula significat modum concipiendi prædicarum ad subiectum, ideo primo perihermenias copula non significat nisi unionem prædicati cum subiecto, ita ergo dico, sicut comprehensiones fiunt in momento, ita modus concipiendi, & illatio est modus concipiendi, ergo sit subito.

Textus LV.

DIVIDENDUM autem de potentia & de actu,nunc enim simpliciter dicimus quæ habemus de ipsis. Est quidem enim sic sciens aliquod, sicut si dicamus hominem, quoniam homo scientium, & habentium scientiam. Est autem sicut iam dicimus scientem habentem grammaticam, uterque autem horum non eodem modo possibilis est, sed hic quidem quoniam genus huius & materia est. Ille autem quia uolens possibilis est considerare, nisi aliquid prohibeat exterius.

Textus LVI.

IAM autem considerans actu ens per se & proprie sciens hanc litteram A. Ambo quidem igitur primi secundum potentiam scientes sunt, sed hic quidem per doctrinam alteratus est, & multotiens ex contrario mutatus habitu, hic autem ex eo quod habet sensum aut grammaticam, non agere autem in agere alio modo.

Diuidendum autem de potentia. Quia erat intentio Arist. distinguere passionem & actionem, hic uult distinguere illa nomina, & antequam hoc faciat, distinguit multiplicitatem actus, & potentiæ, quia omne quod agit est ut actu, quod patitur ut potentia, quia etiam sensus est potentia. Dicit ergo, actus dicitur dupliciter, primus, & secundus, primus est habitus, secundus est operatio, exemplum, actus Grammatici, dum dormit est primus, secundus dum speculatur Grammaticam. Dicit Arist. sicut actus duplex ita potentia duplex, quæ scilicet respicit actum primum, & quæ secundum, & differunt hæ duæ potentiæ bifariam. Primo quia potentia ad actum primum, ut ad habitum Grammaticæ puer respicit actum primum, & non ponit nisi genus, ista potentia, scilicet subiectum, quia homo cum natus est disciplinæ susceptibilis, alia ponit actum ad secundum actum, ideo dicebam, quòd potentia posita in definitione animæ, non excludebat actum, immo includebat, est etiam alia differentia, quia transmutatio, ad habitum grammaticæ est alteratio, quomodo alteratio, quia alteratio est a contrariam, in contrarium, quia est a falsa opinione ad ueram, Auerroes deceptus est, quia exponens illa uerba, dicit cum sit transmutatio multoties transmittitur, ut ex errore in scientiam, ex scientia in errorem, antequam iste habitus scientiæ in nobis figatur, ideo est ex contrario in contrarium. Sed pueriliter errat, quia quæ habent habitum scientiæ, non possunt transmutari, in errorem, ideo dicit Aris. oportet sapientem immutabilem esse, quia aliqua persuasione non mutatur, ex uno habitu acquiritur habitus sciendi, & non ex reiteratione, ideo est ut dixit Ioannes, quia illa transmutatio, quæ est inter qualitates contrarias, est alteratio, sed ista est huiusmodi, quia multoties est ex errore in habitum scientiæ, dicit multotiens, quia aliquando non transmutatur, sed tantum habet priuationem scientiæ, sicut si quis dixerit, Solem esse minorem terra, postea ratione uiderit,

quòd sit maior, mutabitur. Est alia potentia, quæ est a secunda potentia ad habitum, ista transmutatio, non est alteratio, quia habebat illum habitum, & incipit speculari, uocabitur, generatio & augumentatio, quia est additio ad perfectionem, & generatio; quia generatur, ergo erat priuatum. Sed dubitat Ioannes, quia dicit Arist. transmutatio ad habitum scientiæ, est alteratio, quia fit ex errore in scientiam. Sed Arist. dicit oppositum, quia puer in potentia recipit habitum, & tamen non est alteratio. Dicit Ioannes; quòd Arist. corrigit se ipsum, & per nomen pati; intelligit alterari, ut patet in uerbis sequentibus.

Textus LVII.

NON est autem simpliciter, neque agere, neque pati, sed aliud quidem corruptio quædam a contrario, aliud autem salus magis eius quòd potentia ab eo quod est actu & simili; sic sicut potentia se habet ad actum. Speculans enim fit habens scientiam, quod uere aut non est alterari, in ipsum enim additio est & in actum; aut alterum genus alterationis est.

Textus LVIII.

VNDE non bene habet dicere sapientem cum sapiat alterari, sicut neque edificatorem cum edificat; In actum quidem igitur ducens ex potentia ente secundum intelligere & sapere non doctrinam, sed alteram habere denominationem iustum est. Ex potentia autem ente addiscens & accipiens scientiam ab actu ente & didascalo, aut neque pati dicendum sicut dictum est, aut duos esse modos alterationis, & eam quæ in priuatiuas dispositiones mutationem, & eam quæ in habitus naturam.

Non est autem. Dicit Arist. quòd duplex est passio, proprie quæ est à contrario, in contrarium, & corruptiua; ut frigidum contrariatur calido, est quia in communi usu uulgarium, est etiam alia passio, quæ non est inter contrarias qualitates, nec ab agente primo, & uocatur salus uiuentis, & perfectio, non corruptio, etiam declarat, duplici exemplo, quòd prima quo ad actum primum, & habitus grammaticæ ad speculandum est transmutatio impropriè; patet de secunda potentia, quia habitus non contrariatur speculationi, nec ab agente contrario, quia operatio est ab habitu; qui est similis, ut potentia (inquit) actui; hoc est dicti; sicut operatio est similis habitui; eodem pacto de prima transmutatione; debet dici; impropriè alteratio, quia si puer in scientiam transmutatur, non est inter qualitates contrarias, sed a priuatione ad habitum; cùm uero ex errore in scientiam, est per accidens; per se est alteratio impropriè, nec ab agente dissimili; sed simili, quia a præceptore; & generatur habitus scientiæ, & discipulus fit similis præceptori; & prima differt a secunda, quia prima a præceptore, secunda a se ipso; ideo cum est a contrario ad contrarium; est alteratio propriè. Sed est dubitatio; quia dixit quòd quælibet passio est à dissimili; quomodo ergo istæ duæ sunt à simili; Etiam quia actio non est a simili; etiam quod agit est actu; quod patitur potentia; modò actus & potentia sunt diuersa. Dicit Ioannes appellat a simili, quia est ab eo, quòd non corrumpit. Dico ad argumentum, quòd isto pacto est a dissimili. Sed inquantum non corrumpit est a simili. Dicimus ergo quòd erit a simili, & a dissimili, a simili, quia ab eo quod perficit, a dissimili; ut actus, & potentia, & dixit sepe; quòd non semper transmittitur, ex errore in scientiam. Quocirca non rectè se habet, In istis uerbis decipitur Auerroes, quia dicit; quòd transitus ad habitum potest esse bifariam. Tum ex priuatione ad habitum, & uocatur doctrina, & transitus ad habitum post obliuionem & uocatur rememoratio, & sic dicebat Plato; quòd aggenerabatur, in nobis doctrina. Sed errat, quia Arist. non loquitur de illa, post obliuionem, sed de ea quæ est ex priuatione.

Textus LIX.

SENSITIVI autem prima quidem mutatio fit a generante, cum autem generatum est habet iam sicut scientiam & sentire, quod autem secundum actum similiter dicitur ipsi confirmare. Differt autem quoniam huiusmodi actiua operationis extra sunt uisibile, & audibile; similiter autem & reliqua sensibilium.

Textus LX.

CAVSA autem est quoniam singularium quidem secundum actum sensus, scientia autem est uniuersalium, hæc enim in ipsa quodammodo sunt anima, unde intelligere quidem est in ipsa cum uelit, sentire autem non est in ipsa, necessarium est autem esse sensibile, similiter autem & hoc se habet in scientiis sensibilium, & propter eandem causam, quia sensibilium singularium sunt & exteriorum, sed de his qu dem certificare tempus fiet & in rursum.

Textus LXI.

NVNC autem tantum sit diffinitum quoniam cum non simpliciter sit quod potentia dicitur, sed aliud quidem sicut si dicamus puerum posse militare, aliud autem sicut in etate existentem, sic habet sensitiuum.

Sensitiui autem. *Causa autem est.* Verba patent. Sed est dubitatio circa uerba Auerrois, in com-

com-

commento 59. quia dicit actus primus, & secundus, primus est a generante, dicit Auer. ab intelligentia non errante. Vnde aliqui eliciunt, quòd intellectus agens nihil est aliud, quàm Deus, sed ut dicit Auer. dicit etiam Arist. in de animalibus. Sed errant, primo quia, ut dicemus infra, intellectus agens est pars animæ, quia intellectus constituitur ex intellectu agente, & potentia. Etiam quia dicit in secundo de generatione animalium cap. decimotertio ubi Arist. per intelligentiam intelligit uirtutem seminis, & exponit se in septimo metaphysicæ trigesimoprimo, & duodecimo per octo textus exponit, quòd per uirtutem seminis intelligit intelligentiam, & declarat cur appellatur, intelligentia, & reddit duas causas, prima est, quòd assimilatur intellectui, quia, sicut intellectus operatur nulla corporis parte, sed toto, ita uirtus seminis non operatur, nisi toto, quia est calor innatus, secundo, quia illa uirtus est summæ artis, & prudentiæ, ideo dicit dubitauit Galen. in deformatione fœtus, an sit Deus, an forma, dicit tamen, quòd erat forma, & tenuit, quòd semen erat animatum. Sed Arist. non tenet, quòd sit animatum, etiam in fine quarti metheororum, quia dicit factio siale, non est a natura, sed ab arte, ita inquit factio membrorum est a natura. Sed dubitauit an factio membrorum instrumentalium sit a natura, uel ab aliqua alia causa, ideo dubitauit Aristot. & ita Conciliator accepit hanc expositionem, sed deceptus est Auer. quia loquitur tantum de semine hominis, quia dicit, uirtus generatiua, partim separabilis, partim inseparabilis, quæ est diuina, comprehensiuus etiam est homo, ergo separabilis est uirtute quadam, quia attingit formam separabilem a corpore, in reliquis est inseparabilis a corpore, non ergo dicit, quòd uirtus sensitiua est intellectiua, quia similis intellectui, sed tantum de homine loquitur, & sic male interpretatus est Auer. & cum eo Conciliator differentia quadragesimaoctaua. Est dubitatio, quia dicebat Auer. quòd ex quo sensus ducitur de potentia ad actum secundum, a sensibilibus, intellectus uero ducitur ad actum secundum, ab habitu, ideo non possumus sentire, cum uolumus, sed bene possumus intelligere cum uolumus, subiungebat Arist. quòd ideo scientia circa sensibilia non sunt in potestate nostra, ex eadem causa, quia actus sentiendi non erant in potestate nostra. Dubitat Ioannes, quia omnis scientia est uniuersalium, & est habitus, sed habitus primo ethicorum, est quo quis utitur cum uult, ergo ad libitum possumus uti tam practica, quàm speculatiua scientia, quomodo ergo dicit hoc Arist. Dicit Ioannes, quòd finis scientiæ speculatiuæ, est duplex, finis remotus, scilicet, & propinquus, finis remotus, est speculatio, finis uero propinquus, est operatio, finis uero speculatiui est speculatio tantum, ideo si loquamur de fine minus principali, sic possumus uti, cum uolumus, sic autem non loquitur Arist. sed loquitur de fine propinquo, quo non possumus uti, cum uolumus, Tex. sequentes, primus & secundus patent de se, sed Auer. in commento sexagesimo. Tangit dubitationem famosam. Dixit enim Arist. quòd sensus reducuntur ad actum secundum, a sensibilibus, generatis uero reducit generatum ad actum primum, ut uisio sit a colore, non a uirture animæ, ideo sentire non est in potestate nostra, quia dicit, color causat uisionem in sensu, sed color est qualitas materialis, uisio est spiritualit, uisio ergo est nobilior, quomodo ergo color causat uisionem, cum nihil agat extra suum terminum, sed dicas, inquit Auerroes, quod sensibilia causant uisionem, non uirtute sua, sed ex dispositione passi, ut ex ratione sensus, quia potest recipere operationes spirituales. Dicit Auer. quòd hæc expositio, non potest stare, quia primo huius dicit. Diuersitas formæ, est causa diuersitatis materiæ, non econtra, ideo dicit membra Leonis, & Cerui differunt, quia animæ differunt, quòd autem calor producat calorem, in ligno materialiter, in sensu uero tactus immaterialiter, non potest dici, quia materia non est causa diuersitatis formæ, sed contra, quid ergo dicemus, Inquit, dicemus, quod re uera requiritur aliquid aliud, quia nihil agit extra gradum proprium, quia, a quo illud haberetur. Si dicas. O Arist. nullibi expressit illud aliud agens, quia semper dixit, sensibilia deducunt sensum ad actu secundum, dicit Auer. expressit illud agens, ubi, in de intellectu, quia dicit phantasma producit simulachrum, in intellectu perfectiori modo, ab intellectu agente, ideo dicit Arist. homo, & sol generant hominem, quia requiritur aliud cœleste agens, ex quo ergo Arist. dixit quòd satis non erat simulachrum, in phantasmate ad producendum simulachrum, ideo requirebatur intellectus agens, ideo dicit Auer. quòd etiam uobis expressit, quòd ita est in sensu, explicuit tamen in intellectu, & non in sensu, quia maior erat necessitas, ex parte animæ rationalis, ideo tacuit de sensu.

Dubitant igitur expositores, nunquid sensibilia concurrant actiue ad actum sentiendi. Duplex est in hac materia opinio, una dicit, quòd non concurrunt actiue, sed materialiter, & est opinio Suessani, & præceptoris mei, quia alibi Auer. dicit, quòd transferuntur, quod uocabulum habet rationem materiæ, etiam quia Arist. dicit, quòd sensibile non mouet sensum, sed medium, color enim non mouet sensum, sed medium. Etiam in lib. de memoria & reminiscentia dicit Auer. quòd simulachrum ducit sensum ad actum secundum.

Lectio LXXVIII.

SED hæc opinio non est uera, quia semper ubique Arist. dicit, quòd sensibilia ducunt sensum ad actum secundum, hic clare & etiam in fra dicet, quòd hæc propositio est secundi modi dicendi per se, color est uisibilis, quia color est causa ipsius uisionis, quia quod est causa aptitudinis, est causa actus, ideo causa uisionis, etiam perspectiui dicunt, quòd sensibile operatur in sensu, etiam si est aliud quod producit, quàm sensibile, uidetur in eadem distantia, non uidetur parum sensibile, & minus. Etiam quia nunquam causa uniuersalis perducit effectum particularem, nisi determinetur a particulari, unde sol non producet hominem, nisi sit homo, quomodo ergo potest esse unum, quod producat omnes uisiones. Ideo aliter Gaietanus, quòd sensibilia sunt causa effectiua. Ad Aristot. dico, quòd medium immediate facit uisionem, sed color remotæ, inquantum produci t simulacrum in medio, ideo remote mouet. Quod dicit Auer. in de memoria, & rem, & tertio colliget dico, quòd non est illud secundum ordinem naturæ, Arist. loquitur de mutatione naturali, & prima operatione, sed dices, an concurrat aliud agens, uel sensorium, Dicit Albertus, & cum eo Gaetan. quòd solum per se sensibile, ò quomodo, ergo producit aliquid perfectius, dicunt potest considerari color ut in materia, & per se, & ut forma, sicut nobilior est, de Auer. dicunt, quòd loquutus est sub dubio. Sed ista opinio falsa est, primo ex ratione Auerrois, etiam quòd sensibile erit nobilius sensu, ostendo quia Arist. secundo & tertio topic. illud quod concurrit ad nobilissimam operationem, concurrit perfectius, & per se est nobilius, sed sensibile per se sensus patitur, ergo ad actum sentiendi nobiliori modo concurrit sensibile, si ponamus aliud agens, sic sensibile non concurreret per se, sed tamquam instrumentum. Etiam sua distinctione est ens rationis, quomodo ergo potest esse causa effectiua realis. Etiam eadem ratione dicamus, quòd nulla est necessitas intellectus agentis, quia simulacra producunt notiones uniuersales in intellectu, si considerentur ut forma non, ut in materia, ideo non potest defendi opinio, ideo dicimus, quòd requiritur aliud agens, quid est illud agens. Diuersi sunt expositores, Ioan. Gand. quæstione 16. dicit, quòd requiritur sensus agens, ut requiritur intellectus agens, & dicit sensus agens est qualitas secunda realiter distincta a uirtute animæ, & a uirtute passiua, quid ergo dicit Arist. Dicit, quòd color se solum producit imaginem, & non repræsentat se solum obiectum, postea color cum sensu agente, repræsentat obiectum, ita ponit duas qualitates in sensu, si dicas inquit Gandau. cur Arist. non expressit nobis hos sensus agentes. Etiam cur Aristot. semper dixit obiecta faciunt actum sentiendi. Tu uero dicis, est sensus agens, De primo dicit, quòd non distinguitur subiecto, & organo, ideo non fecit mentiontionem distinctam de hoc. De secundo dicit, quòd obiecta producunt actum sentiendi dispositiue, quia sensus agēs est qui producit, Rationes opinionis, inquit, sunt multe, prima quia supra dixit, anima est causa alterationis effectiua, item, quia infra dicet, ubi est proprium passiuum, est proprium actiuum, ita arguam de sensu, Item quia dicit, sicut intelligere ad intellectum, ita sensibile ad sensum, ergo etiam quia anima sensitiua, est uirtus actiua, quia iudicat etiam, quia uegetatiua est imperfectior sensu, sed uegetatiua est actiua, ergo sensitiua est actiua, si actiua, ergo producit suas operationes.

Sed Appollinaris insurexit contra hanc opinionem, quia Arist. expresse dicit, quòd sensibilia ducunt sensum in actum, ideo dicebat, quòd actus sentiendi non est in potentia nostra, Aduersatur, ergo Arist. quòd obiectum producit speciem, & disponit sensum, & sensus agens mediante ista specie recipitur in sensu potentiæ. Dicit, male loquitur, quia nulla forma recipitur in dispositione materiæ, ut in subiecto, sed bene recipitur in subiecto, cum dispositione, ut ignis non recipitur in calore, sed in materia disposita. Dicit ergo Appollinaris, quòd obiectum producit uisibile per se, sensu agente, producit actum sentiendi in sensu passiuo.

Sed hæc opinio. Tam prima, quàm secunda est falsa, quia isti qui ponunt sensum agentem, uolunt, quòd a sensu agente producatur nobiliori modo actus sentiendi, quàm à sensibili extrinseco, concurrunt ad actum sentiendi agens, sensus, & passiuus, unus scilicet actiuæ alter autem passiuæ, sed actiuæ concurrere est nobilius, quàm passiuæ, ergo sensus agens, aut apprehendet, aut non, si sic, superfluit sensus passiuus, si non, sed potentia, sensus comprehendit, ergo sensus passiuus erit perfectior, quia cognoscentia non cognoscentibus, sunt perfectiora, inquit Arist. Dicit Ioan. quòd sensus agens, est simpliciter nobilior, nunquid comprehenditur, inquit quòd non, ergo sensus agens, erit imperfectior, ergo dicit, quòd non erit uera ista propositio, pater primo, quia Auer. secundo physicorum quærit, an cœlum separatum ab intelligentiis sit perfectius musca, certum est inquit, quòd sic tamen cœlum non comprehendit, etiam de uoluntate, quia noluntas perficit intellectum, qui cognoscit, tamen uoluntas non cognoscit, & est perfectior, sed Ioan. Errat, quia generaliter est uera, quia cuius operatio est perfectior, illud est perfectius, sed cumprehensio non comprehensio-

ne

ne perfectior, ergo. Quod dicit de cœlo, & idem dicit Auer. de uoluntate errant, quia non differunt in ratione, sed tantum re, ideo uoluntas comprehendit, ideo illi debent soluere illud argumentum, etiam ex Auer. septimo metaphy. 13. idem est agens disponens materiam, & inducens formam, si illa forma necessario sequitur, dispositionem, quod dicit propter lumen, quia in uisione concurrunt color lumen, & aer, lumen disponit aerem, an lumen inducat uisionem minime, quia cum illuminatur est aer, non de necessitate sequitur uisio, & sic patebit quòd uera erit in omnibus inducendo. Dices, quòd sensibile extrinsecus producit speciem uisibilē, quicquid ergo producit speciem uisibilem, quia ex illa praeparatione necessario, sequitur actus sentiendi, obiectum, ergo producet actum sentiendi, ideo non est uera opinio, propterea alij aliter dixere.

Scotus tertia dist. quæst. 6. & D. Thom. dicunt, quòd obiectum non solum producit actum sentiendi, sed concurrit aliud, quid est illud, uirtus passiua concurrit actiue, ita quòd ex illis duabus causis particularibus fiat una causa, ut ex patre & matre, & addunt uerba August. ex cognito & cognoscente, fit cognitio, si dicas cur ponit intellectum agentem, quia dicam quòd simulacra in phantasia sufficient in intellectu potētiæ. Respondit quòd non posuit, ut concurrat ad notiones illas, scilicet ut perducat obiectum in intellectu potentiæ, & ita Arist. ponit intellectum agentem, solet quæri ab ipsis, cur ex parte uoluntatis non posuit duplicem uirtutem, scilicet agentem & passiuam. Respondit quòd non multiplicamus ad multiplicationem notionum & operationum, sed ponitur ex parte obiecti, quia illa uirtus uocatur agens, quæ producit obiectū, ita quantumcumq; sensus concurrat ad sensibilium, non diuidimus sensum in actiuum, & passiuum, quia non multiplicamus ad notiones, sed ad obiecta, sed est duplex dubitatio prima, ex octauo physic. quia nulla uirtus animæ producit aliquid in se ipsa, quia idem esset actu & potentia, & ita soleo dicere, quòd uoluntas non producit actum in uoluntate, sed producitur ab obiecto, & libertas non fundatur in uoluntate, sed in intellectu, & euasiones eorum destruunt Arist. Etiam nono metaphysi. dicit, potentia acti ua mouet alterum, ut alterum, quomodo idem potest mouere se ipsum, secundo, quia distinguūt speciem sensibilem ab actu sentiendi, & est communis opinio, uidetur superflua, quia Græci de memoria dicunt si non distinguit ab actu sentiendi semper producet. Dico, quòd non est necesse quòd ponamus speciem sensibilem distinctam ab actu sentiendi, dices, cessante actu sentiendi, cessabit intellectio, uerum est, ò remanet intellectus in habitu, uerum est, sed non est in habitu, ex isto, sed ex simulachris reseruatis in memoria causatur intellectus in habitu. Dixi opinionem D. Thomæ quam plures sequuntur, habet tamen dubitationem, de speciebus sensibilibus, & quomodo in brutis fit actus sentiendi, quia non est in his intellectus agens, quia est pars animæ rationalis, ideo est ultimus modus dicendi uerior, quod cum sensibili concurrat aliud agens, scilicet cœlum, uirtute substantiarum abstractarum, sic cœlum cooperatur in generatione animalis, ideo dicit hæc opinio, quòd sensibile concurrente cœlo ipso, fit actus sentiendi, sed dicis, ita erit in intellectu, quia cum cœlo & phantasia fiet intellectio absque intellectu agente, Dico, ut dicit Aristot. dignificanda est anima in quantum potest, & quia erat perfectio animæ rationalis, quòd esset duplex principium, scilicet passiuum, & actiuum, in sensu autem non potest ita fieri, quia illud principium actiuum, aut est sensus aut est intellectus, non intellectus, quia ex intellectu & sensu, non fit unum, si sensus, aut comprehendit aut non, si non imperfectior passiuo, quod est falsum, quia agens concurrit ad operationem nobiliori modo, si comprehendit superfluit, ergo sensus potentiæ, ideo concurrit cœlum ad actum sentiendi, cum sensibili.

Textus LXII.

QVONIAM innominata est ipsorum differentia determinatum est autem quoniam altera & quomodo altera, uti autem necesse est ipso pati & alterari tanquam propriis nominibus, sensitiuum autem potentia est quale sensibile iam actu sicut dictum est, patitur autem non simile ens, passum autem assimilatum est, & est quale illud.

Textus LXIII.

DICENDVM autem secundum unumquemque sensum de sensibilibus primo. Dicitur autem sensibile tripliciter, quorum duo quidem dicimus per se sentiri, unum autem secundum accidens, duorum autem aliud quidem proprium est uniuscuiusque sensus, aliud autem commune omnium. Dico autem proprium quidem quod non contingit altero sensu sentiri, & circa quod non contingit errare, ut uisus coloris, auditus soni, & gustus humoris, tactus autem habet plures differentias, sed unusquisque indicat de his, & non decipitur uisus, quoniam color, neque auditus, quoniam sonus, sed quid coloratum, aut ubi, aut quid sonans, huiusmodi quidem igitur dicuntur propria uniuscuiusq;.

Lectio LXXIX.

DICENDVM autem Facturus sermonem de sensitiua postquam loquutus est de uegetatiua, diffinit animam sensitiuam, in uniuersali

uersali, quia ut dixit supra, ad perfectam notitiam generationis, non sufficit eius definitio, sed oportet descendere, ad species, ut primo poster. dixit Arist. quia eiusdem scientiæ est genus & species, ideo cum definiuit sensitiuam in communi, descendit ad speciales sensus, & ut dixi, prius agendum est de obiecto, ideo Arist. incipit a sensibili, deinde actus, & inquit, sensibilia sunt trifariam, quædam est sensibile per se, quædam per accidens, per se, est duplex proprium, & commune, & describit unumquodque dicens, sensibile proprium, non contingit per se sentiri, altero sensu, & non contingit proprium sensum errare circa ipsa, & per has duas particulas distinguitur ab aliis, & non contingit altero sensu sentiri, distinguitur a communi, per secundam a per accidens, & declarat inductione, quia uisus obiectum, est color, auditus sonus, ita quòd omnes sensus sunt unius contrarietatis, præter tactum, qui est plurium contrariarum, non reducibilium ad inuicem, & dubitauit utrũ sensus tactus sit sensus, & dicit, uidetur quòd non, & si sit non uidetur unus, dicit Arist. quicquid sit color, qui est proprium obiectum uisus, non potest uideri nisi ab oculo, & non potest errare, potest bene errare circa per accidens sensibile, quia subiectum in quo est sensibile per accidens, & est indiuiduum substantiæ, & decipitur, quale sit indiuiduum, an nix, an Zaccarum, etiam ex quo loco proueniat, & ita ponit locum inter sensibile, per accidens.

Sed Auer. facit dubitationem, quia si uisus decipitur circa sensibile, per accidens, quid est indiuiduum substantiæ, apprehendit ergo substantiam, quia quod decipitur apprehendit, quod tamen est falsum, quia substantia solius intellectus est, & non sensus. Dicit Ioan. concedo, quòd sensus apprehendat, dicis solius intellectus est apprehendere uniuersalem substantiam, indiuiduum autem est sensus, & dicit, non omnes sensus apprehendunt eam, sed tantum sensus hominis, ideo in lib. de sensu & sensato, posuit istam differentiam, uel similem, sensus humani apprehendunt substantiam, sensus uero bruti accidentia, & in eo loco clare Auer. dicit etiam rationẽ, quia actus sentiendi ordinatur in intellectum, ideo particularia apprehendunt, sensus bruti non ita ordinatur, sed tantum est propter sufficientiam, & dicit ista apprehensio uel potest esse confusa, uel distincta, ut oculus apprehendit indiuiduum substantiæ, non detectum accidentibus, sensus uero interior apprehendit distincte, absque accidentibus, & non omnis sensus interior, sed tantum cogitatiua, alius sensus qui est ante ipsum, ut est sensus communis, apprehendit confuse exteriores, cogitatiua uirtus expoliat accidentibus, postea reponit in uirtute rememoratiua, & dicit, licet communis apprehendat indiuiduum substantiæ, uelatum accidentibus, tamen spiritualius recipit ut dictum est, scilicet in tertio huius quinto, & decimo, sed dicetis, si sensus humanus apprehendit indiuiduum substantiæ non sensus bruti, aut per se, aut per accidens, si dicas per se, contrarium dixit Arist. quia dicit per accidens comprehendit, si per accidens, etiam est in brutis, quia canes cognoscunt herum, & filios suos, ideo neutrum dici potest, secundo errat Auer. in ratione sua, quòd ideo sensus humanus apprehendit indiuiduum substantiæ, quia decipitur, non ualet argumentum quia Arist. dicit, uisus decipitur circa simulachrum, an sit amarum, uel dulce, tamen non apprehendit dulce aut amarum, & est generale de omnibus sensibus exterioribus, quia non apprehendunt, nisi sensibilia per se. Etiam quia dicit, cogitatiua apprehendit omnia indiuidua prædicamentorum primo, quia non apprehendit seipsam, nisi per accidens. Dico dicit Auer. indiuiduum substantiæ sentitur uno modo per se, alio modo per accidens, per se, ut apprehendit figuram, per accidens, ut uisus qua uisus non apprehendit, sed in eo, quòd humanus, & sic Arist. appellauit per accidens, & dicemus magis in 66. tex. Quod dicis, ratio eius est sophistica, Dico quòd re uera, illa non est apprehensio uisus, ut uisus, sed per accidens apprehendit, quia iam illud Gustus apprehendit, & erat dulce, & ideo cum offertur simulachrum in memoria, mouet sensum communem, & sic uisus est circa dulce, per accidens, id est occasione quadam, non ita est de uisu, quia comprehendit, non ratione sensus exterioris, quia dato, quòd iam uiderimus dubitatur quod corpus sit illud, cum dicis sensus non apprehendit omnia indiuidua, quia non seipsum, dico quòd apprehendit per accidens, uel dicas, quòd Arist. intelligit omne indiuiduum quod potest apprehendi. De tempore dicatis, quòd non potest apprehendi, apprehenditur tamen motus, qui est idem re, ita de relatione per accidens, apprehenditur, quia ex quo uidit unum album & alterum, percipit similitudinem.

In commento Auer. est dubitatio, primo quia inquit sensus hominis apprehendit omnia indiuidua omnium prædicamentorum, sed hoc uidetur esse falsum, quia non apprehendit tempus, ut inquit Arist. quarto phy. quòd cognoscitur ex numero, numerus uero ex sensu exteriori tantum. Tum etiam quia, non apprehendit omnes relationes indiuiduales. Etiam quia Auer. innititur fundamento friuolo, dicit, sensus decipitur circa substantiam, ergo apprehendit eam, cum infra Arist. 134. dicat, quòd uisus non decipitur. Visus autem sic dicitur occasione quadam, etiam quia uidetur, quòd sensus bruti apprehendat, indiuiduum substantiæ, quia agnus apprehendit suum

suum filium. Tum etiam quia si apprehenderet substantiam quidditatiue, quia est expoliata ab omnibus accidentibus distingueret aurum uerum a falso, quod non uidetur uerum, & hoc argumento usus est Scotus. Tertia dicit ad probandum, quòd substantia non est proprium obiectum intellectus. Vlterius dubitatur, quia Auer. enumerat quattuor sensus interiores, Arist. uero tantū tres. Etiam quia Auer. dimittit unum gradum abstractionis, quem enumerauit Auic. prima, primi, & sexto naturalium, quando scilicet elicit speciem insensatam ex sensatis, ut ouis ex lupi accidentibus, inimicitiam. De primo dicemus Infra. De ratione dico, quòd non apprehenditur nisi per accidens, quia non habet simulachrum, nisi ex comprehensione exteriorum. Quod addis, quòd ratio ipsius est Sophistica. Dico, quòd est sensus exterioris, occasione quadam, quia re uera est interioris, ideo dico cum Arist. & non sequitur, decipitur circa substantiam, ergo eam per se apprehendit. Ad aliud dico, concedendo, quòd etiam ouis hoc indiuiduum per accidens apprehendit, homo per se; sed omnes Latini & Græci dicunt, apprehendit, etiam sensus hominis substantiam per accidens, sed bene differunt, quia brutis sensus dati sunt, propter commoda uitæ, hominibus etiam propter commoda uitæ.

Erat dubitatio circa uerba Auer. ad quam dixi, quòd illud uerbum, scilicet expoliare, erat metaphoricum, dicebam secundo, quòd abstrahere formam a materia erat operatio intellectus agentis, dixi quòd non erat uerum, & si tertio huius dicitur, dico, quòd abstrahit modo uniuersali, uirtus uero cogitatiua præscindit conditiones materiæ, in singulari, quia intuetur substantiam in singulari. Tertio arguebatur, quia si apprehenderet substantiam sine accidentibus, ergo puram & sic uniuersale, quia substantia est singularis per sua accidentia, ut dicit Porph. sed ista est operatio intellectus, etiam quia, quilibet sciet discurrere, inter ueram, & non ueram substantiam, quod est falsum. Ad primum nego argumentum, ad Porph. dico, quòd intellexit, quòd nos cognoscimus ex accidentibus, potest autem esse ex substantia, quia unumquodq; indiuiduum est in suo prædicamento, ideo ex suis principiis constat, ex quo est singulare, dico ex suis principiis, ex hac materia, & forma, quæ sunt singularia ex se, id est, non ex alio, quantumcunque, ergo cogitatiua apprehendat propriam substantiam, non tamen uniuersaliter. Secundo dico ut Thomistæ, & recte, quòd sensus interior habet simulachrum substantiæ, mediantibus accidentibus, & cum consimilia sint accidentia, inter aurum uerum, & non uerum, eodem modo apprehendit, & decipitur, quare. Ad ultimum quia non posuit, nisi tres gradus abstractionis, dico quòd uerius loquitur Auer. quàm Auic. quia non potest elici illa species insensata, ex sensatis, quia amicitia, & inimicitia sunt relationes, quæ non habent simile simulachrum. Ad penultimam, quòd Auer. enumerat, quattuor sensus, Arist. uero non nisi tres. Dico, quòd sunt fatuitates, quia imaginatiua non distinguitur a phantasia. Dico etiam quòd Auer. fortasse non multum discedit ab Arist. quia imaginatiua, & extimatiua, non nisi opere distinguitur, sunt tamen in eodem organo; in homine. Diuidit, & discurit. Inquantum uero abstrahit a conditionibus, appellatur imaginatiua, inquantum discurit, uocatur ab Auer. estimatiua, ab Arist. uero intellectus possibilis. Tertio huius, & dicitur corruptibilis, ab Arist. De memoria, & reminiscentia, in brutis appellatur estimatiua.

Textus LXIIII.

COMMVNIA autem, motus quies, numerus, figura, magnitudo, huiuscemodi autem nullius unius sunt propria, sed omnia omnibus, tactui enim motus aliquis sensibilis & uisui, per se quidem igitur sunt sensibilia hæc.

Communia autem motus, & quies. his expeditis accedit ad sensibile commune patet.

Textus LXV.

SECVNDVM accidens autem dicitur sensibile, ut si album sit Diarij filius: secundum enim accidens hoc sentitur: quoniam accidit albo hoc quod sentitur, unde nihil patitur secundum quòd huiusmodi est a sensibili. Sensibilium autem secundum se propria propria sensibilia sunt: & ad quæ substantia apta nata est uniuscuiusque sensus.

Lectio LXXX.

SECVNDVM *accidens igitur.* Tertio loco Arist. describit sensibile per accidens, dicit, quòd est illud, quod accidit sensui & non patitur ab ipso sensus, & huiusmodi inquit duplex est, in genere, unum est indiuiduum substantiæ, ut Diaris quod est per accidens, quia accidit quòd indiuiduum substantiæ, uisu apprehendatur, quia accidentaliter accidit albo. Secundo loco est sensibile per se, ut proprium uniuscuiusque sensus, respectu uero proprij, ut uisus apprehendit sapores per accidens, quia apprehendit colorem per se, & quia in tali colore inest dulcedo, ideo est per accidens, subdit Arist. quid nam est sensibile, cum tria sint sensibilia, & ex hoc colligemus, quòd Arist. seiungit ista sensibilia propria, duplici conditione, scilicet quòd

tantum propria unius ſenſus, & quòd non decipiatur circa ipſa, ut in pluribus, ſenſibile commune diſtinguitur à pet accidens, quia commune habet proprium ſimulachrum, per accidens non, Auer. aliter diceret, quia ponit indiuidua ſubſtantiæ ſenſibile per ſe. Eſt dubitatio Ioannis, quia inquit, ſicut ſe habet ſenſibile proprium ad ſenſum, ſic ſenſibile commune ad ſenſum, in communi, ergo ſicut prius declarauit, ſenſibile proprium quàm ſenſum, ſic prius tractare debebat de ſenſibili communi, quàm de ſenſu.. Reſpondit Ioannes. O' tractauit, ſed ſparſim, ut patet, cum inquit ſenſibilia mouere ſenſum, ſed dices, non numerauit olſactum, dicit Ioannes, ipſum comprehendit ſub tactu, quia ſicut tactus non habet unum obiectum expreſſum. Nec unam differentiam, ſed plures, ita olfactus. Expoſitores dubitant, nunquid recta ſit deſcriptio ſenſibilis proprii, nam Ariſt. uidetur ſibi aduerſari. In ultimis uerbis, quia dicit, uiſus ne dum apprehendit colores, ſed ſaporem, tamen ſapor eſt obiectum guſtus. Secundo quòd decipiantur ſenſus, ſunt multæ inſtantiæ, ut de ictericis circa ſapores, & de uiſu circa Iridem, quia ut tertio metheororum patet, ibi uidentur tres colores, & tamen non ſunt, quia ueri colores fiunt in tempore, iſti autem ſtatim fiunt, ex reflexione aeris, & etiam patet, de albo pro uiridi uiſo, quod quidem uiride apparebit. Tum etiam dubitatur, quia fruſtra ponitur illa particula, quia omnis apprehenſio ſenſus eſt ſimplex, mendatium uero eſt circa compoſitionem, ergo ſenſus non poteſt errare. Propter teuerentiam Ariſt. omnes ei conceſſerunt, ad primum, tamen dicendum omiſſis omnibus, ut Ioanne Grammatico, Alberto, & Appollinari, quòd errauerunt manifeſte. Et cum Auer. quòd propoſitio Ariſt. intelligitur ut in pluribus, ſenſus enim circa propria ſenſibilia errant raro, ut Ariſt. met, dixit infra. Sed dices, quando ſenſus decipitur, quomodo cognoſcemus. Dicit Themiſtius, quòd tribus conditionibus ſeruatis, prima, quòd organum ſit recte diſpoſitum, ſecunda quòd recte ſit diſpoſitio medij, ideo errat cum apprehendit, quòd ſol ſit rubeus in oriente, quia aſcendunt exalationes nigre humide, quæ faciunt ita apparere, in meridie autem apparet albus. Tertio propter diſtantiam, quia requiritur debita diſtantia, ideo errat deinde, ut dixit Ariſt. tertio metheororum, ſed dices, uoluntaria eſt iſta expoſitio, quia nunquam poſſumus certificari, quando ille tres conditiones concurrant, quomodo ergo poſſumus ſcire, quando decipitur, & quando non, patet, quia ſemper aer eſt repletus uaporibus diuerſis, ideo antiqui negabant ſcientiam.. Etiam de collo columbæ, qui quamuis proximus, & aliis conditionibus ſeruatis, tamen in ipſo uidentur plures colores, quod tamen eſt falſum. Tertio etiam de phiala aqua plena, patet ſeruatis, tribus conditionibus, uideri in ipſa tres colores, iſti tamen non ſunt colores, ſed reflexio luminum. Tum etiam tertio colliget dicit Auer. ex multa imaginatione, uidetur aliquibus habere panem uel demonem, uel angelum ante ipſos, & tamen ſunt ibi ille tres conditiones. Tum etiam his ſtantibus nunquam erraret circa ſenſibilia communia, ergo non diſtinguerentur. Ad primum dico, quòd poſſumus eſſe certi ex intellectu, & non ex ſenſu, quia entia nollunt male diſponi, ideo natura ordinat ut plurimum, quòd non decipiantur ſenſus. De collo columbæ dico, quòd accidit error ex diſpoſitione organi, quia miſcentur colores, & eſt exemplum Ariſt. tertio metheororum. De alio dicit Alexander & Ioannes, quòd requiritur rectus aſpectus, ſed poſſumus dicere, quòd reducitur ad indebitam diſtantiam, quia ſenſibile debet eſſe in linea recta ſenſus. Ad aliud de phiala dico, quòd reducitur ad diſtantiam improportionatam, quia cum egreditur, fit diſtantia improportionata. Ad quartum, ex tertio colliget dico, quòd prouenit ex diſpoſitione medii, quia medium per quod debet mutari uiſus a uiſibili, eſt extrinſecum, hoc medium eſt intrinſecum, per ſpecies interiores. De alio poſſumus dicere, ſicut Ioannes Grammaticus, quòd ſtantibus his tribus conditionibus poſſumus errare circa ſenſibilia communia, ut ſi audimus ſonum, decipimur circa quantitatem ſonori, & ſi quis ferratur in aqua uidentur arbores moueri. Quod autem uiſus apprehendat dulcedinem. Dico, quòd hoc eſt, quia hi duo ſenſus, guſtus, ſcilicet & tactus, aliquando ſimul iuncti fuerunt, & ex ſimulachris reſeruatis in memoria accidit, quòd iudicet aliquod eſſe dulce, ex colore &c. Sicut de cane uerberato, non comedet carnem, patet igitur deinde de febricitante &c. Quòd reducuntur modo dicto. Ad aliud cum dicis, uerum & falſum eſt circa compoſitionem. Dico quòd non eſt uerum, quia ueritas duplex eſt, ſimplex, ſcilicet & compoſita, ueritas enim eſt conuenientia ſigni ad ſignum, & ſignum eſt duplex, ſimplex & compoſitum, ideo ueritas etiam eſt duplex, ſimplex, ſcilicet & compoſita, ueritas nunquam eſt in prædicamento relations, ſi enim repreſentatur imago ſicut eſt, ueritas ſimplex eſt, quia ueritas eſt conformitas ſigni ad ſignatum, ita dixit Ariſt. tertio huius, intellectus in prima operatione ſemper eſt uerus.

Secunda dubitatio eſt in definitione ſenſibilis communis. Primo, quia quies eſt priuatio, nulla priuatio eſt per ſe ſenſibilis, & numerus non eſt per ſe ſenſibilis, ſed apprehenditur per accidens, id eſt, negatione continui, confirmatur ex Ioanne, quia dicit Ariſt. quarto phyſic. Tempus non percipitur a bruto. Confirmatur, quia

eodem

eodem pacto sequitur, quòd figura non est per se sensibilis, quia figura est superficies, una uel duabus lineis contenta. In ratione figuræ continetur numerus, ergo. Etiam ex Auer. quia communia sensibilia essent sensibilibus propriis, ergo per accidens, quia sic etiam sensibilia per accidens, In oppositum est Arist. Ioannes Grammaticus, D. Thom. & alii, quòd ideo ista appellantur per se sensibilia, quia omne ens ex sui natura, uel sensibile, uel intelligibile; sed ista non sunt intelligibilia, quia non sunt seiuncta a materia, ergo sunt sensibilia, sed quid dicet de quiete quæ est priuatio, quia sicut tenebra uidetur per accidens, ita quies, & quid de numero, qui apprehenditur negatione continui, ergo per accidens, quia si per se, moueret sensum. Ideo aliter Latini hic dixerunt, quòd ideo ista sunt sensibilia, quia uariant intentiones, non quia producant proprium simulachrum in sensibus. Dicit enim D. Thom. color qui est in pariete repræsentat magnitudinem, figuram, & omnia uariant, quia alio modo apprehenditur, ut quiescit, alio modo, ut mouetur. Sed contra ipsum insurrexit Egidius, Dicens, sensibilia communia per se non producunt simulachra, contra, quia in speculo apparet figura, & pars dextra, & sinistra. Etiam si uerum esset, sequeretur, quòd idem simulachrum repræsentaret contraria, ut patet legenti ipsum. Sed argumenta Egidij non cogunt, quia de speculo dicet D. Thom. quòd est una & eadem uisio, & unum & idem simulachrum, quia primo repræsentat colorem. Sed secundario sensibilia communia. De secundo concederet D. Thom. de tertio negat dicens, quòd sunt sensibilia per se, ut motus, quia uariat simulachrum, modo tenebra non uariat, quia est priuatio, & tu uide Egidium, quia quæ dicit falsa sunt. Ideo aliter ex Auer. bifariam dicitur per se sensibile, uno modo, quòd apprehenditur proprium simulachrum, per accidens, uero quod non apprehenditur, ut tenebra, & hoc primo modo, sensibilia communia non appellantur per se sensibilia, quia quies nihil est, secundo modo per se sensibile, quod apprehenditur a quolibet sensu exteriori. Tam hominis, quàm bruti, & sic quies est per se sensibilis, & hoc modo intellexit Arist. ex opposito, quod apprehenditur tantum a sensu hominis, est per accidens. O' producit simulachrum, uerum est, ergo per se. Dico quòd non sufficit, quia tantum apprehenditur a sensu hominis, ideo est per accidens, & hanc Auerrois expositionem sequuti sunt multi, ut Auic. 6. naturalium, Scotus secundo sententiarum Io. Ganda. & Dru. secundo Tegni. sic ergo soluitur argumentum. Dico quòd est per se sensibile, secundo modo, primo uero per accidens, eodem modo dicas de numero. Ad aliud, sensibile commune aiunt, proprio sicut sensibile per accidens, ergo Auer. dat duas responsiones, prima negando, quòd communia accidant, immo necessario inhærent, non sicut autem est indiuiduum substantiæ. Secunda responsio, quòd definitio sit incompleta, sed oportet addere, quòd non sit communis omni sensui.

Lectio LXXXI.

SED contra Auer. insurgit D. Thom. quia ab indiuiduo substantiæ essentialius dependet sensibile proprium, quàm a communi, etiam quia indiuiduum substantiæ, non accidit. Tertio quia si essent propria sensui communi, ab aliis sensibus non apprehenderentur, quod falsum est. De primo dico, quòd sensibile proprium potest dupliciter considerari, ut ens, scilicet, & ut sensibile, primo modo magis dependet a substantia, secundo modo autem magis dependet a sensibili communi, ut a magnitudine, ideo primo de sensu & sensibili dicit Arist. quòd si color esset sine magnitudine, non repræsentaretur, ideo datur maximum, & minimum. Etiam oportet quòd sit cum debita quantitate, ut Scotus 4. sent. Tangens illam difficultatem de Eucharistia coniungit sensibile proprium, primo magnitudini, secundario aliis, ideo dixit Auer. non accidunt, sed necessitate propinqua coniunguntur, & ex hoc soluitur prima dubitatio. Diximus secundum Auer. ideo communia per se sensibilia appellari, quia apprehenduntur a sensibus exterioribus. Tam hominis, quàm bruti, & fuit tantum expositio Auer. sed hæc opinio uidetur longe ab Arist. mente, primo quia Arist. infra declarans quomodo sensibilia communia sint per se, probat quòd non detur sextus sensus, quia si dicas, est sextus sensibilis. Tunc ipsa communia sensibilia essent per accidens, quod non est uerum, sed per se dicuntur, quia percipiuntur motu, id est cum passione sensus, in tex. 133. etiam hic dicit seiungens sensibile commune a per accidens. Vnde nihil patitur secundum, quòd huiusmodi est a sensibili, appellauit ergo per se sensibilia, quia ab aliis patiuntur sensus, & Arist. posuit unum tantum modum sensibilis per accidens, Auer. uero duos, De tertio, quod erat difficilius, quomodo scilicet indiuiduum substantiæ apprehendatur a sensu hominis, proprio simulachro Arist. enim appellat Diaris filium sensibile per accidens, quia album & Them. dicit, quòd apprehendimus accidentia.

Est etiam illa difficultas contra Auer. quia si sensus apprehenderet indiuiduum substantiæ, per proprium simulachrum, sensus uisus discerneret, inter aurum uerum, & falsum, quia sensus discerneret inter ueram substantiam, & non ueram, si hoc indiuiduum substantiæ causat si-

mulacrum proprium, in sensu, si dicas ꝙ non causat simulacrum, sed apprehenditur per propriam speciem, ò dicemus quòd species non producitur ab indiuiduo substantiæ, sed ab accidentibus, quare ambulando cum uerbis Arist. & aliorum expositorum Græcorum, non uideo uiam saluandi Auerroem, & re uera hic mihi non placet Auer. non enim uideo, quòd aliter sint sensibilia per se, nisi quia mouent sensum simulachro, uel quia faciunt mutationem in sensu, quo modo ergo saluabimus, quòd sensibilia communia sicuti sunt quies, numerus, sint sensibilia, per se, ò dicunt quòd Arist. appellauit sensibilia communia per se, non quia sint per se sensibilia, non enim producunt proprium simulacrum in sensu, sed plura sensibilia communia sunt sensibilia per se, sicut motus, magnitudo, & figura; quia ista reddunt proprium simulachrum in sensu; reliqua uero non, quia priuationes sunt, quare ergo appellauit Arist. sensibilia communia per se sensibilia, quia maior pars per se, sensibilia, non, quia omnia, quia quies, & numerus, non sunt per se sensibilia, quæ ergo sensibilia erunt ista, ò domini erunt sensibilia per accidens, non tamen communia, ideo appellauit ipse communia, & non posuit in definitione sensibilium per accidens, & tunc soluemus dubitationes, quia cum dicis, quòd quies non est per se sensibilis. Dico uerum est, nec etiam Arist. uoluit ipsam esse per se sensibilem, non enim dixit omnia sensibilia communia esse per se sensibilia; sed plura, eodem modo de numero. Sed dicebat Ioan. hic dicit Arist. quòd numerus apprehenditur ab omni sensu, sed quarto physic. dixit, quòd tempus non apprehenditur a sensu, quia tempus est numerus, numerus autem non apprehenditur nisi a ratione, ita dicebamus de figura, quæ est numerus; Dico, quòd numerus summitur dupliciter formaliter, .s. & materialiter materialiter ut est multitudo sensibilium, formaliter autem, ut est numeratio .i. certificatio quota sit multitudo, numerare enim est certificare, quota sit multitudo, & hic numerus formaliter sumptus, non apprehenditur a sensu, sed ratio tantum apptehendit, & ita hic est sensus exterior hominis, sed sensus exterior; percipit tãtum numerum materialiter sumptum, sicut sexta multitudine uerborum.

Sequitur dubitatio, quia diximus quòd sensibilium omnium, plurima pars est pet se sensibilis scilicet magnitudo, motus; & figura, dubitatur primo de magnitudine, quia magnitudo est quantitas continua ut patet, sed tertio huius dicit, Arist. quòd omne recipiens debet esse denudatum a natura recepti, sed sensus apprehensione magnitudinis est quantus, ergo ipsam quantitatem non potest apprehendere; omnis enim sensus recipiendo debet esse denudatus, & carere sensibili proprio; sicut enim uisus caret colore; pupilla enim oculi non est colorata, sed diaphana. Vnde Arist. concludit tertio huius, quòd intellectus non est materialis, sed est uirtus separata a materia, quia simul potest recipere omnes formas materialium. Secundo dubitatur de motu, quia dicit Galen. quòd motus a nullo sensu exteriori percipitur, & est ratio; quia nos diuidimus motum in tres partes; scilicet præteritum præsentẽ, & futurum, nulla autem istarum partium sensu exteriori potest percipi, ergo nec motus, probo antecedens, non enim percipitur pars præterita, quia non est nec pars præsens, ut probauimus, ergo, pars enim præsens motus est indiuisibilis, quia instans, nullum autem indiuisibile potest apprehendi sensu, ergo, confirmatur etiam; quia experientia uidemus, quòd si sint duo homines equitantes equaliter, & equaliter currentes, nullus percipir motum alterius, ergo motus non mutat sensus, hic ergo non est per se sensibile, quia semper si esset per se sensibile, cum appropinquaretur sensibus, apprehenderet. Tertio dubitatur, de figura, quoniam dicis esse per se sensibile, quia figura potest summi dupliciter, aut materialiter aut formaliter; si summatur materialiter, est magnitudo, si formaliter est relatio, hoc patet, ex eius definitione, quia figura est superficies una linea contenta, uel duabus lineis; & hoc est relatio, contentum enim est alicuius contentricis cõtentum; quomodo ergo figura est per se sensibile; Dico ad hæc omnia supponendo de magnitudine, & figura, quòd sint sensibilia, per se; de his enim non dubito, de motu etiam conabimur deffendere ipsum. Quod ergo dicis primò de magnitudine, quia omne recipiens debet esse denudatum a natura recepti, semper autem sensui quatenus est, nunquam ergo apprehendet magnitudinem, O' dico, quòd illa propositio Arist. scilicet quòd omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti, habet multas expositiones, intelligit enim quòd omne recipiens debet esse denudatum a natura primi recepti, scilicet sensibilis primi; non autem sensibilium communium; Vnde uisus denudatus est a coloribus, auditus a somno, gustus a gustabili; ita ergo, cum sensibilia communia recipiantur a sensili, sunt extra hanc regulam, O' quid dicemus de motu, quia Galen. dicit, quòd motus a nullo sensu exteriori percipitur; & quia aliqui dicerent, quid curramus de Galen. est & ratio, quia nulla trium partium motus, potest apprehendi, non enim præterita; & futura; quia non sunt, non præsens, quia indiuisibilis est, continuas tantum præteritam partem & futura, & ad hoc etiam magnam fidem faciunt, isti duo equi equaliter uelocissime currentes, quia unus equitantium non discernit alium moueri, quia ergo motus tunc non immutat sensum, quid ergo dicemus, Ad primum

tinum dico, quòd apprehendimus futuram, & præteritam, quia iste sunt uere partes motus, instans autem non est pars motus, quia indiuisibilis, O' dico non sunt, dico non sunt, non apprehendimus ipsas, sed quando erant apprehendebamus per continuum fluxum, V.G. apprehẽdimus rem præsentem per instantia, continuat enim partem præteritam cum futura, & ita sensu non apprehendit in sensu, O' dices, non ne operatio sensus fit subito, per accidens autem fit ratione obiecti, quia obiectum suum non habet esse nisi in tempore, quare iste modus dicendi satisfacit hucusque, sed remansit aliud exemplum de equis equaliter currentibus, quod difficile est, possumus dicere adhoc domini, ut motus apprehendatur a sensu, oportet quòd fiat in aliam partem spatij, ita quòd continue in aliam & aliam partem oculi imprimat suum simulachrum, ego non habeo meliorem solutionem, si nobis non satisfacit hæc solutio, teneatis quòd motus non habeat proprium simulacrum, & ita tantũ magnitudo, & figura erunt per se sensibilia. Quod dicis ulrimò, de figura, quia aut materialiter sammatur & sic est magnitudo, aut formaliter, & sic est relatio, quomodo ergo sentitur, dico, ꝙ sentitur per se materialiter, quia sumendo formaliter sic est relatio, sed figura sentitur per se materialiter, id est superficies ipsa taliter contenta, quia re uera figura est quantitas, licet ponatur, in prædicamento qualitatis, ò dicis non distinguitur a magnitudine, dico distinguitur, sicut species a genere, figura enim est species magnitudinis, ò si dicas, tu exponis Arist. quòd ad minus duo sensibilia communia, quæ sunt per se sensibilia, & habent propriam imaginem, in sensu, reliqua uero non, ò dicit Arist. infra, quòd omnia sensibilia communia causant proprium simulachrum in sensu, quomodo ergo exponis tu tantum duo, Dico debemus exponere Arist. uoluit enim dicere, quòd omnia causant alterationem in sensu, per se, uel per aliud sensibile, cum ratione alterius sensibilis communis, ut numerus causat mutationem in sensu, ex magnitudine, quies autem ex motu. Est subsequens dubitatio, quia Arist. hic ponit tantum quinque sensibilia communia, perspectiui autem ponunt uiginti, ut Vitellio, Aristor. etiam infra enumerat unitatem, & ita secundum ipsum erũt saltim sex, non ergo tantum quinque. Dico Arist. contentus est his quinque, & rectè, perspectiui autem male enumerant, quia addunt quindecim, quæ addenda non sunt, communia enim reducuntur ad ista quinque, ponunt enim situm continuum, solidum, & ista tamen sunt tantum unum sensibile commune, magnitudini ponunt etiam discretionem, quæ est numerus ponunt postea imparitatem, lenitatem, densitatem, raritatem, pulchritudinem, turpitudinem, quæ omnia dicunt relationem, relatio autem non est sensibile commune, ò tu dices, ipse enumerauit unitatem, O' dico Arist. hic non expressit unitatem, quia non distinguitur a magnitudine, sola autem ratione differunt a magnitudine, quia in eo quòd magnitudo, partes ei copulantur, termino communi, in eo autem quòd unitas est indiuisa in se, diuisa autem ab altero, quare &c.

Lectio LXXXII.

SEQVITVR quinta dubitatio, quia ista sensibilia communia appellantur per se sensibilia, quia habent proprias imagines & simulachra in sensu, quæritur modo. Nunquid ista sensibilia communia possuit apprehendi a sensibus, apprehensione sensibilium propriorum, hoc est, an magnitudo, figura, possint apprehendi sine colore, ex qualitatibus propriis, ex una parte uidetur, quòd possint apprehendi, sine apprehensione sensibilium propriorum, hac ratione; quia ex primo poster. habemus, quòd omne quod est per se tale, quomodocumque etiam extrinseco amoto, est per se tale, sed sensibilia communia sunt per se talia, ergo remotis sensibilibus propriis, quæ sunt extrinseca erunt sensibilia, quare uidetur, quòd possint apprehendi sine sensibus propriis, secundo arguitur, quia sensibilia communia, non apprehenduntur, nisi mediantibus sensibus propriis non essent per se sensibilia, sed essent sensibilia per ipsa propria, sicut patet de sensu, ergo sine ipsis apprehendi possunt, si sunt per se sensibilia. Tertio arguitur experientia, quia si esset manus penes superficiem concauam cœli, & conaretur transire superficiem cœli, non posset autem transire, quia cœlum impenetrabile est, esset ergo resistentia, & ipsum apprehenderet, non autem apprehenderet ut proprium sensibile, quia cœlum caret omnibus aliis qualitatibus, excepta quantitate, manus ergo reciperet hanc resistentiam per solam quantitatem, scilicet magnitudinem, non autem per propria sensibilia, ergo sensibilia communia apprehendi possunt sine propriis sensibilibus. O' dices, iste casus est impossibilis, dabo aliud exemplum, V.G. sint duæ manus equaliter temperatæ, & equaliter calidæ, & equaliter frigidæ, equaliter humidæ, & siccæ, & una manus impellat aliam certum est, quòd impulsa manus percipiet impellentem, ò per quid sentietur, non enim sentiet per qualitates primas, quia sunt similes & equales, quare patet, quòd sensibilia communia, possunt apprehendi, sine propriis, Quarto arguitur, quia Gal. 4. de causis simptomatum, & sexto de locis aff. diffiniens dolorem dicit, dolor est apprehensio rei quæ est præter naturam, & affatim ledit, & leditur præcipue sensus tactus a dolore, ò dicis dolor est apprehensio rei, quæ

est ista res, duplex inquit Gal. tum solutio continui, tum mala complexio impressa, & ita diuisio, & solutio continui dum fit, causat dolorem & sentitur ista diuisio, ò quid est ista diuisio, est numerus, quia prius erat unum, unde postea diuiditur & fiunt duo, & in hac diuisione fit dolor, qui sentitur, est autem numerus qui sentitur, ergo sensibile commune sentitur, sine proprio. Tu dices, ò etiam cum est diuisa res, ut manus, adhuc sequitur dolor, & non amplius diuiditur, a quo fit iste dolor, ò dico dolor subsequens diuisionem, non amplius fit a diuisione, sed ex decursu spirituum, & sanguinis, qui faciunt inflammationem, & ideo percipitur dolor subsequens, quare ergo Galen. manifeste uult, q sensibilia communia sentiantur sine propriis.

Ex alia parte sunt philosophi, qui uolunt quòd non, qui dicunt, quòd secundum sensibile non potest sine primo apprehendi, bifariam enim erat sensibile, proprium, scilicet & commune, primum, & secundum, non potest autem apprehendi secundũ tale sine apprehensione primo talis, & ita patet, quòd duplex est opinio, in hac re, medicorum, scilicet & philosophorum, Medici dicunt, quòd sensibile commune potest apprehendi sine proprio, sicut dolor apprehenditur nulla alia qualitate, quàm diuisione impressa, diuisio autem numerus est quare. Quomodo ergo dicemus, difficile est domini, ò qui rectius sentiunt, Medici aut philosophi, uidetur mihi, quòd philosophi rectius sentiant, primo ex ratione, quia quod est secundo apprehensibile, nõ potest apprehendi sine primo apprehensibili, non enim possunt uideri magnitudines motus, figura nisi prius uiso colore, qui est primum sensibile, & uisibile, si enim magnitudo careret colore, non uideretur, similiter experientia uidemus, quòd illi qui uulnerantur, non sentiunt dolorem, nisi per aliquod spatium temporis, non enim sola diuisione, percipitur dolor, sed percipitur mala complexione adueniente simul fluxu spirituum, & sanguinis, qui supercalefiunt, & fit inflammatio, si quis autem uellet tenere partem medicorum, posset dicere, quòd uulneratus nõ ita cito sentit dolorem, quia aliis rebus est intentus, sed mihi magis placet opinio philosophorum, quorum princeps est Arist. Ideo ad argumẽtum in oppositum. Respondeo & ad primum cum dicis, omne quod est per se tale, quomodocumque extrinseco recedente, erit per se tale, dico uerum est, ò dicis, sensibilia communia sunt per se sensibilia, seclusis ergo primis sensibilibus, sensibilia communia erunt per se sensibilia, uerum est, quòd erunt per se sensibilia, potentia tamen remota, & habitudine quadam erunt per se sensibilia, non tamen possunt sentiri sine primis sensibilibus, quare. Quod dicis secundo, quia si sensibilia communia non possent sentiri sine sensibilibus propriis, non essent per se sensibilia. Dico non est uerum neque sequitur, quòd & si in sui apprehensione requirat aliud, apprehendat, quod propter hoc non dicatur, per se non apprehendi, do exemplum de uisu, uisus enim non percipit colores, sine lumine, oportet enim medium esse illuminatum, & tamen lumen non representat simulachrum, sed disponit aerem, ut uideantur colores, ita ergo dico, quòd & si cognitionem, & apprehensionem sensibilium communium requiratur prius apprehensio sensibiliũ propriorum, propter hoc sensiblia communia nõ sunt per illa sensibilia, quia non sentiuntur per illa, sensibilia enim communia non sentiuntur per propria, quia per proprium simulachrum sentiuntur, sed non possunt sentiri nisi prius sentitis propriis. Dices unde est hoc, ò ex natura quia ita est dispositum in natura, ut sensibilia communia non sentiantur nisi prius sentitis sensibilibus propriis. Quod arguebas de manu super cœlum posita, quæ cogeret ipsum penetrare, similiter de duabus manibus equale temperamentum habentibus, quia tantum percipitur magnitudo, dico, quòd in casu isto uerum est, quòd homo percipit magnitudinem resistentem tantum, quia non potest percipere alias qualitates, ex quo datum est ens esse equalis temperamenti, non tamen percipitur magnitudo sensu proprio, sed sensu interiori, occasione tamen ipsius tactus, sicut dicemus infra, de tenebra, quæ percipitur a nobis, non uisu, sed sensu interiori, mediante tamẽ luce, ita & in casu nostro, magnitudo manus apprehenditur a nobis, sensu interiori, occasione tamen ipsius tactus, Clarius infra, in quæstione de tenebra, quomodo tenebra sensu apprehendatur, sed dices, si est formica, uel aliquod animal paruulum, tunc tu senties motum ipsius, forte nulla qualitate apprehensa, scilicet quia est tam paruum animal, ut uix uel uisu, uel tactu, possit apprehendi, ergo in casu isto, sensibile commune sentitur non sentito prius sensibili proprio. Dico quòd prius sentiuntur sensibilia propria, ò dicis, magis percipitur motus, ergo prius, Dico hoc euenit, quia accidentia sensibilia propria, remissius mouent sensum tactus, quàm faciat motus, ideo motus uidetur primo sentiri, & ita hoc argumentum nihil est. Sed quid dices ad Gal. qui tenet quòd sensibilia communia sentiantur, non sentitis propriis. Dico Gal. fuit istius opinionis, Arist. autem & ceteri philosophi fuerunt alterius opinionis. Sequitur alia dubitatio, quia dictum est ab Arist. quòd sensibilia communia sunt, quæ omnibus sensibus sunt communia, Themist. autem & Auer. dixerunt nobis, quòd tantum tria horum sunt communia omnibus, duo uero tantum communia tactui & uisui, scilicet magnitudo, & figura, est ergo dubitatio, quia Arist. dixit, omnibus omnia communia,

munia, & infra Aristot. appellat ea esse sensibilia communia, quæ unoquoque sensu sentiuntur, quo modo ergo isti limitarunt dictum Arist. secunda dubitatio, quia tu dices, quòd quies, motus & numerus, sunt omnibus communia, numerus, ergo omnibus communis, sed numerus apprehenditur tantum priuatione continua, magis ergo per magnitudinem apprehenditur, ergo distinctius magnitudo ab omnibus comprehenditur sensibus, quàm numerus. Tu autem dixisti contrarium. Tum etiam de motu, quia dices, quòd motus non apprehenditur, nisi apprehensione mobilis, mobile autem est magnitudo, sicut dicebamus in solutione ipsius argumenti de duobus hominibus equaliter equitantibus, dicimus enim quòd ad apprehendendũ motum, necessario est mobile moueri, in aliam & aliam partem spatij, ut fiat simulachrum mobilis continue in aliam & aliam partem oculi. Quarto & ultimo, quia si figura, & magnitudo, conueniunt tactui, & uisui, quia sunt per se sensibilia a tactu & uisu, ergo omnis magnitudo uniuersaliter contineretur a tactu & uisu, per se enim primo post. præsupponit de omni, ergo magnitudo cœli est tangibilis, sed primo cœli omne tangibile est corruptibile, ergo cœlum erit corruptibile, quod est contra Arist. Dico quòd re uera, sensibilia omnia quinque, apprehenduntur ab omni sensu & singulo, scilicet omnia ab omnibus, ergo male limitarunt Themistius, & Auer. definitionem Aris. quid ergo dixerunt ipsi. Dico, dixerunt ipsi, quòd tria sensibilia sunt tantum communia omnibus, id est, quòd ista tria exacte & cum certitudine apprehenduntur, & cum certitudine ab omnibus possunt sentiri, reliqua uero duo exacte, & cum certitudine tantum a duobus sensibus pos sunt sentiri, scilicet uisu, & tactu, a reliquis autem sensibus non possunt sentiri, cum certitudine, quia decipiuntur circa ipsa cum errore percipiuntur. Sed est argumentum Ioannis, primo quia dicis, quòd motus, & quies, conueniunt omnibus sensibus, sed motus, quies, & numerus, non apprehenduntur a sensu gustus, ergo, si enim ponamus inquit Ioannes, duo corpora saporosa & moueantur, percipitur quidem motus, & numerus a tactu, non autem a gustu. Secundo & difficilius, quia tu dicis, quòd numerus apprehenditur clare, & cum certitudine ab omnibus sensibus. O' dixit Arist. & nos etiam superius, quòd numerus non apprehenditur nisi magnitudine ipsa, id est priuatione magnitudinis, si ergo numerus per magnitudinem apprehenditur, ergo distinctius magnitudo, quia propter quod unumquodque tale & illud magis.

Tertio & ultimo, quia dicit Ioannes, quòd tu dicis, magnitudo tantum percipitur a uisu, & tactu, hoc non est uerum, quia etiam percipitur ab olfactu, & auditu, non ne enim dicemus hunc sonum esse magnum, uel paruum, etiam de olfactu, quia percipit magnum odorem, uel paruum, ergo, hæc sunt argumenta Ioannis Grammatici. Dixit enim Ioannes in tex. 63. motus quoque & status sunt omnium motuum communia sensibilia, præter quàm gustus, hæc sunt eius uerba formalia. De primo si duo corpora saporosa ponantur in ore, motus & numerus, eorum percipitur a tactu, non autem a gustu, ergo numerus & motus non sunt omnibus communia, concessit Ioannes, hoc argumentum, & dixit se nescire respondere. O' quid ad Aristot. Themistium, & Alexandrum, & ueritatem, quia fingamus nos duo corpora, quæ sint equalis temperamenti, cum carne lingue, & palati, & ponantur intra os, tantum motus & numerus non sentientur a tactu, quia qualitates sunt similes, ergo a gustu percipientur. De secundo, quod erat difficilius, quia numerus non apprehenditur, nisi ex magnitudine. O' propter quod unumquodque tale & illud magis, si ergo numerus apprehenditur, ex magnitudine, ergo magnitudo magis apprehendetur. Dico, quòd numerus apprehenditur ab omnibus exacte, magnitudo autem non. O' dicis agnoscitur ex magnitudine, ergo perfectius magnitudo cognoscetur. Dico, non sequitur hoc, quia aliquando priuatio certius apprehenditur, quàm positio, & ita numerus certius apprehenditur, quàm magnitudo, esto quòd per magnitudinem apprehendatur non possumus aliter dicere, tenendo partes Themistii. Quod dicis ultimo, quia olfactus & auditus percipiunt magnitudinem, quia percipiunt magnum odorem, & paruum, similiter magnum & paruum sonum. Dico, quòd sonus improprie dicitur magnus & paruus, similiter de odore, scilicet metaphorice, quia hoc magnum & paruum de olfactu & sono, non dicit magnitudinem continuam. Sed remissionem & intensionem odoris, & soni, & est equiuocatio, & metaphorice dictum.

Lectio LXXXIII.

REMANSERE difficultates circa illud quod dicebamus, quòd scilicet tria sensibilia communia distincte, & cum certitudine ab omnibus sensibus percipiebantur, reliqua uero duo tantum a tactu, & uisu, distincte apprehenduntur, & ita exponebamus dictum Themistij & Auer. Erat difficultas, quia ex sententia Arist. infra, numerus apprehenditur negatione continua, magnitudinis, apprehenditur autem ab omnibus sensibus distincte, ergo & magnitudo ab omnibus distincte apprehenditur, hoc argumentum habet efficatiam, quia positiui certior est apprehensio, quàm priuationis, sic ergo numerus, qui est priuatio magnitudinis, scilicet negatio

gatio

gatio continua ipsius distincte ab omnibus sensibus, ergo apprehenditur a fortiori magnitudo ipsa. Dico ad hoc, quòd numerus sumitur duobus modis, unomodo ut est priuatio, ut ex diuisione continui apprehendimus, & hoc modo sumptus numerus, non apprehenditur, priuatio enim non apprehenditur a sensu exteriori, sicut etiam tenebræ, non percipitur a sensu exteriori, sed interiori, tamen uisus, ut dicemus in sequentibus apprehendit tenebras, si enim numerus sumatur, ut est priuatio continui, sic non apprehenditur a sensu exteriori, aliomodo sumitur numerus positiue, scilicet ut est multitudo sensibilium, & tunc certius apprehenditur numerus, quam magnitudo ipsa, secundum suas differentias, scilicet magnum & paruum, quia hoc pacto non apprehenditur magnitudo distincte, nisi a tactu, & uisu, numerus autem distincte ab omnibus, nec hoc inconuenit, quia numerus est multitudo sensibilium, & entium, ideo certius apprehenditur, quàm magnitudo, secundum suas differentias, quam unum ens tantum.

Erat similiter difficultas de motu, quia motus non apprehenditur a sensu, sed solum quod mouetur, apprehenditur, secundum quòd mouetur in alia & in alia parte spatij, & ideo existens in fluuio currenti, in naui, iudicat omnes arbores existentes in ripa moueri, quia in alia, & in alia parte oculi imprimuntur illæ arbores, & iudicat ipsas moueri, cum non moueantur, ergo. Tum etiam quia nihil aliud est motus, quam magnitudo ipsa, quæ continue acquiritur, quia si motus, ut tu dicis, ab omnibus sensibus exacte percipitur, ergo & magnitudo, quia nihil aliud est motus, quàm magnitudo spatij, qualitas successiue apprehenditur. Dico, quòd motus non apprehenditur ex ipso spatio, sed apprehenditur ab ipso mobili, quod est in alia & alia parte oculi, & ita apprehensio motus, est ex apprehensione mobilis. Sed dices, mobile est magnitudo, ergo motus apprehenditur ex magnitudine, ergo & magnitudo. Dico non sequitur, quia certius ab omnibus sensibus apprehenditur magnitudo ut est in diuersis partibus spatij, quàm magnitudo mobilis in se, secundum proprias differentias, scilicet quòd est tante magnitudinis, aut tante paruitatis, ex quo ergo magnitudo mobilis, ut est in diuersas partes spatij, certius ab omnibus sensibus apprehenditur, quam magnitudo in se, patet quòd motus certius apprehenditur, quia nihil aliud est motus, quàm magnitudo mobilis, ut est in diuersas partes spatij, & causat simulachrum suum, in aliam & aliam partem oculi.

Erat ultimum argumentum, quia si magnitudo per se percipitur distincte a tactu, & uisu, ergo omnis magnitudo, quia per se præsupponit de omni, ex Arist. primo post. ergo & magnitudo cœli erit tangibilis, ergo corruptibilis. Dico, quòd cœlum non est corpus tangibile, nisi ualde remote. Dicebamus enim superius, quòd sensibilia communia non possunt apprehendi a sensibus exterioribus, nisi præcesserit apprehensio sensibilium propriorum. In cœlo autem non sunt sensibilia propria, non enim sunt primæ qualitates in cœlo, ergo nec sensibilia communia apprehendi possunt in ipso cœlo, nisi ualde remote, quia deficit illud, sine quo apprehendi non possunt, & hæc de sensibilibus communibus.

Erat ultima difficultas, de definitione sensibilis per accidens, quia dicebat Arist. quòd sensibile per accidens duplex est, primum scilicet indiuiduum substantiæ, quia accidit sensibili proprio, aliud erat sensibile proprium unius sensus, respectu alterius sensus, est definitus, quia Arist. hic dicit quòd substantia accidat ipsis accidentibus, cum accidentia accidant ipsi substantiæ, dicit enim sensibile per accidens, quod est indiuiduum substantiæ, accidit sensibili proprio, quod est accidens. Tum quia substantia non percipitur sensu, Auer. autem dixit, quòd per simulachrum proprium apprehenditur ab homine indiuiduum substantiæ, & Arist. ipse dixit, quòd per accidens percipitur. Tertio dubitatur, quia Arist. enumerat locum inter sensibilia per accidens, & tamen uidetur quòd sit sensibile commune, quia nihil aliud est locus, quàm superficies locati, superficies autem magnitudo est, quare. Vltimo dubitatur, quia Arist. ponit tantum duo genera sensibilium per accidens, id est indiuiduum substantiæ, & sensibile proprium unius sensus, quatenus ab alio sensu sentitur. O quid dicendum de priuatione proprii sensibilis, sicut de tenebra, non ne etiam uisus apprehendit tenebras, per se, uel per accidens. Dico de primo, sicut dicit Ioannes, quòd Arist. non dicit substantiam, accidere accidenti, sed dicit quòd accidit huic albo esse Cleonis filium. Dicit enim huic albo, quod uidetur, accidit, quòd sit Cleonis filius, non dicit Cleonis filium accidere albo, & hocmodo loquitur Aris. in prædicamêtis, quando dicit, quòd accidit domino hunc hominem esse seruum. Quod dicis secundo, substantia non sentitur, substantia autem est proprie intelligibilis, non autem sensibilis. Dico, quòd substantia per se, & uniuersaliter apprehenditur ab intellectu, a sensibus autem per accidens, & singulariter, & ita illa opinio Auer. quòd indiuiduum substantiæ apprehenditur per proprium simulachrum non mihi placet. Quod dicis de loco, quia Arist. connumerat locum inter sensibilia per accidens. Dico uerum est. O locus est superficies locati. O dico, si apprehendamus, ut est superficies, sic non est sensibile per accidens, sed locus ut locus est, apprehenditur a nobis per accidens, scilicet ratione locati. Quod dicit de

ultimo

ultimo quia Arist. non enumerat omnia sensibilia, per accidens, non enim enumerat priuationes sensibilium propriorum. Dico uerum est, quòd Arist. non enumerat omnia, sed tantum enumerat sensibilia per accidens, quæ sunt aliquid positiuum, non autem dicit de priuatione, & hæc dicuntur a Ioanne in fine expositionis tex. 65. circa finem.

Textus LXVI.

CVIVS quidem igitur est uisus, hoc est uisibile. uisibile autem est color quidem, & quòd uere est dicere innominatum autem existit, ens, manifestum autem erit ingredientibus maxime, uisibile enim est color hoc autem est in eo quod secundum se uisibile, secundum se autem non ratione, sed quoniam in seipso habet causam essendi uisibile.

Textus LXVII.

OMNIS enim color mouens est eius quod secundum actum diaphani, & hac est ipsius natura. unde quidem non est uisibile sine lumine, propter quod de lumine primo dicendum est. Est igitur aliquid diaphanum.

Lectio LXXXIIII.

CVIVS quidem est uisus. Cum Arist. egerit de sensibili in genere, aggreditur determinationem de unoquoque sensibili secundum proprium sensum, & primo determinat de sensibili uisus, scilicet de uisibili, & dicit quòd uisibile est proprium sensibile uisus. Visibile autem est duplex, primum est color quidem, quod difficile exprimi potest, aliud uero est innominatum, & non possumus simplici nomine exponere, ut sunt illa quæ uidentur in obscuro, ut putredines quercuum, & squammæ aliquorum piscium, & oculi multorum animalium, habent enim istam partem igneam in se, unde possunt uideri in tenebris, quòd autem ista quæ dixit Arist. sint per se uisibilia, ostendit de colore, color enim est per se uisibilis, per se autem erat duplex, primo, & secundo modo, Arist. autem dicit non intelligo de primo modo dicendi per se, scilicet quando prædicatum ponitur in definitione subiecti, sed secundo modo, quando scilicet subiectum ponitur in definitione prædicati, ut si dicatur nasus est simus, & sequitur Arist. declarando magis, quòd sit per se uisibile, dicere, quòd color est per se motiuus diaphani, ideo color est per se uisibilis, & quia duplex est motio, scilicet una quæ est cum transmutatione, & corruptione, quæ est uera motio, alia motio est, passio sine corruptione illius quod mouetur, & est improprie motio, est enim motio spiritualis, quæ magis perficit mobile, quàm ipsum corrumpat, color ergo hocmodo est mouens diaphani secundum actum, & dixit Arist. secundum actum quia diaphanum unomodo dicitur peruium potentia quando scilicet caret, cum autem diaphanum ut aer illuminatus est, Tunc dicitur peruium actu; quia est actu illuminatus, quare ergo mouens diaphanum secundum actum, quando scilicet illuminatum est, & intelligitur colorem mouere diaphanum, ut aerem, quia producit proprium simulachrum in aere. Vnde dicit Aristot. ex quo color si debeat uideri, oportet quòd imprimat simulachrum suum in diaphano illuminato, non ergo uisibile est color sine lumine, sed omnis color in lumine uidetur, ex quo de lumine dicendum est, primo quare multa requiruntur ad uisionem, sicut apparet ex dictis Arist. & dicit Ioannes Grammaticus hic recte dixit Plato in Thimeo, quòd inter alios sensus, sensus uisus est maximi apparatus, quia multa requiruntur in sui operatione, sed uos dicetis, ut dicit dubitatio Ioannis, hic, quia Arist. inquit, quòd natura coloris est mouere diaphanum. O'sibi contradicit Arist. quia alio modo in lib. de sensu & sensato, dixit esse naturam coloris, scilicet quòd erat extremitas perspicui terminati, id est in extrema superficie diaphani terminati, qualitas quæ apparet in extrema superficie terminati perspicui. Secundo dubitat Ioannes, quia Arist. dicit, quòd color est per se uisibilis. O'hoc est falsum, sed est illa ultima superficies diaphani terminati, in qua est color, qui est uisibilis, & non uidetur color, in aliquo corpore, nisi in superficie, non possumus autem apprehendere colorem in medio alicuius corporis, quantumcumque diaphani, & ideo inquit Ioannes, recte dicit Aris. quando dicit. Visibile autem est color, hoc autē est in eo quod uisibile. Hoc est color est uisibile in eo, id est in ea superficie, quæ est per se uisibilis. Tertio & ultimo arguit Ioannes, quia Arist. hic peruertit ordinem naturæ, quia incipiens declarare propria sensibilia incepit a uisibili, debebat autem incipere a tangibili, quia omnium sensuum, primus est tactus, postremus autem est uisus, quare. Dico ad hæc, & primo, cum dicis, quòd non est uerum, quòd hæc sit natura coloris, id est mouere diaphanum, sed est sicuti dixit Arist. in lib. de sensu & sen. O'dico quòd color bifariam sumitur, uno modo proprie, ut est color in se absolute, & hoc modo definit Arist. in lib. de sen. & sen. quòd color est extremitas terminati perspicui, alio modo potest sumi color, in eo quòd uisibilis, & hoc modo est motiuus diaphani, & hæc est natura eius. De secundo, quia dicit quòd non est uerum, quòd color sit per se uisibilis, quia est motiua diaphani actu & hoc est ex natura eius. Tum etiam quia infra dicet nobis Arist. quòd diaphanum uidetur

tur per accidens, scilicet ratione luminis, quia lumen per se apprehenditur, & superficies in qua est color non apprehenditur, nisi ratione coloris, ideo non placet mihi opinio Ioannis, quia manifeste contradicit Arist. & ita nego assumptum. O' probat ex uerbis Arist. quia dixit quòd color est superficies, quæ apparet in extrema superficie illuminati. O' quid tum sequitur ex hoc, sequitur ne quòd color est per se uisibilis, minime, neque etiam illud est uerum, quod dicit Ioannes, quòd color non apprehenditur, nisi in superficie corporis, non in profunditate, quia si accipiamus rem diaphanam, ut aliqua gemma, si in medio fuerit intensionis coloris uidebitur. Quod dicis ultimo, quia Arist. non seruat ordinem naturæ, quia natura semper incipit ab imperfectiori, ubicunque sit aliquod perfectius, & imperfectius, sensus autem tactus ordine naturæ, est primus, ergo ab ipso debebat incipere. Dico, quòd non peruertit ordinem naturæ, quia duplex est ordo sensuum in natura, scilicet ordo generationis & perfectionis, ordine generationis, sensus tactus est primus, qui primo generatur & potest esse sine aliis, ordine autem perfectionis, sensus uisus, est primus, & perfectior, qui non potest esse, nisi omnes alij sensus sint, licet fuere aliqui dicentes, apes carere auditu, non tamen est uerum, quia ubicunque est sensus perfectior, qui est uisus, est etiam imperfectior. Vnde patet quòd rectè Arist. ordine perfectionis præposuit sensum uisus omnibus aliis sensibus.

Auerroes hic pulchre digreditur, & primo dicit quòd ex uerbis Arist. patet, quòd colores in tenebris sunt colores actu, non autem potentia, & circa hoc, duæ sunt opiniones, una est, quòd color non est perfectè color, in tenebris, nisi ex lumine, sed in tenebris sine lumine, est tantum color secundum materiam, & in potentia. Color enim dicit duo, scilicet materiale, & formale, materiale est corpus opacum, ut superficies, in qua est color, formale autem, est lumen. Alia est opinio quæ habet egregios fautores, quòd scilicet colores in tenebris sint etiam actu, color enim perfectè est qualitas consurgens ex primis qualitatibus. Dicit ergo Auer. ex uerbis Arist. quia dicit Arist. quòd color est per se uisibilis, sed quod conuenit alicui per se, conuenit etiam illi quomodocunque extrinseco amoto, si ergo color est actu, & est per se uisibilis, ergo amoto lumine quod extrinsecum est, erit per se uisibilis, & actu erit. Tum etiam fortius potest fundari, hæc opinio, quia dixit Arist. in lib. de sen. & sen. quòd color est superficies extrema perspicui colorati, & diffiniuit colorem absolute, ut est color, nec tamen dixit aliquid de lumine, lumen ergo ex uerbis Arist. non requiritur uisioni coloris. Tanquam forma, sed sicut dispositio medij diaphani, in quo color imprimit suum simulachrum, ut fiat uisibilis. Post hæc Auer. primo mouet duas dubitationes. Secundo ponit euasionem Auempace. Tertio ponit propriam opinionem. Quarto ponit aliam euasionem Auempace. Dubitatur, ergo quia dicis, quòd color recluso lumine, uere est color, quia requiritur lumen ex parte medij, non autem ut colores in potentia, faciat in actu. Est dubitatio, quia omne recipiens debet carere natura recepti, ut dicit Arist. tertio huius, quando ostendit intellectum esse formam separatam a materia, quia apprehendit omnia ista intelligibilia, & materialia, omne ergo recipiens debet esse denudatum a natura recepti, sed diaphanum actu illuminatum non caret colore, ergo ut sic illuminatum, non potest recipere colorem, ergo si requiritur lumen ad hoc ut colores uideantur, non requiritur, ex parte medij, sed ex parte coloris, scilicet ut colores potentia, faciat colores actu, quòd autem diaphanum illuminatum non careat colore, dicit ipse patet, ex uerbis Arist. quia Arist. infra dicit lumen est quiddam color. Tum etiam in lib. de sen. & sens. dicit, quòd color est participatio quædam luminis, ergo nec actu illuminatus coloratus est, ergo non potest recipere colorem, quia recipiens debet carere natura recepti, non ergo ad hoc ut percipiantur colores, requiritur lumen ex parte diaphani, sed ipsorum colorum. Tota hæc ratio pendet ex hoc, quòd ponunt lumen esse colorem, & ita est dubitatio. Auer. ex Auempace. Ponit Auer. responsionem ex Auempace ad hoc argumentum, quia tu dicis, omne recipiens debet esse denudatum a natura recepti, uerum est, hæc enim est propositio Aris. quã uerificat in omnibus, uniuersaliter & particulariter, sed medium illuminatum non caret colore, quia lumen est quidam color, ut dicit Arist. uerum est etiam dicit Auempace, ergo lumen non requiritur ex parte medij, sed ex parte coloris. uerum est etiam dicit Auempace. Totum argumentum concedo, quia ablato lumine non est color nisi imperfectè, O' quid ad uerba Arist. quia dicit, quòd mouet actu diaphanum, actu autem diaphanum, est actu illuminatum, hæc est dubitatio, quam facit Auer. contra Auempace, ò dicit Auempace, illa uerba Aristot. falsa sunt, ita in superficie intelligendo, sed non ita simpliciter intelliguntur, sed uult dicere Aristot. & ita debet intelligi, quòd color mouet actu diaphanum, non quòd color imprimat simulachrum suum in diaphano, actu illuminato, ut actu illuminato, sed est sensus, color mouet diaphanum actu, id est diaphanum, de potentia ad actum, hoc est dictu, color imprimit suum simulachrum aeri ad quod prius erat in potentia, non actu, id est mouet diaphanum secundum, quòd diaphanum caret luce, aut illud quod fit a luce, scilicet colore. Aduersus hanc expositionem Auer. insurgit,

nsurgit, & primo inquit, ò auempace, ista tua expositio multum extorquet uerba Aristot. ideo abicienda est, ò quomodo extorquentur, extorquet quia Arist. in tex. se ipsum exponit, quia dicit. Color mouet actu diaphanum, est autem actus diaphani lumen. Dixit Arist. in tex. 69. est ergo sensus, quòd color mouet diaphanum actu, id est diaphanum illuminatum, non quòd moueat de potentia ad actum, Dico, experientia patet, quòd diaphanum mouet, color actu illuminatum, & est experientia Alex. quia uidemus, cum transeunt nubes super plantas, multoties uidemus parietes & terram colorari per colorem plantarum, ergo est aer coloratus illo colore plantarum, quia non posset colorari. extremum, nisi prius coloraretur medium, similiter ad transitum radij solis per uitrum uiride, uidemus colorem uiridem in pariete, uel terra, non quidem uerum colorem, sed simulachrum coloris, itaque ergo aer illuminatus recipit simulachrum colorum, aliter extrema non colorarentur, colorantur autem, ergo, sed dices, ò quomodo aer recipit simulachrum colorum, quia in ipso aere non uidentur ista simulachra, uidentur autem in extremum. Dico, quòd hoc est, quia isti colores dum simplici linea producuntur, ita ut non posint duplicari, & reflecti, & non possint percipi sensu, & ita bene dicunt isti, quòd simulachrum colorum est ratio uidendi, non res uisa, cum autem ista simulachra ad corpus durum & solidum perueniunt, tunc reflectuntur & duplicantur, & hoc pacto uidentur ut in pariete, uel terra, sicut etiam tu percipis imaginem tuam, in speculo, tunc habet rationem simulachri, & uidetur, quia reflectitur, & ita hæc simulachra non recipiuntur, nisi in aere, sed percipiuntur cum peruenerunt, ad corpus solidum, quia ibi reflectuntur & duplicantur, sed dices Auer. poterat probare hoc, ratione, sine exemplo Alex. ut si dixisset in die uidemus colores distantes, non possumus autem uidere, nisi transeant per medium illuminatum, prius ipsos recipit, poterat quidem Auer. sed non erat ita manifestum sensui, ideo adduxit exemplum Alexan. quod est magis manifestum. Post hæc Auer. ponit propriam opinionem, & manifestum est, quòd color, licet fiat ex corpore liquido, tamen differt ab eo definitione, & essentia, color autem ut dicitur, est ultimum diaphani terminati, lux autem est complementum diaphani non terminati, unde manifestum est, quòd non de necessitate, illud quod mouetur a colore debet esse non lucidũ, sed debet esse de necessitate non coloratum, & ita, ad argumentum auempace, quia arguebat, omne recipiens debet esse denudatum a natura recepti. Aer autem illuminatus non caret colore, ergo non potest recipere colorem. Dico dicit, Auer. concedo maiorem propositionẽ, & hanc propositionem uerificat Arist. de omni receptione, uel sit secundum esse materiæ, uel secundum esse spirituale, tum in uniuersali, tum in particulari, uerificatur, primo uerificatur secundum esse materiæ, cum dixit secundo physic. quòd materia prima caret omni forma, quia est capax omnium formarum, & omnem formam recipere potest, usus est eodem tertio cœli sexagesimoseptimo, quia dicit, quòd elementa debent carere omni figura mixtorum, quia ex his quodlibet mixtum generari potest, usus est etiã ea secundum esse spirituale, scilicet ex parte sensus, quia dicit, uisus ex quo potest recipere omnes colores, debet carere in se omni forma, similiter de sono, quia auditus ex quo potest audire omnes sonos, omni sono debet carere, quia etiã in receptione spirituali uerificatur hæc propositio sensus enim non recipiunt sensibilia, nisi secundum esse spirituale, similiter in uniuersali usus est hac propositione Arist. ut tertio de anima quarto dixit, quòd intellectus debet esse denudatus ab omni forma materiali, quia omnes formas materiales potest recipere in uniuersali, quia uniuersaliter apprehendere est intellectus, & ita patet quòd uerissima est hæc propositio, addit Auer. conditionem ad hanc propositionem, quã debetis aduertere, quia est difficultas de tactu, tactus enim habet primas qualitates in se, & tamen ex sui natura apprehendit simulachrum tangibilium, ut calidum, frigidum, humidum, & siccum, ideo addit Auer. & nihil sit causa recipiendi, dicit enim nihil recipit se, aut est causa alicuius in recipiendo ipsum, & ita cum dicis de tactu, quia recipit qualitates sensibilium, quæ sunt eiusdem speciei cum suis, ò & si habent istas qualitates, sensus tactus, non tamen hæ qualitates sunt causa recipiendi sensibilia, sed accidit sensui tactus, dum recipit sensibilia, quòd habeat in se primas qualitates, quæ sunt eiusdem speciei, cum qualitatibus propriis sensibilibus, & ita patet, quomodo Auer. uerificet illam maiorem, ò ad minorem cum dicit auempace, sed medium actu illuminatum non caret colore, sed dices Arist. dicit hic, quòd lumen est quidam color in libro de sen. & sens dicit, quòd color est quædam participatio luminis. Ad primam auctoritatem dico, quòd in proprie loquutus est Arist. quia improprie lumen est quidam color, scilicet est quidam color, ut per ipsum apprehendimus colorem. Quod dicis in libro de sensu & sensato dixit, quòd color est quædam participatio luminis, debet intelligi causaliter, scilicet, quòd causatur color ex comixtione luminis cum corpore diaphano, & opaco, & ita satisfacit Auer. huic dubitationi auempace. Nunc solum dicam quæ dicit Auer. ne fiat confusio, in fine cap. tangam omnes difficultates, post hoc Auer. remouet aliam euasionem auempace. Est

enim euasio hæc quia posuisti exemplum Alexan. contra meam opinionem, & cum dicis, color imprimit simulachrum in aere illuminato, ò concedo hoc, quia color mouet accidentaliter aerem illuminatum, & ita requiritur lumen ex parte medij per accidens, ex parte autem coloris per se, ut ipsis dat formam, accidit postea aeri, ut cum colores habuerint formam, imprimant suum simulachrum in aere, hæc est euasio auempace. Sed obicit Auer. hunc expositioni, & arguit sic. Tu dicis, ò auempace, quòd color mouet aerem accidentaliter, requiritur ergo lumen, aut ex parte aeris, ut det diaphano, formam, qua recipit motum a coloribus, aut requiritur lumē ex parte colorum, ut scilicet det eis formam, aut propter utrumque, hæc est bona atque sufficiens diuisio, sed non requiritur lumen ex parte colorum, neque ex parte utrorumque, ergo ex parte medij, quod non requiratur, propter colores dicit Auer. ex uerbis Arist. color est per se uisibilis, secundo modo dicendi per se, ergo secluso quocumque extrinseco, color potest causare suū simulachrum, & esse per se uisibile, lumen autem est extrinsecum, ergo per lumen non est uisibilis color, secunda dubitatio, inquit Auer. potest esse, quia declaratum est, quòd lux requiritur uisioni colorum, ex parte coloris, sed ex parte medij, tanquam disponens potentiam uisiuam, ideo est dubitatio, quia Arist. tertio huius assimilat lumen respectu colorum uidendorum, intellectui agenti, respectu formarum materialium intelligendarum sicut enim lumen est causa uisionis colorum, intellectus agens mouet intellectum possibilem, ad apprehendendum formas materiales, quia probauit uniuersalem rationem ipsarum, subiectum enim rei, scilicet formæ ipsius materialis in phantasia, potest mouere possibilem, sine agente, quia illa notio intellectus, perfectior est, quàm sint istæ formæ materiales, ideo si solæ istæ formæ materiales non possent producere illam notionem, ideo requiritur aliud agens præter phantasiam, scilicet intellectus agens, dicemus tertio huius, quia intellectus diuiditur, in possibilem, & agentem, & sunt duæ substantiæ diuersæ, intellectus possibilis recipit notiones, intellectus uero agens producit ipsas, sicut ergo dicit Auer. sicut intellectus agens se habet in notione formarū sensibilium, ita se habet lumen in apprehensione colorum, sed ita est, quòd intellectus agens in notione formarum, requiritur ex parte obiecti, scilicet ipsarum formarum naturalium, ergo in uisione colorum requiritur lumen ex parte ipsorum colorum, adhoc ut producant simulachrum suum in sensibus. Aliter similitudo quam facit Arist. non esset conueniens, hoc est argumentum Auer. contra se ipsum, ad quod dicit Auer. quòd exemplum non est omnino ad propositum, quia exempla non intendunt, nisi manifestationem, non autem uerificationē, inde sumuntur, quòd argumentum ab exemplo parum cogit, exemplum enim large non est simile ei quod inducitur, secundum demonstrationem, satis est, quòd exemplum declaret propositum, ita etiam Auer. usus est eo tertio huius, ut scilicet declaret propositum, quia in intellectione formarum materialium, requiritur intellectus agens, & in apprehensione colorum, requiritur lumen, diuersimode tamen, quia intellectus agens ad intellectum formarum requiritur, ex parte obiecti ipsarum, scilicet formarum, lumen autem ad apprehensionem colorum, non requiritur ex parte obiecti, scilicet ipsius medij, & potentia requiritur scilicet ex parte diaphani, ut ipsum illuminet. Sed tu dices, & ego hanc pono dubitationem, ò huic quòd dixisti obstant uerba Arist. infra, inquit enim quòd requiritur lumen, ad apprehensionem colorum, quia facit colores potentia, colores actu, tanquam colores recipiant actum a lumine, quod tu negas, ò dico uerum est, quia Arist. ita dicit, & profert hæc uerba, sed intelligendum, quòd colores esse in actu bifariam, intelligi potest, uno modo esse in actu primo, scilicet esse colores, id est colores habent existentiam, alio modo colores esse in actu, id est esse in actu secundo, & in operatione, & ita intelligendus est Arist. qui dicit, colores fieri actu a lumine, non quidem primo modo, sed secundo modo, quia color per lumen operatur, per lumen enim producit simulachrum suum in medio, & diaphano, & in sensu, prius autem non poterat, quia color non potest producere suum simulachrum, nisi medio illuminato, sed reuertamur ad Auerroem, qui ultimo remouet quandam aliam euasionem auempace, quia arguebat Auer. aduersus auempace, quòd non requiritur lumen ad apprehensionem colorum, respectu ipsorum, sed respectu medij illuminandi, faciebat enim Auer. hanc diuisionem, aut enim lumen requiritur ex parte medij, aut ex parte colorum, aut ex parte utrorumque, non autem ex parte colorum, quia colores non essent per se uisibiles, Arist. autem dicit, ipsos esse per se uisibiles, in secundo modo dicendi per se, neque ex parte utrorumque, neque ex parte medij, hoc fuit argumentum Auer. aduersus auempace, ad quod respondet auempace, quid dicis, ò Auer. dicis enim si requireretur lumen ex parte coloris, color ergo per se non esset uisibilis, quia quod est per se tale, quomodocunque amoto extrinseco, est per se tale, nego hoc, quod tu dicis, quia lumen non est aliquod extinsecum colorum, quod tu ponis, lumen enim superfusum colori non est aliquid extrinsecum a colore, sed est forma, & actus ipsorum colorum, colores enim constant ex una parte quæ est materia, & hæc pars est qualitas, secunda

cunda in superficie corporis, alia est pars colorum, quæ est forma, scilicet lumen superfusum ipsis coloribus, non ergo lumen est quid extrinsecum a colore, quod tu ponis, ista est euasio auempace aduersus Auer. ipse autem remouet euasionem, & in fine cap. uidebimus, quomodo Auer. remouet hanc euasionem, dicit ergo Auer. aduersus auempace, quòd lumen non potest esse forma colorum, ex definitione luminis, & coloris, quas tradit nobis Aristot. dicit enim Arist. in lib. de sensu, & sensato, quòd color est ultimum diaphani terminati, postea hic, quòd lumen est actus corporis diaphani non terminati, ò hoc stante, dicit Auer. probo, quòd lumen nõ potest esse forma colorum, forma alicuius materiæ, debet esse simul in eodem subiecto cum materia, sed lumen & colores, non sunt simul in eo dem subiecto, ergo lumen non potest esse forma colorum, minor patet ex eorum definitione, diaphanum enim terminatum & diaphanum interminatum, non sunt idem subiecto, aliter duo contraria essent idem, quare patet dicit Auer. aduersus auempace, quòd lumen non est necessarium in essendo colorum, sed in essendo colorum uisibilium, & aduertaris illud uerbum quod dicit textus, in sua digressione, in fine, in ista ultima dubitatione, quia dicit littera. Et potest aliquis dicere, quòd color. debet autem stare, & non potest aliquis dicere. Debemus intelligere uisio, id est uisibilitas, & hæc satis sint de hac digressione pro nunc, in calce autem huius cap. examinabimus omnia, & tangam dubitationes Græcorum & Latinorum.

Textus LXVIII.

DIAPHANVM autem dico quod est quidem uisibile non autem secundum se uisibile: ut simpliciter est dicere, sed propter extraneum colorem. huiusmodi autem est aer, & aqua, & multa solidorum, non enim secundum quòd aqua, neq; secundum quòd aer diaphanum est: sed quoniam est natura eadem in his utrisque & in perpetuo superius corpore.

Lectio LXXXV.

DIAPHANVM *autem dico.* His expositis, quia dixerat nobis Arist. quòd ad habendam notitiam de uisu, prius dicendum erat de uisibili, quod duplex erat, unum uisibile nominatum, ut est color, aliud inominatum, ut sunt ista, quæ in sui superficie habent partem igneam, & ideo habent lumen in se, & dicit de colore, quòd erat per se uisibilis, in secundo modo dicendi per se, quia erat motiuus diaphani, dixit, quòd color non erat uisibilis sine lumine, ideo prius, quàm dicamus de colore, dicendum est de lumine, quia uero diaphanum est tanquã materia luminis, ideo prius dicit de diaphano, & dicit diaphanum est corpus peruium, id est corpus transparens, & uisibile, differt autem diaphanum a ceteris uisibilibus, dicit Aristot. ut colore, quia color est per se uisibilis, diaphanum autem non est per se uisibile, sed per accidens, scilicet per extraneum colorem ei aduenientem, dicit Arist. scilicet lumen se habet diaphano, sicut color proportione quadam, scilicet quia corpora opaca, colore uidentur, ita corpora diaphana ipso lumine uidentur, & tunc subdit Arist. quòd corpora omnia non sunt propria natura diaphana, nullum enim corpus propria natura est diaphanum, ut ignis, non quia ignis est diaphanum, sic & de reliquis, sed hoc quod dico diaphanum, id est ista diaphaneitas est natura communis pluribus corporibus, inest enim omnibus elementis, excepta terra, ita etiam omni corpori cœlesti, exceptis astris, quæ sunt corpora opaca, non perspicua, inest etiam hæc natura pluribus mixtis, ut pluribus gemis, & ita loquor, quòd nullum corpus est natura propria diaphanum, quia cœlum non qua cœlum est diaphanum, sed communi quadam natura, & conditione, ista corpora dicuntur diaphana, sunt tamen ista corpora diaphana secundum uariam mensuram, aliqua magis aliqua minus perspicua & transparentia sunt, secundum eorum uariam naturam, uel mixtionem. Sed hic est dubitatio Ioannis, quia non uidetur uerum, quòd diaphanum perspicuum, fit uisibile per lumen ipsum, & do exemplum, ut si ponamus candelam in fundo alicuius uasis longi, ut in fundo hirundinis, illuminat aerem isti oppositum, non tamen apparet nobis illud lumen, neque uidemus aliquam partem aeris illuminatam, nisi reflectatur illud lumen a corporibus circunstantibus, non ergo uerum est, quòd percipiatur corpus diaphanum, cum est illuminatum, secundo ego arguo, & hoc non est argumentum Io. quia dicit Arist. quòd lumen est uisibile, ò contra, nulla species uisibilis uidetur, imago enim coloris non uidetur, sed est ratio uidendi, non uisa, nullum enim simulachrum potest uideri, sed lumen est imago lucis, ergo lumen non potest per se uideri. Tertio arguo ego, quia dicit Arist. quòd diaphanum corpus est uisibile per lumen, ò nonne plura corpora diaphana, uidentur per proprium colorem, etiam in nocte, sicut plurimæ gemmæ, ergo non omnia per lumen uidentur, quarto ego arguo, quia dixi quòd tria elementa sunt diaphana, omnia enim præter terram, perspicua esse diximus, ò de igne non est uerum, quia si sint corpora post flammam ipsam, non uidentur, quia flamma est corpus densum, non autem diaphanum, uidemus enim flammam fieri diuersorum colorum, secundum quòd magis, & minus permiscetur fummo, quinto ego arguo, quia

enim euasio hæc quia posuisti exemplum Alexan. contra meam opinionem, & cum dicis, color imprimit simulachrum in aere illuminato, ò concedo hoc, quia color mouet accidentaliter aerem illuminatum, & ita requiritur lumen ex parte medij per accidens, ex parte autem coloris per se, ut ipsis dat formam, accidit postea aeri, ut cum colores habuerint formam, imprimant suum simulachrum in aere, hæc est euasio auempace. Sed obicit Auer. hunc expositioni, & arguit sic. Tu dicis, ò auempace, quòd color mouet aerem accidentaliter, requiritur ergo lumen, aut ex parte aeris, ut det diaphano, formam, qua recipit motum a coloribus, aut requiritur lumē ex parte colorum, ut scilicet det eis formam, aut propter utrumque, hæc est bona atque sufficiens diuisio, sed non requitur lumen ex parte colorum, neque ex parte utrorumque, ergo ex parte medij, quod non requitarur, propter colores dicit Auer. ex uerbis Arist. color est per se uisibilis, secundo modo dicendi per se, ergo secluso quocumque extrinseco, color potest causare suū simulachrum, & esse per se uisibile, lumen autem est extrinsecum, ergo per lumen non est uisibilis color, secunda dubitatio, inquit Auer. potest esse, quia declaratum est, quòd lux requiritur uisioni colorum, ex parte coloris, sed ex parte medij, tanquam disponens potentiam uisiuam, ideo est dubitatio, quia Arist. tertio huius assimilat lumen respectu colorum uidendorum, intellectui agenti, respectu formarum materialium intelligendarum sicut enim lumen est causa uisionis colorum, intellectus agens mouet intellectum possibilem, ad apprehendendum formas materiales, quia probauit uniuersalem rationem ipsarum, subiectum enim rei, scilicet formæ ipsius materialis in phantasia, potest mouere possibilem, sine agente, quia illa notio intellectus, perfectior est, quàm sint iste formæ materiales, ideo si sole iste formæ materiales non possent produce re illam notionem, ideo requiritur aliud agens præter phantasiam, scilicet intellectus agens, dicemus tertio huius, quia intellectus diuiditur, in possibilem, & agentem, & sunt duæ substantiæ diuersæ, intellectus possibilis recipit notiones, intellectus uero agens producit ipsas, sicut ergo dicit Auer. sicut intellectus agens se habet in notione formarū sensibilium, ita se habet lumen in apprehensione colorum, sed ita est, quòd intellectus agens in notione formarum, requiritur ex parte obiecti, scilicet ipsarum formarum naturalium, ergo in uisione colorum requiritur lumen ex parte ipsorum colorum, adhoc ut producant simulachrum suum in sensibus. Aliter similitudo quam facit Arist. non esset conueniens, hoc est argumentum Auer. contra se ipsum, ad quod dicit Auer. quòd exemplum non est omnino ad propositum, quia exempla non intendunt, nisi manifestationem, non autem uerificationē, inde sumuntur, quòd argumentum ab exemplo parum cogit, exemplum enim large non est simile ei quod inducitur, secundum demonstrationem, satis est, quòd exemplum declaret propositum, ita etiam Auer. usus est eo tertio huius, ut scilicet declaret propositum, quia in intellectione formarum materialium, requiritur intellectus agens, & in apprehensione colorum, requiritur lumen, diuersimode tamen, quia intellectus agens ad intellectum formarum requiritur, ex parte obiecti ipsarum, scilicet formarum, lumen autem ad apprehensionem colorum, non requiritur ex parte obiecti, scilicet ipsius medij, & potentia requiritur scilicet ex parte diaphani, ut ipsum illuminet. Sed tu dices, & ego hanc pono dubitationem, ò huic quòd dixisti obstant uerba Arist. infra, inquit enim quòd requiritur lumen, ad apprehensionem colorum, quia facit colores potentia, colores actu, tanquam colores recipiant actum a lumine, quod tu negas, ò dico uerum est, quia Arist. ita dicit, & profert hæc uerba, sed intelligendum, quòd colores esse in actu bifariam, intelligi potest, uno modo esse in actu primo, scilicet esse colores, id est colores habet existentiam, alio modo colores esse in actu, id est esse in actu secundo, & in operatione, & ita intelligendus est Arist. qui dicit, colores fieri actu a lumine, non quidem primo modo, sed secundo modo, quia color per lumen operatur, per lumen enim producit simulachrum suum in medio, & diaphano, & in sensu, prius autem non poterat, quia color non potest producere suum simulachrum, nisi medio illuminato, sed reuertamur ad Auerroem, qui ultimo remouet quandam aliam euasionem auempace, quia arguebat Auer. aduersus auempace, quòd non requiritur lumen ad apprehensionem colorum, respectu ipsorum, sed respectu medij illuminandi, faciebat enim Auer. hanc diuisionem, aut enim lumen requiritur ex parte medij, aut ex parte colorum, aut ex parte utrorumque, non autem ex parte colorum, quia colores non essent per se uisibiles, Arist. autem dicit, ipsos esse per se uisibiles, in secundo modo dicendi per se, neque ex parte utrorumque, neque ex parte medij, hoc fuit argumentum Auer. aduersus auempace, ad quod respondet auempace, quid dicis, ò Auer. dicis enim si requireretur lumen ex parte coloris, color ergo per se non esset uisibilis, quia quod est per se tale, quomodocunque amoto extrinseco, est per se tale, nego hoc, quod tu dicis, quia lumen non est aliquod extinsecum colorum, quod tu ponis, lumen enim superfusum colori non est aliquid extrinsecum a colore, sed est forma, & actus ipsorum colorum, colores enim constant ex una parte quæ est materia, & hæc pars est qualitas, secunda

cunda in superficie corporis, alia est pars colorum, quæ est forma, scilicet lumen supersusum ipsis coloribus, non ergo lumen est quid extrinsecum a colore, quod tu ponis, ista est euasio auempace aduersus Auer. ipse autem remouet euasionem, & in fine cap. uidebimus, quomodo Auer. remouet hanc euasionem, dicit ergo Auer. aduersus auempace, quòd lumen non potest esse forma colorum, ex definitione luminis, & coloris, quas tradit nobis Aristot. dicit enim Arist. in lib. de sensu, & sensato, quòd color est ultimum diaphani terminati, postea hic, quòd lumen est actus corporis diaphani non terminati, ò hoc stante, dicit Auer. probo, quòd lumen nō potest esse forma colorum, forma alicuius materiæ, debet esse simul in eodem subiecto cum materia, sed lumen & colores, non sunt simul in eo dem subiecto, ergo lumen non potest esse forma colorum, minor patet ex eorum definitione, diaphanum enim terminatum & diaphanum interminatum, non sunt idem subiecto, aliter duo contraria essent idem, quare patet dicit Auer. aduersus auempace, quòd lumen non est necessarium in essendo colorum, sed in essendo colorum uisibilium, & aduertatis illud uerbum quod dicit textus, in sua digresione, in fine, in ista ultima dubitatione, quia dicit littera. Et potest aliquis dicere, quòd color. debet autem stare, & non potest aliquis dicere. Debemus intelligere uisio, id est uisibilitas, & hæc satis sint de hac digresione pro nunc, in calce autem huius cap. examinabimus omnia, & tangam dubitatio nes Græcorum & Latinorum.

Textus LXVIII.

DIAPHANVM autem dico quod est quidem uisibile non autem secundum se uisibile: ut simpliciter est dicere, sed propter extraneum colorem. huiusmodi autem est aer, & aqua, & multa solidorum, non enim secundum quòd aqua, neq; secundum quòd aer diaphanum est: sed quoniam est natura eadem in his utrisque & in perpetuo superius corpore.

Lectio LXXXV.

DIAPHANVM *autem dico*. His expositis, quia dixerat nobis Arist. quòd ad habendam notitiam de uisu, prius dicendum erat de uisibili, quod duplex erat, unum uisibile nominatum, ut est color, aliud innominatum, ut sunt ista, quæ in sui superficie habent partem igneam, & ideo habent lumen in se, & dicit de colore, quòd erat per se uisibilis, in secundo modo dicendi per se, quia erat motiuus diaphani, dixit, quòd color non erat uisibilis sine lumine, ideo prius, quàm dicamus de colore, dicendum est de lumine, quia uero diaphanum est tanquã materia luminis, ideo prius dicit de diaphano, & dicit diaphanum est corpus peruium, id est corpus transparens, & uisibile, differt autem diaphanum a ceteris uisibilibus, dicit Aristot. ut colore, quia color est per se uisibilis, diaphanum autem non est per se uisibile, sed per accidens, scilicet per extraneum colorem ei aduenientem, dicit Arist. scilicet lumen se habet diaphano, sicut color proportione quadam, scilicet quia corpora opaca, colore uidentur, ita corpora diaphana ipso lumine uidentur, & tunc subdit Arist. quòd corpora omnia non sunt propria natura diaphana, nullum enim corpus propria natura est diaphanum, ut ignis, non quia ignis est diaphanum, sic & de reliquis, sed hoc quod dico diaphanum, id est ista diaphaneitas est natura communis pluribus corporibus, inest enim omnibus elementis, excepta terra, ita etiam omni corpori cœlesti, exceptis astris, quæ sunt corpora opaca, non perspicua, inest etiam hæc natura pluribus mixtis, ut pluribus gemis, & ita loquor, quòd nullum corpus est natura propria diaphanum, quia cœlum non qua cœlum est diaphanum, sed communi quadam natura, & conditione, ista corpora dicuntur diaphana, sunt tamen ista corpora diaphana secundum uariam mensuram, aliqua magis aliqua minus perspicua & transparentia sunt, secundum eorum uariam naturam, uel mixtionem. Sed hic est dubitatio Ioannis, quia non uidetur uerum, quòd diaphanum perspicuum, fit uisibile per lumen ipsum, & do exemplum, ut si ponamus candelam in fundo alicuius uasis longi, ut in fundo hirundinis, illuminat aerem isti oppositum, non tamen apparet nobis illud lumen, neque uidemus aliquam partem aeris illuminatam, nisi reflectatur illud lumen a corporibus circunstantibus, non ergo uerum est, quòd percipiatur corpus diaphanum, cum est illuminatum, secundo ego arguo, & hoc non est argumentum Io. quia dicit Arist. quòd lumen est uisibile, ò contra, nulla species uisibilis uidetur, imago enim coloris non uidetur, sed est ratio uidendi, non uisa, nullum enim simulachrum potest uideri, sed lumen est imago lucis, ergo lumen non potest per se uideri. Tertio arguo ego, quia dicit Arist. quòd diaphanum corpus est uisibile per lumen, ò nonne plura corpora diaphana, uidentur per proprium colorem, etiam in nocte, sicut plurimæ gemmæ, ergo non omnia per lumen uidentur, quarto ego arguo, quia dixi quòd tria elementa sunt diaphana, omnia enim præter terram, perspicua esse diximus, ò de igne non est uerum, quia si sint corpora post flammam ipsam, non uidentur, quia flamma est corpus densum, non autem diaphanum, uidemus enim flammam fieri diuersorum colorum, secundum quòd magis, & minus permiscetur summo, quinto ego arguo, quia dixit

dixit Arist. qnòd corpora diaphana non secundum se ipsa, sunt diaphana, sed secundum uatuta.n communem, ò quæ est hæc natura communis, qua inest hæc diaphaneitas his corporibus, aut enim est materia, aut forma. De primo quod dicit Ioan. quòd si abscondatur candela in fundo alicuius uasis oblongi, per cuius foramen exeat lumen in aerem, non apparet aer illuminatus, nisi reflectatur lumen per aliquod corpus circunstans, ergo corpus diaphanum per se non uidetur, in hac re Ioan. Crammaticus est ualde ambiguus, & dicit, quòd re uera, non est sensus uerborum Arist. quòd omne diaphanum sit uisibile, per lumen receptum in ipso, & ita reuera iste non est sensus uerborum Arist. dicit Ioan. sed uult dicere, quòd hoc quod dicit, quòd corpus diaphanum illuminatum est uisibile, id est quòd per diaphanum illluminatum, possumus apprehendere colores, sed manifeste Ioan. extorquet uerba Arist. quia Arist. tradens opinionem, inter cetera uisibilia; dicit, quòd diaphanum non est per se uisibile, sed per extraneum colorem, & ita est sensus uerborum Arist. quòd apprehendimus diaphanum per lumen, quod est color, in his extraneus, etiam in exemplo Ioan. aer est uisibilis, quia si oculus ponatur in directo ipsi lumini, sic uidebit aetem illuminatum, nec lumen, quia nimium exiguum est illud lumen, si autem aer in quo est lumen reflecteretur, optime uideremus, ergo aer a lumine optime uisibilis est, & ita Ioan. non recte remanet ambiguus. Quod dicis secundo, quòd nulla species uisibilis est, sed est causa ut alia uideantur, lumen autem species est lucis, ergo non potest uideri. Dico, quòd lumen potest considerari bifariam, uno modo, ut imago lucis, & hoc pacto ut est imago lucis, lumen non potest apprehendi, alio modo potest cosiderari lumen, non ut imago lucis, sed ut res quædam, quæ potest producere suum simulachrum, sed lumen bifariam, quia tunc lumen potest causare suum simulachrum, est lumen secundarium illud ex secundario, & produci potest simulachrum, & fit secundum lumen, non tamen est processus in infinitum, quia est deueniendum ad tam imbecille lumen, quod non potest causare simulachrum sui, & ita lumen hoc modo, ut est res quædam, quæ potest producere suum simulachrum, est uisibile, & apprehendi potest, ex secundario lumine. Quod dicis, tertio, quia aliqua sunt corpora diaphana, quæ uidentur per proprium colorem, ut sunt multæ gemmæ, non ergo omnia corpora diaphana ex lumine uidentur. Dico, quòd bifariam hæc corpora possunt considerari, uno modo in eo quòd sunt diaphana, & hoc modo in eo quòd diaphana, non sunt uisibilia, nisi lumine recepto, alio modo possunt considerari hæc corpora, ut sunt colorata, & habent in se colores, & hoc modo sunt per se uisibilia a nobis. Quod dices quarto, de igne, quia ignis non est corpus diaphanum, & hæc est dubitatio Auer. quarto colliget cap. 38. non tamen ibi soluit, sed dicit alibi esse soluendam hanc quæstionem. Dicatis tamen quòd duplex est ignis, elementalis, & hic perspicuus est, & transparens, alius est ignis mixtus, qui admiscetur corpori humido a quo dependet in esse & conseruari, & hic est ignis inferior, qui non est perspicuus. Quod dicis ultimo, quia Arist. dicit, quòd corpora diaphana non sunt per propriam substantiam diaphana, sed ex natura cõmuni quæritur, quæ nam sit ista natura cõmunis. Dico quòd ista natura commuis est quædam qualitas communis omnibus corporibus istis, & modo substantiæ eorum. Tum quia secundum quòd habent substantiam maiorem, uel densiorem, efficiuntur magis, uel minus diaphana.

Textus LXIX.

LVMEN autem est huiusmodi actus diaphani secundum quòd est diaphanum, potentia autem in quo hæc est & tenebra, lumen autem ut color est diaphani, secundum quòd actu diaphanum ab igne, aut huiusmodi, ut quòd sursum corpus, etenim huic aliquid inest unum & idem, quod quidem igitur diaphanum & quid lumen dictum est, quia neque ignis est, neque omnino corpus, neque defluxus corporalis nullius, esset enim utique aliquod corpus, & sic si ignis aut huiusmodi alicuius præsentia in diaphano, neque enim possibile est duo corpora in eodem esse.

Lumen autem est huiusmodi. Cum Arist. ostendisset, quid sit diaphanum, hic ostendit quid sit lumen, & dicit, quòd lumen est actus diaphani, secundum quòd est diaphanum in potentia, aut diaphanum est illud in qno est hæc diaphaneitas, & tenebra, deinde dicit Arist. lumen autem est, ut color diaphani, secundum qnòd diaphanum est, factum actu, aut luce ignis, aut celestis corporis, & enim huic inest unum & idem, id est dicit Auer. diaphaneitas existens, in corpote cœlesti, semper associatur illi quod facit eam dispositionem, in actu, ideo nunquam inuenitur cœlum diaphanum in potentia, sicut ea quæ sunt inferius, cum quandoque sit lucidum, præsens, & quandoque non, nam pars cœlestis semper est illuminata.

Hic est dubitatio Ioannis, quia in definitione diaphani, & luminis, utitur circulatione, definit enim primo diaphanum per lumen, dicens qnòd diaphanum non est per se uisibile, sed per lumen, postea definit lumen per diaphanum, dicens, quod lumen est actus diaphani, utitur ergo definitione circulari Arist. secundo & difficilius, quia luna recipit lumen a Sole, & tamen non est corpus

corpus diaphanum, ergo lumen non est tantum actus diaphani corporis, sed densi, sicut luna. Tum etiam dubitatur de terra, quia in die nos uidemus terram, tamen non colore proprio, ergo per lumen, non solum, ergo lumen est actus corporis diaphani. De primo cum dicis, quòd definitio Arist. de lumine & de diaphano est circularis, concedo, & uerum est, quia lumen, & diaphanum, se habent, tanquam correlatiua, sicut forma, & materia, recta ergo est definitio Arist. Quod dicis secundo de lumine recepto in luna. Dico, quòd luna partim est diaphana, partim est densa, & ita secundum illam partem diaphanam, recipit lumen a Sole; scilicet secundum illam partem uersus nos; secundum autem aliam partem, quæ est uersus Solem est densa, & ibi non potest ingredi lumen, licet reflectatur, & illuminet hæc inferiora, & quòd ita sit, quòd luna de necessitate habeat partem diaphanam, in qua recipiatur lumen Solis, patet, quia si non reciperet lumen, sed esset corpus densum, reflecteretur lumen Solis, & ita illud lumen perueniret ad nos, & uideremus Solem in luna, & lumen ipsius, sicut uidemus in aqua, non autem uidemus Solem in luna, ergo lumen Solis de necessitate penetrat in parte diaphanam lunæ, & illud lumen receptum in luna, produceret aliud lumen ad nos, scilicet simulachrum sui, & ita non uideremus Solem, quia illud lumen quod uenit ad nos, non est imago huius Solis, quare patet quòd luna habet partem diaphanam, in qua recipitur lumen Solis, per rationem dictam, habet etiam partem densam & opacam, quæ scilicet est uersus Solem, quia uidemus, cum opponitur diametraliter Soli, ipsum Eclypsat, & cetera astra Eclypsat, quare notabiliter in luna danda est pars diaphana, & opaca. Quid dicemus de terra, quia uidemus in die terram, non colore proprio, ergo lumine, & tamen est corpus opacum. Dico uidemus terram mediante lumine reflexo ab ipsa, non autem ex se ipsa, quia fit illuminata, natura enim si non uia tecta potest complere suam operationem, ad quam ordinatur, linea obliqua reflectitur, quia prohibetur a sua propria operatione, & ita hoc lumen reflexum recipitur in aere & simul simulachrum terre, unde nos ipsam terram perspicimus. Quod quidem igitur diaphanum, ex priore definitione luminis, quòd scilicet lumen est actus diaphani, Aristot. infert corrolarium, quòd scilicet lumen, neque est corpus, neque corporis deflexus, quia omnis deflexus corporis, corpus est, probat Arist. hoc corrolarium, bifariam. primo quia dixit quòd lumen est actus diaphani, ex hoc, assumptum probauit Arist in tex. superiori, & probauit hic etiam inferius, ex quo ergo lumen est actus diaphani, non est corpus, quia omne simulachrum est simul, cum eo cuius est actus, ergo erit simul, cum diaphano, diaphanum ergo est corpus, lumen non potest esse corpus, aliter esset penetratio corporum, duo autem corpora non possunt esse simul, ex quarto physic. ergo, sequeretur enim si duo corpora essent simul, quòd totum mare posset contineri in uno ciato, qua ratione, continet unam paruam magnitudinem, ita etiam posset continere tantam, ita enim datur penetratio, & illam paruam quantitatem continet, ergo & totam aquam maris posset continere, cum ergo lumen sit actus diaphani, non potest esse corpus, neque etiam potest esse defluxio corporis, quia defluxio corporis corpus est, & in hoc dicit Ioannes Arist. tangit Platonem, quia dixit, quòd lumen defluxio est.

Textus LXX.

VIDETVR autem lumen contrarium esse tenebre. est autem tenebra priuatio huius habitus ex diaphano. Quare palam, quòd huius præsentia, lumen est: & non recte Empedocles: neque si alius aliquis sic dixit quòd feratur, & extendatur lumen in medio terre & continentis: nos autem lateat: hoc enim est & extra eam quæ in idem ueritatem & extra ea quæ uidemus. in paruo enim spatio latere nos. ab oriente autem in occidens lateret, magna quidem multum est questio.

Lectio LXXXVI.

VIDETVR *autem lumen*. Probat Arist. quòd lumen sit actus diaphani, non una sola ratione contentus, quia tenebra priuatiue opponitur lumini, & tenebra est priuatio, ergo lumen est actus. Secundo probat, quòd lumen non possit esse corpus, quia si esset corpus, successiua esset eius productio, & illuminatio Solis esset successiua, fit autem subito, & in momento temporis, ergo lumen non est corpus, neque defluxus corporis, & si dicat Emped. dicit Arist. quòd illuminatio non fiat subito, sed successiue, lateat tamen sensum nostrum, hæc successio, non tamen est uerum quod dicit Empedocles, quia forsam hæc successio, quam tu ponis, sensum lateret, si fieret in paruo spatio, sed cum fiat in magno spatio, scilicet ab ortu ad occasum, impossibile, quòd lateat sensum, dicit Arist. & etiam Ioannes Grammaticus addit aliud argumentum, quia uidemus, quòd corpora proxima, ipsi lucido corpori, subito & in momento temporis, omnia equaliter generantur, lumen, ergo non est corpus, quia est actus diaphani. Tum quia eius operatio subito fit, & ex his authoritatibus Arist. Auer. conclusit in commento 69. contra Auempace, quòd colores non acquirunt esse a lumine, sed lux requiritur in uisione ipsarum, ex parte medii, dixit enim Arist. quòd

lumen

lumen est actus diaphani, ut aeris, & recipitur in aere. Dico dicit Ioannes, lumen non recipitur in aere, ut actus, & forma aeris, sed recipitur in aere, sicut corpus recipitur in corpore recipitur enim in concauitate, & porositate aeris, & ita intelligendo, non sequitur quòd duo corpora sint simul, ut dicit Arist. Secunda dubitatio, quia isti nominales, ut Gregorius Arim. & alij ponunt duas quantitates esse simul. Dicunt enim quòd quidem est extensum, extensum est sua natura, extensum est quantum, unde dicunt, quòd in igne est propria substantia ignis, quæ habet propriam extensionem, & propriam quantitatem, ita etiam præter substantiam ignis, sunt sua accidentia, ut primæ qualitates, quæ etiam habent propriam extensionem, & ita hic, in igne sunt duæ quantitates, & dicunt isti, quòd possibile est, duas quantitates esse simul, dummodo una se habeat tanquam actus alterius, sicut in igne calor se habet tanquam actus, & forma ignis. O' quid ad Arist. quia ipse arguit, quòd lumen non est corpus, quia non uult duo corpora esse simul, Respondent isti, quòd Arist. hoc facit, quia supponit secundum mentem aliorum, quòd lumen non sit actus alterius corporis, sed quòd lumen & diaphanum sint duo corpora distincta, dubitatur ergo, an ista sit ut isti dicunt. Tertio arguitur, quia Arist. dicit, quòd illuminatio Solis, non est successiua. O' falsum est hoc, ostendo hoc, quia lumen non est præsens alicui parti terre, nisi Sol, sit autem Sol præsens omnibus partibus terræ, non omnibus, sed singulis, per motum, motus autem est successiuus, ergo fit illuminatio, ab oriente enim in occidens, & ab uno hemisphario, procedit in aliud, & fit unicuique parti terre præsens per motum, motus autem successiuus est, ergo & illuminatio successiua, quomodo ergo dixit Arist. Tum ex alio apparet, quòd illuminatio fit successiue, quia si aer sit impurus, & successiue magis clarificetur, ita & successiue magis illuminabitur, quid ergo. De primo quod dicit Ioannes, quia posset quis aduersari Arist. quòd lumen non reciperetur in aere, sicut actus & forma ipsius, ut est diaphanum, sed sicut corpus recipitur in corpore. Dico, excluditur ista euasio facillime, quia si per te lumen recipietur in istis partibus aeris, quid essent iste porositates, essent uacuitates, & trina dimensio, in qua collocaretur corpus, sed trina dimensio, est corpus, ergo corpus esset in corpore. Secundo, quia, si lumen esset corpus, quod reciperetur in aere, sequeretur quòd cum aer magis illuminatur crassior & densior fieret, hoc patet sensu, magis autem attenuatur, & fit lucidior, ergo. De secunda dubitatione iam dixi, secundum nominales, quòd duo corpora possunt se penetrare, dummodo unum sit actus alterius, Arist. autem non intellexit secundum opinionem aliorum, quòd lumen esset actus, sed quòd sunt duo corpora distincta. O domini, est fatua hæc expositio, quia Arist. sumit in sua ratione, quòd lumen est actus corporis diaphani. Secundo & fortius, quia isti homines ponunt quòd duę quantitates possunt stare simul, dummodo una sit causa alterius, contra, Arist. quarto physic. dixit, quòd quantitati ex sui ratione, & natura, qua quantus, repugnat duo corpora simul esse, unde si quantitas, quæ est aliqua substantia separaretur a prima materia, staret per se sola, & non commisceretur cum aliqua alia quantitate, quia impossibilis esset cum alia quantitate, quia hoc competit ipsi. Vnde ponunt sequeretur quòd non reciperetur in aere, aut augeretur, id est, illa illuminatio esset auctio, quia esset successiua acquisitio quantitatis, possunt adduci multæ alie rationes, contra hanc opinionem, mihi nunquam placuit hæc opinio, quia quantitati ut quantus repugnat, ut simul sint, & se penetrent, loquendo naturaliter, non diuine, quia deus accedebat ad discipulos suos clausa ianua. De tertio, quod dicis contra Arist. quia illuminatio fit successiue, ut quia partes terræ, non sunt illuminate, nisi præsentia Solis, Sol autem fit præsens, motu locali successiue, ergo. Dico quòd illuminatio per se ex sui natura, fit subito, quia est forma spiritualis, sine resistentia, omnis autem successio, fit ex resistentia, ergo illuminatio, cum careat resistentia, fit subito, non successiue, sicut etiam uisio, & auditus, fiunt subito, quia sunt actiones spirituales. O' dicis partes terræ, non sunt illuminatæ, nisi sit præsens Sol, motu autem locali fit præsens, ergo successiue fit ista illuminatio. Dico, fit successiue, per accidens, quia scilicet terra est spherica, & una pars, quæ scilicet est eminentior, obsistit lumini, ne illuminet aliam partem, non tamen propter hoc fit, ut ea pars terre quæ continue successiue illuminatur, non producatur & fiat illuminatio subita, eodem pacto de aere, quia illa successiua illuminatio aeris, est per accidens, scilicet ex successiua ipsius dispositione aeris.

Textus LXXI.

EST autem coloris susceptiuum quòd sine colore, soni autem absonum, sine colore autem diaphanum, & inuisibile autem quod uix uidetur ut uidetur quod tenebrosum est, huiusmodi autem diaphanum quidem est, non cum sit actu diaphanum, sed cum potentia, eadem enim natura quandoque quidem tenebra, quandoque autem lumen est.

Est autem successiuum coloris. Quia diximus quòd uisus & diaphanum sunt successiua colorum, in his enim imprimuntur colores, & sua simulachra, sequitur dicit Aristot. quòd tam uisus,

ſus, quam diaphanum, caret colore, qnia ſuſceptiuum alicuius, debet eſſe illuminatum ab illo, ſi enim aqua, aut aer, haberet aliquem colorem, in ſe, impediretut in apprehenſione alterius coloris, & ita etiam uiſio, non poſſet fieri, & impediretur, ſicut uidemus res per uitrum coloratum, non bene uidemus, immo ſi eſt coloratum colore nigro, nihil uidemus per ipſum, quare ergo ſuſceptiuum coloris, eſt id quod eſt ſine colore, & ſuſceptiuum ſoni, abſonum: Vnde ergo diaphanum ſine colore eſt, & ſubdit, & inuiſibile, aut quòd uix uidetur, quia uidetur ut quid tenebroſum eſt, huiuſmodi, aut ſcilicet ut tenebroſum eſt diaphanum, ſed non eſt diaphanum, ut eſt diaphanum, in actu, ſed ut in potentia: Vnde ſumitur ex Ariſt. quòd duplex eſt diaphanum, unum ſcilicet potentia, quia caret lumine, & non eſt illuminatum, aliud autem eſt diaphanum actu, qnando ſcilicet diaphanum eſt illuminatum, & ſubdit Ariſt. eadem enim eſt natura diaphani, quandoque quidem tenebra, quandoq; quidem lumen eſt, & intelligitur quandoque tenebra, id eſt; quandoque eſt potentia, quandoque autem lumen, id eſt quandoque actu, & ita habetis ex hoc tex. quòd aer eſt uiſibilis, ſine lumine, dixit enim uix uiſibilis, & ſicut tenebroſum, tenebra autem apprehenditur a nobis, ergo, addit Auer. unum uerbum in commento, quòd ſcilicet corpora diaphana ſunt duplicia, quædam ſunt quæ ſunt ſemper illuminata, & nunquam in ipſis inuenitur tenebra, ſicut ſunt corpora cœleſtia, quædam autem ſunt, quæ quandoque ſunt lucida, & habent in ſe lucem, & illuminata ſunt, quandoque uero obtenebrata, ſicut ſunt corpora generabilia, & corruptibilia, ut aer, & aqua. Vnde dicit Auer. uerba Ariſt. quandoque dicit, eadem enim natura quandoq; quidem tenebre, quandoque autem luminis, non equaliter uerificantur in iſta natura, id eſt in iſtis corporibus omnibus diaphanis, quia corpus cœleſte nunquam caret lumine, ſed tantum uerificantur ipſius uerba, in generabilibus, & corruptibilibus, dicit enim Auer. natura cœleſtis nunquam recipit obſcuritatem. Deinde Auer. dubitat de luna. Vtrum luna ſit compoſita, ex naturis diaphanis: Reſpondit Auer. ſub dubio, quòd forte luna ex iſtis duabus naturis, ſcilicet diaphano, & opaco, ut partim ſit diaphana, partim opaca; ſed dices, quare Auer. ita loquitur, ſub dubio. Dico, quòd in luna ſunt due partes; ſicut dicebam heri, una pars quæ eſt diaphana; & recipiens lumen Solis, aliter uideremus Solem in luna, ſicut dicebam, ſicut etiam in aqua uidemus, habet etiam partem opacam luna, ſcilicet illam quæ eſt uerſus Solem, aliter neſciremus, cum luna diametraliter opponitur Soli, quomodo ipſum eclypſaret, & etiam alia aſtra quæ eclipſantur a luna, ſed uos dicetis, ergo cùm interponitur terra inter Solem & Lunam, fieret tenebra, in luna, ſcilicet in illa parte diaphana, & ita appareret tenebra. Dico quòd & ſi illa pars lunæ, diaphana, non illuminatur a Sole, tamen non adeſt tenebra, quia illuminatur a parte denſa ipſius lunæ, & ſi diminute illuminetur, tamen aliqualiter, quia pars omnis cœli habet in ſe lucem, tam partes rare, quàm denſe, non tamen eſt poſtea perceptibilis, in partibus raris, in partibus autem denſis percipitur, ſicut in ſtellis, uirtus enim magis unita creſcit, ita ergo pars lunæ denſa, habet in ſe aliquam lucem, ex qua partes diaphanæ aliquo modo illuminantur.

Textus LXXII.

NON omnia autem uiſibilia ſunt in lumine, ſed ſolum uniuſcuiuſque proprius color, quædam enim in lumine quidem non uidentur, in tenebra autem faciunt ſenſum, ut quæ ignea uidentur & lucentia, non autem nominata ſunt uno nomine, ut quercus putride cornu, capita piſcium, & ſquame, & oculi, ſed nulli horum uidetur proprius color, propter quam autem cauſam hæc uidetur alia ratio.

Textus LXXIII.

NVNC autem intantum manifeſtum ſit quoniam quod quidem in lumine uidetur color eſt, unde non uidetur ſine lumine, hoc enim erat ipſi colori eſſe motiuum eſſe ſecundum actum diaphani, actus autem diaphani lumen eſt, ſignum autem huius manifeſtum, ſiquis enim ponat habens colorem ſuper ipſum uiſum non uidetur, ſed color mouet diaphanum, puta aerem, ab hoc autem iam continuo exiſtente mouetur quod ſenſitiuum eſt.

Textus LXXIIII.

NON enim bene hoc dicit Democritus, opinatus ſi eſſet uacuum quòd medium proſpici utique certe & ſi formica eſſet in cælo, hoc enim impoſsibile, patiente enim aliquid ſenſitiuo fit ipſi uidere, ab ipſo igitur qui uidetur colore impoſsibile eſt, relinquitur autem quòd a medio, quare neceſſe eſt aliquod eſſe medium, uacuo autem facto non aliquid certe, ſed omnino nihil uidebitur, propter quam quidem igitur cauſam colorem neceſſe eſt in lumine uideri dictum eſt, ignis autem in utriſque uidetur, & in tenebra, & in lumine, & hoc ex neceſsitate, diaphanum enim ab hoc lucidum fit.

Non omnia autem uiſibilia. Tradens nobis notitiam Ariſt. obiecti uiſibilis, dixit, quòd erat duplex uiſibile, erat enim unum genus uiſibilis color, aliud genus erat inominatum, cum declarauit naturam primi uiſibilis, ſcilicet coloris,

in hoc tex. modo uult declarare notitiam secundi uisibilis, quod scilicet non habet proprium nomen, & ita uisibilia, dicit Arist. sunt quæ in lumine non sentiuntur, sed in tenebris uidentur, ignea, & lucentia, ut quercuum putredo, aliqua cornua, aliqua capita piscium, & squammæ, & oculi, hæc non apparent nisi in nocte, nec uidentur in nocte proprio colore, si enim uidentur proprio colore, uidentur in die quando adest lumen, causa autem quare ista non uidentur in luce, ita illuminata, sicut in nocte, est alibi dicenda, dicit Arist. scilicet in lib. de sensu & sensato. Videntur enim ista nocte, quia in sui superficie. habent partem igneam, quæ luminosa est, & illuminat aerem, unde uidemus ipsam, in die autem ista non uidentur, quia suum lumen, est paruum, & tam remissum, ut non percipiatur, in magno lumine, sicut etiam nec stellæ appatent in die, propter magnum lumen solis, ex maiori lumine offuscatur minus, unde suum remissum lumen, ocultatur propter magnum, bene in die uidentur colore proprio, & ita habemus secundum genus uisibilis, quod uidetur in nocte, existente tenebra. Est tertium genus uisibilis, quod in nocte dieque uidetur, ut ignis, sua lux est adeo tarda. quòd non occultatur nobis in die, sed in die existente luce, uidetur, subdit Arist. quòd manifestum est, quòd id quod uidetur in lumine, color est, unde non uidetur sine lumine, color enim, dicit Arist. erat motiuus diaphani, secundum quòd est actu diaphanum, actus autem diaphani, lumen est, ergo. Ex his uerbis Arist. summit Auer. contra auempace, quòd lumen non acquiritur in uisione coloris, ex parte ipsius coloris, sed ex parte medij, quòd autem color sit motiuus actu diaphani, probat Arist. quia color non uidetur in aere non illuminato, si quis enim, dicit Arist. imponat corpus habens colorem ipsi oculo, superuisum non uidebitur, quia excluditur aer intermedius, sed color in sui uisione, oportet quòd moueat diaphanum puta aerem, corpus coloratum, non enim potest uideri, nisi mediante aere illuminato, si autem coloratum superponatur oculo, non mouebit aerem, sed mouebit mediante uisu, non ergo uisibile, ex quo infert Arist. corolarium, contra Dem. quòd scilicet in uacuo nulla fieret uisio, immo nulla sensatio & male opinatus est Democritus, qui dixit quòd si esset uacuum interceptum oculo, & re uisibili, quòd exactius illa res uideretur, unde dixit, quòd si esset uacuum inter cœlum & uisum nostrum & formica, esset in cœlo, ipsam uideremus, sed errat Democritus, inquit Arist. quia color est motiuus diaphani, in actu, secundum quòd est illuminatum, immo si interciperetur oculo, & re uisibili, ipsa res nulla modo uideretur, quia omnis uisio fit ex hoc, quòd uisus & oculus aliquid patitur, a re uisibili, patiente enim quid sensitiuo, inquit Arist. fit ipsum uidere, si autem non esset medium, in casu isto in quo sentiretur uisus, non ab obiecto, quia unum distat ab alio, & non sunt simul, agens autem & patiens si debeat fieri actio, oportet quòd sint simul, debent enim se tangere, dicit Arist. septimo physic. sed hæc non sunt simul, immo unum distat ab altero, ergo. Dubitat Auer. hic, in commento, quia dicit hic Arist. quòd requiritur medium in uisione colorum, quia oportet quòd uisus patiatur a re uisibili, si autem non esset medium per quod refertur ipsa passio, non fieret uisio, O' dicit Auer. si non propter aliud, requiritur medium in uisione, nisi quia uisus non patitur a uisibili, propter distantiam, oportet enim agens esse simul cum patiente, possumus facere ut uisibile, non distet a uisu, sed superponere uisibile uisui, dicit Auer. & ita fiet uisio, quia tunc a uisibili uisus patietur. Respondit Auer. quòd propter hoc, non requiritur mediũ in uisione colorum, scilicet propter distantiam uisibilis a uisu, quia hoc pacto argumentum concluderet, & ita illa non est causa dicit Auer. color enim positus super oculo non uidetur, natura enim non facit transitum de extremo ad extremum sine medio. Cum autem color habeat esse materiale, uisus autem spirituale, non potest ergo fieri transitus sine medio, ambo enim naturalia sunt. Sed ista ratio Auer. friuola est, quia si accipiatur corpus humidum, ubi est lux, quæ spiritualis est, & superponatur oculo, nec oculus apprehendet, hanc lucem, ergo.

Textus LXXV.

EADEM autem ratio est de sono & de odore, nihil enim ipsorum tangens sensitiuum sensum facit, sed ab odore quidem & sono media mouentur, ab hoc autem sensitiuum utrunque, cum autem super ipsum sensitiuum aliquis apponit odorans, aut sonans, neque unum sensum faciet. De tactu autem & gustu habet se similiter, non autem uidetur, propter quam autem causam, posterius erit manifestum.

Textus LXXVI.

MEDIVM autem sono quidem aer est, odori autem innominatum est. Communis enim quadam passio est ab aere & aqua, sicut diaphanum colori, sic est habenti odorem quod est in utrisque his, uidentur enim animalium aquatica habere odoris sensum, sed homo quidem & pedibus ambulantium quacunque respirant impoßibilia sunt odorare nisi respirantia, causa autem de his posterius dicetur.

Lectio LXXXVII.

EADEM *autem ratio est*. Subsequenter Arist. amplificat sententiam suam dicens, quòd hoc quod dictum est, scilicet quòd uisus non potest apprehendere uisibile sine medio, ne dum uerificatur in sensu uisus, sed in omnibus quinque sensibus, manifeste autem in tribus uerificatur, dicit Arist. scilicet uisu, auditu, & olfactu, istos enim sensus, manifeste apparet non posse apprehendere propria sensibilia, sine medio extrinseco, gustus autem & tactus, habent se similiter, & apprehendunt sua sensibilia, per medium, sed non ita apparet sensu, quare autem non ita sit manifestum dicit Arist. inferius dicetur, scilicet in cap. de tangibili, & tactu, medium autem in his duobus sensibus, scilicet tactu, & gustu, non est extrinsecum, id est pars extrinseca animalis, sed intrinsecum est, & pars animalis, sicut in tactu, ponit Arist. cuticulam, quæ est medium inter sensum & sensibile, licet Galen. aliter sentiat, & addit Arist. quòd ex parte istorum trium sensuum, scilicet olfactus, auditus, & uisus, habent medium extrinsecum, & ita omnes hi tres sensus conueniunt, quòd apprehendunt propria sensibilia, per medium extrinsecum, sed aliqui per unum tantum medium, sicut in sono, medium est tantum aer, sonus enim non auditur nisi per aerem, non per aquam sensus autem olfactus, & uisus, conueniunt quòd habent duo media extrinseca, scilicet aerem & aquam, differunt tamen, quia alia est ratio medij deferendi simulachra colorum, ad uisum, alia est ratio deferendi odorem ad olfactum, in colore ista ratio innominata est, in uisu autem, nominata, scilicet qua diaphana sunt, & addit Arist. quòd licet aer & aqua, sint medium sensus uisus, & sensus olfactus, per quod isti sensus apprehendunt simulachra suorum sensibilium, non tamen qua est medium in sensu olfactus, respectu omnium animalium, sed tantum animalium, quæ sunt in aqua, carentium respiratione, & expiratione, ut pisces, qui mouentur ex longa distantia, ad cibum, non quia illud uiderint, sed sensus olfactus perceperit, licet ergo sit mediũ olfactus, in his animalibus, non tamen est medium in his animalibus, quæ habent inspirationẽ, & expirationẽ hæc enim animalia in aqua, non possunt percipere odorem, causa aũt huius dicit, Arist. posterius dicetur, scilicet in tractatu de olfactu, tangit Io. causam hic, secundum Gal. in lib. de locis aff. & dicit, quòd causa est quòd in istis animalibus habentibus inspirationem, & respirationem, organum olfactus est tectum quadam pelicula, ideo oportet quòd apperiatur, si debet fieri odoratus, appetitus autem inspiratione, scilicet attractione aeris, & tunc organum olfactus odorat, ò quid est organum olfactus, dicit Ioan. organum olfactus non est neruus, neque caro, sed processus sunt quidam uenientes a cerebro, qui coniunguntur ossibus narium, quos processus appellat Galen. processus mamillares, & isti sunt organa olfactus, sed ego miror de Ioanne, quia ista non est mens Arist. quia nullo sensu præditum est cerebrum, secundum Aristot. quia caret sensu tactus, ergo caret omnibus aliis sensibus, & dicit Aristot. quòd non magis sentit cerebrum, quàm quòd uis excrementum, tum etiam, quia ille excellentissimus dominus Andreas Vessalius, ostendit oculata fide istos processus, quos Galen. appellat mamillares, non peruenire ad ossa narium, sed perueniunt usque ad medium frontis, & iunguntur cum osse alio.

Est dubitatio hic textualis, primum quia Aristot. expressit nobis tantum quinque genera sensibilium, sed sunt plura, quàm illa quæ enumerauit Arist. sed sunt sex, primum enim uisibile est color, secundum est lumen, & hoc est trifariam, quoddam enim est lumen remissum, scilicet remisse lucida, quæ non nisi in tenebris uidentur, est quoddam aliud lumen quod est intensum, & hoc uidetur in nocte, & in die, est aliud lumen quod est intensum, & hoc, non uidetur in nocte nec in die, scilicet lumen solis non enim uidetur in nocte, immo sui absentia facit noctem, nec etiam uidetur in die, quia ipse est auctor diei, & ita hucusque sunt quattuor genera uisibilium, sunt & alia duo genera, scilicet diaphanum actu, id est illuminatum, quod uidetur, & etiam diaphanum potentia, quod tenebrosum est, istud etiam uidetur, quia tenebra uidetur, sunt ergo sex uisibilia, & Arist. posuit tantum quinque, scilicet lumen solis tacuit, quod neque nocte, neque die uidetur, secundo dubitatur, quia stellæ omnes, & firmamentum uidentur lumine solis, ò quare non uidentur in die, sed tantum in nocte, cum in die adsit nobis lumen solis præsens. Tertio dubitatur, quia dicit Arist. quòd coloratum si superponatur sensorio, ipsum sensus non apprehendit, quia requiritur mediũ, ò quid dicemus de suffusionibus in oculis, & cataractis, dicit Io. non ne uidemus ipsas sine corpore extrinseco, immo omnia alia, quæ uidemus apparent isto colore colorata, uisibile ergo potest uideri sine aere extrinseco, quarta dubitatio est, quia Arist. inquit, medium in sono tantum est aer non aqua, ò non ne pisces percipiunt sonum in aqua, experientia piscatorum compertum est, pisces effugere sonum.

De primo cum dicis, quòd uisibilia sunt sex Arist. autẽ tantum quinq; enumerauit, dico dicit, Io. q Arist. non expressit hoc sextum, quia reducitur ad illud, quod in die uidetur, ò est auctor diei, ò sicut uidemus diem, ita uidemus ipsum.

Quòd dicis secundo, quia stellæ & firmamentum uidentur in nocte, non autem die, & tamen lumine solis uidentur, dico, quòd causa est, quia in nocte cum sol est sub terra, fit obscuratio aeris, apud nos, fit enim pyramis tenebræ, ex terra ipsa, usque ad Lunam, & ita per illam pyramidem tenebræ, uidemus stellas, quia lumen solis non dispergit uisum nostrum, quia non est lumen nobis circunstans, quod dispergat uisum, quòd hoc eueniat propter istud, patet duplici exẽplo dicit Io. primo, quia in ortu & in occasu uidemus solem, in meridie autem non uidemus enim in ortu & in occasu ipsum solem, quia uapores, qui sunt in aere, aliquo modo resistunt lumini solis, ne uisus noster disgregetur, in meridie autem, cum aer est depuratus a uaporibus, non possumus uidere stellas in cœlo, si autem essemus in profundo putei uideremus ipsas stellas quia ibi non est lumen solis circunstans, quod disgreget uisum nostrum, sicut in superficie terræ, quare manifeste apparet causa, cur non nidemus stellas cum adest lumen solis, De tertio, quia uidemus suffusionem in oculo nullo extrinseco mediante, in hac dubitatione est magna discordia expositorum, Ioan. tamen dicit hic, & optime declarat, uolo reseruare hanc dubitationem in examine cap. quia tunc pulcherimas dubitationes adducam. De quarta & ultima dubitatione, quia dixit Arist. quòd in sensu auditus, aer est tantum medium, non autem aqua. Videmus autem instantiam de piscibus, qui audiunt, Ioan. concedit quòd pisces audiunt, & percipiunt sonum, ò quid ad Arist. ò dicit Ioan. est intelligendus Arist. quòd aqua non est medium in sono, id est non ita perfecte, sicut aer, & nihil aliud uult Arist. non autem debemus intelligere quòd nullo pacto audiant in aqua.

Examen Cap. Lectio LXXXVIII.

SVPER ista parte lecta sunt pulcherimæ dubitationes & magne Ioan. Grammatici, ideo prius exponam eius digressionem in qua tria problemata quæruntur, primum nunquid uisio fiat in nobis, per alicuius rei extramissionem extra oculum, secundum problema est, nunquid lumen sit corpus, an quid incorporeum, tertium problema, quid nam senserit Aristot. de his duobus problematibus, itaque de primo, quæritur nunquid uisio fiat in nobis, per alicuius rei extramissionem ab oculo, & uidetur, quòd sic, ex Arist. 4. met. qui dicit fieri uisionẽ in congressu luminis uenientis ab oculo, cum re uisa, ergo secundum Arist. uisio fit per extramissionem, complures alij etiam fuere huius sententiæ, & ipse Plato, fit ergo uisio in nobis per extramissionem alicuius ab oculo, sed quo nam pacto, dixerit Plato fieri uisionem in nobis per extramissionem, scilicet luminis, aut rei corporeæ, aut incorporeæ ut spiritus, non explicat hic Ioã. quid nam senserit Plato, quia discordes fuere expositores ipsius, in hoc, Marsilius autem Ficinus cui multa fides adhibetur, quia uidit expositores Græcos Platonis, dicit mentem Plat. esse, quòd in uisione per pupillam oculi, exit quidam spiritus purus, qui si non inuenit corpus resistens per aerem, ita diffunditur, quòd ex diffusione illa debilitatur, & tandem debilitatus, quòd quocunque resistente, repellitur ad uisum, & secum defert imaginem uisibilis, & ita fit uisio, & hoc modo uidemus, cœlum & obiectu omnia in magna distantia, si non inuenit corpus resistens, hic spiritus, uibratur, & hæc uibratio est causa uisionis huius, hæc est opinio Plat. sed quid sit hæc uibratio spiritus circa corpus resistens, diuersi diuerso modo exposuerunt, aliqui enim dicunt, quòd hic spiritus uibratur, id est quòd expanditur circa corpus uisibile, & ita expansus permiscetur simulachro ipsius rei, & ex hac permixtione fit uisio. Sed uidetur falsa hæc expositio, Ideo alij exposuerunt, quòd hic spiritus uibratur, id est excitat simulachrum rei uisibilis, ad uisionem, sed uix est intelligibilis hæc expositio. Est tertia expositio, quæ uidetur rectior, & dicit quòd ista uibratio nihil aliud est, quàm expansio spiritus, circa rem uisibilem, & ita expansus reflectitur a re uisibili, ad oculum, & iterum fertur ad oculum, & secum defert simulachrum rei uisibilis, & ista est opinio Plat. dicunt isti, sed Plato ita obscure loquutus est, quòd expositores sunt uarij in ipsum exponendum. Sed aduersus hanc opinionem Plat. Ioan. Gram. instat multis argumentis, primo quia sequitur quòd motus istius spiritus exeuntis ab oculo, erit uelocior, motu cœli, quia fit in momento temporis, & motus cœli in uigintiquattuor horis, tamen Arist. secundo cœli dixit, nullum motum esse uelociorem motu cœli, & ibidem probauit, quòd autem sit ita, demonstrat Ioan. demonstratione mathematica, poterat tamen facilius demonstrare, hoc modo, scilicet motus cœli ab ortu in occasum iterum in ortum, fit in uigintiquattuor horis, ergo medietas huius motus, qui est ab ortu in occasum, tantum fit in duodecim horis, stellæ ergo pertranseunt hunc spatium in 12. horis, uisus autem in instanti & momento temporis uidet hoc totam hemisperium, ergo eius motus uelocior, quia autem isti Græci errant maxime exercitati, in mathematica, ideo Ioannes utitur argumento mathematico. Quod nulli scribetur. secundũ argumentum Io. contra Platonem est hoc, quia huic spiritui exeunti ex oculo, ad rem uisam, aut aer interceptus in spiritu, & re uisa, localiter cedit, ut sine aliqua resistentia transeat,

seat, aut nullomodo cedit, sed recipit, sed nullomodo potest fieri, ergo uisus non fit per alicuius extramissionem, quod non detur primum, probo, quia si aer totaliter cedit huic spiritui exeunti ab oculo, ergo aer ad alium locum transit, & ita iste locus priuatur aere, ergo aer non potest respirare in illo loco, quia non erit aer, respirat autem ut experientia uidemus, ergo non primo modo, neque secundo modo, potest fieri, quia si aer nullo modo, cedit, sed permanet, & spiritus transeunt, dabitur ergo penetratio corporum, quod est impossibile, quòd si dicas, datur tertium, quòd scilicet aer partim cedit, & partim non cedit huic spiritui, sed hic spiritus diuiditur ad paruas particulas, & minimas, & ambo commiscentur, scilicet aer & spiritus, sicut fit cum commixtione aquæ cum uino, & ita partes istius spiritus, simul confunduntur cum partibus aeris. Sed dicit Ioannes, nec potest dici, quia ex hoc sequitur, quòd iste spiritus erit discōtinuus in partibus suis, ergo & res quæ uidebitur, apparebit discontinua, quia eo modo res uisa uidetur a nobis, sicut representatur ab isto spiritu, cum autem iste spiritus discontinuus sit, non potest nobis præsentare rem continuam, quare nec hocmodo, quare falsum est, quod uisio in nobis fiat per extremissionem alicuius rei extra oculum. Tertium argumentum Ioannis est, quia omnino uidetur præter rationem, quòd a parte corporis. tam parua, sicut est pupilla oculi, exeat corpus quod diffunditur ad tantam distantiam, ut occupet tantum spatium, quantum est totum hemisperium, non enim potest contineri, in corpore. Tam paruo, corpus illud, quòd occupet tantum spatium, ut est inter cœlum & terram, ideo impossibilis omnino est hæc opinio. Aliqui autem fautores huius opinionis, conantur ipsam defendere, & dicunt, quòd non est uerum, quòd in uisione ipsius cœli erumpatur ab oculo tantus spiritus, qui diffundatur, per tantam extensionem, ut attingat omnes partes cœli, sed in uisione, exit spiritus ad tantam partem aeris, & inde non transit, sed ad eam partem aeris occurit lumen, quod egreditur A corpore uiso, & ita illud lumen egreditur a re uisa, ibi commiscetur, cum spiritu, & fit uisio. Sed huic euasioni obiicit Ioannes, quia si ita esset quòd uisus non attingeret corpora cœlestia, quomodo ergo Astrologi scirent motus, formas, distantias, & quantitates stellarum. Secundo dicit Ioannes, ego quæram de isto spiritu egrediente ab oculo, an sit corpus, & si est corpus, reprobauimus argumento supradicto, quia daretur penetratio corporum. Tertio quæram de illo lumine egrediente a corpore uiso, & occurrente spiritui, quid sit, an corpus, an qualitas spiritualis, si dicas quòd est corpus reprobabimus ex Arist. qui infra immediate dixit, lumen non esse corpus, si dicas, quòd est qualitas spiritualis, incorporea, ergo ex se potest uideri, sine emissione spiritus, ab oculo, quia nullam habebit resistentiam, quare, Quarto dicit, ego iterum quæram de isto spiritu egrediente ab oculo, nunquid sit linea, aut corpus, aut incorporeum, sed nullum horum potest dici, non ergo in uisione, necessarius est egressus alicuius rei ab oculo. Primum non potest dici, quia si exirent lineæ ab oculo, Cum lineæ non contingant, nisi in puncto rei uisibilis, quia eo modo apprehendimus rem, quo attingimus ipsam, neque potest esse corpus, uel mathematicum, uel naturale, quia si sit corpus, aut ita exit ab oculo, quòd rumpit illam partem tunicæ, quæ circundat corneam oculi, quia necesse est quòd transeat per illam partem tunicæ, quæ opponitur pupillæ, aut ergo frangit illam tunicam, aut non frangit, si non frangit, aut per poros istius tunicæ exit, sed nullum horum potest dici, ergo non est corpus iste spiritus, non potest quidem dici quòd frangat, quia ipsa tunica manet continua, & oculus remanet sanus, sicut patet ad sensum, non ergò illud corpus potest frangere, neque penetrare, quia non datur penetratio corporum, neque per poros exit, quia ostendit Arist. primo de generatione, quòd corpora naturalia carent uacuitate, etiam si essent pori, nihil sequeretur, quia isti pori continentur a parte solida, aliter esset totum uacuum, non autem porosum, ergo sequitur quòd iste spiritus exiens ab oculo, diuideretur in partibus suis, quia pars spiritus, quæ opponitur parti solide ipsius tunicæ, non potest transire, ergo diuiditur in partibus suis, ergo res uisa non appresentabitur oculo continuo, in partibus suis. Sed diuisa, sicut & spiritus, esset, enim per cerebrum perforatum, quare ergo nec iste spiritus exiens ab oculo, potest esse corpus, si dicas, quòd ille spiritus exiens ab oculo, est qualitas quædam spiritualis, incorporea, contra arg. Ioannes, quia aut in hac qualitate est facultas uidendi, aut non, si in hac qualitate est facultas uidendi, ergo uisio. Sed cum hæc qualitas recipiatur, in re uisa, ut in ligno, uel in aliquo alio inanimato, recipitur enim hæc qualitas in re uisibili, si debeat uideri, ergo in re uisibili erit uidendi uis, ergo uisio, si autem res uisibilis sit corpus inanimatum, ut lignum, ergo lignum habebit uim uidendi, & uisionem in se, quod absurdissimum est, si dicas quòd ista facultas non est uis uidendi, quid faciet, ergo sequeretur, quòd in occursu istius qualitatis, ad rem uisibilem non fiet uisio, cuius oppositum dixit Plato, quare patet quòd illa res, quam dixit Plato, extramitti extra oculum, non erit nec linea, nec corpus, nec qualitas incorporea, ergo nihil erit, ergo opinio Plat. uero erit uera, quòd scilicet uisio fiat per extramissio-

nem alicuius rei, ab oculo ad rem uisam.

Sed adhuc non nulli mathematici, alio modo exponunt opinionem Plat. quòd scilicet Pla. uoluit, quòd uisio fieret per extramissionem, id est, quòd ab oculo exiret proprium lumen, & cum lumine extrinseco postea puta Solis, aer inter medius disponeretur ab utroque lumine, ad recipiendum simulachrum rerum, quæ accederent ad oculum, & ita aer ueniret illuminatus, duplici lumine, & ita dicunt isti, hæc est opinio Pla. Sed nec hæc opinio caret difficultate, quia ex Aristot. habemus famosam propositionem, quòd omne recipiens debet esse denudatum a natura recepti. Cum autem uisus uideat lumen, debet illo carere, & si aliqua animalia uideantur habere lucem in oculo, sicut in nocte, oculi illorum animalium non sunt perfecti, nec perfecte uident, nec possunt apprehendere lucem, & etiam illud lumen non est in oculo, sed in spiritibus, sicut multoties exfricatione oculorum apparet lumen, quia spiritus inflammatur. Secundo est argumentum Ioannis, quia aut in hoc lumine est facultas uidendi, & ita erit uisio, ergo in aere erit uisio, si autem in hoc lumine non erit facultas uidendi, in congressu ergo istius luminis, cum simulachro rei uisæ, non fiet uisio, & ita patet quòd hæc opinio Platonis, & aliorum, nullo modo est uera, quia non est uerum, quòd in uisione requiratur extremissio alicuius rei ab oculo. O ad argumentum, quia tertio metheororum dixit uisionem fieri ex congressu rei uisibilis, cum re extramissa, ab oculo. Dico quòd ibi Arist. loquutus est secundum opinionem Plat. quia non reprobauerat opinionem ipsius, & ibi assumpsit opinionem Platonis, quia ex ipsius opinione non uariatur ueritas rei, sicut si dixisset suam opinionem, & quando non uariatur ueritas, Arist. utitur opinione aliorum, pro maiori cautela.

Lectio LXXXIX.

SED adhuc est opinio Gal. qui exponit nobis mentem Platonis, & uidetur rectior expositio, in septimo de Placitis Hipp. & Platonis, & primo improbat opinionem Aristot. qui uult quòd uisio fiat in nobis non per extramissionem alicuius rei ab oculo. Sed quia res uisa imprimat suum simulachrum in sensu uisus, Galenus reprobat hanc opinionem, quia si per pupille exiguum foramen inspicimus, quòd si in uisione expectaret ut partem aliquam, ut facultatem, aut simulachrum, aut qualitatem ex corporibus extrinsecus obiectis ad se accederet, rerum magnitudinem nullomodo prospiciemus, quia tam paruum est illud foramen, ut non possent ingredi ista simulachra rerum habentium magnitudinem. Videmus autem, ergo. Non enim uideo, quomodo simulachrum. Tam magnum, sicut est illud cœli, uel aliquorum montium, posset ingredi, & penetrare, per tam angustum foramen, ideo Gal. consentit Plato, In hoc dicens, quòd omnis sensus in sui operatione indiget instrumento proueniente a cerebro, quod est spiritus animalis, mediante enim hoc spiritu animali fiunt omnes sensationes, & cum impeditur transitus huius spiritus a cerebro, ad organa sensus, statim deperditur sensus, & ita hic solus spiritus animalis proueniens a cerebro, defert omnibus partibus corporis propriam facultatem sentiendi, & hic spiritus animalis est corpus tenue genitum ex spiritu uitali, perfectius concocto, quippe qui cum oportet ipsam exquisitissimam immutationem adipisci, dicit Gal. & perficitur in sinibus cerebri hic spiritus, & cum omnes sensus in sui operatione indigeant hoc instrumento, cū sensus uisus sit perfectissimus sensus, ideo maiori quantitate indiget huius instrumenti, ideo natura in interiori parte cerebri posuit neruos, qui obtici appellantur, qui sunt perforati, habentes concauitatem in medio, & sunt maiores aliis neruis, ut maior copia instrumenti, scilicet spiritus uitalis, posset deferi ad organum uisus, & isti nerui ingrediuntur oculos, & terminantur ad radices oculorum, per quos neruos defertur hic spiritus animalis, qui spiritus est corpus, sua natura tenuissimum, & propter hoc dixit Plato, quòd instrumentum uisus erat ignis purus, non urens, qui est spiritus animalis. Vnde recte dixit Empedocles, ignem igne comprehendimus, id est, spiritu animali qui purus ignis est, apprehendimus lumen Solis, & dixit ultimò, quòd ex quo istud corpus igneum est, ideo lucidum est, quia debet esse instrumentum apprehendendi colores, & ideo dicit Gal. secundum opinionem Platonis, hic spiritus, sic sui natura lucidus, in uisione non tantum deriuatur a cerebro, ad oculos, & per ipsos diffunditur, sed ab oculis erumpit in partes aeris, & commiscetur cum aere sibi proximo, & cognato similique, ita quòd imprimit ei uirtutem uidendi, aer enim tantum illuminatum, uidelicet lumine Solis, est medium, sed non habet uim uidendi, cum autem commiscetur cum spiritu, imprimitur ei facultas uidendi, & ideo tantum hoc commixtum ex aere & spiritu, est instrumentum uidendi, & in hoc aere fit congressio duplicis spiritus, Tum externi, scilicet luminis Solis. Tum interni, scilicet spiritus, & ita ex congressu duplicis luminis, fit organum uidendi. Vltimo & hic est difficultas, quia iam diximus, quòd spiritus animalis erumpens ab oculo, commiscetur cum aere, & dum commiscetur imprimit ei facultatem uidendi. Sed ubi fit uisio. Nunquid in aere, minime, dicit Galenus. Sed decepti sunt isti qui dixerunt uisionem fieri in aere. Sed utitur tali congregato ex spiritu & aere. Tanquam instrumento,

mento, non quòd ibi sit facultas uidendi, neque ideo in ipso fit uisio, sed per ipsum deferuntur simulachra rerum sensibilium, per oculum ad facultatem uidendi, & ubi est ista facultas uidendi. O' dicit Gal. est in interiori parte cerebri, scilicet in sensu communi, sensus enim communis est qui apprehendit simulachra omnium sensibilium, & utitur istis sensoriis extrinsecis. Tanquam instrumentis, & hæc est mens Platonis secundum Galenum, quomodo fiat uisio in animali. Debetis aduertere in his dictis, quòd Plato non posuit facultatem horum sensuum exteriorum distinctam, & seiunctam. Sed una est tantum facultas, quæ omnia sensibilia apprehendit, & hic est sensus communis. Vtitur autem istis sensoriis extrinsecis. Tanquam instrumentis, & non posuit sensum communem seiunctum a sensu exteriori, quia secundum ipsum, nihil aliud sunt sensus exteriores, quàm sensus communis, & tantum unus numero sensus, ista autem extrinseca sensoria, habent facultatem apprehendendi sensibilia, & ita intelligendo opinionem Platonis. Euadimus argumenta Ioannis, quia non uult Galenus, quòd spiritus erumpens ab oculo accedat ad rem uisam, ita quòd diffundatur usque ad cœlestia corpora, sed uult quòd tantum exeat in aere, ad tantam distantiam, & ibi commiscentur cum aere, & faciunt eum sibi similem, & cognatum, quare puta quòd hæc difficultas erat etiam difficilis apud Græcos, quia diuersi sunt, ita ergo ex hac opinione Galeni, cessant duo argumenta Ioannis, primum quòd motus istius spiritus esset uelocior, quàm motus cœli, quia per totum hemisperium extenditur in momento temporis, non enim secundum hanc opinionem Gal. iste spiritus diffunditur per totum aerem, sed per certam partem tantum, Cessat secundum etiam argumentum, quòd scilicet ex corpore. Tam paruo, exeat corpus quod diffundatur in tantum spatium, nam non datur corpus extra cœlum, quod sit rarius, & maioris extensionis quàm ignis, & tamen si exiret ignis, non posset tantum spatium occupare, ergo a fortiori, illud corpus erumpens ab oculo posset tantum spatium occupare, neque istud argumentū aliquid cogit, in hac opinione Galeni, quia non uult Galenus, quòd ille spiritus diffundatur per totum aerem. Quid ergo dicendum, nunquid hæc opinio Pla. posit defendi. Dico quòd habet multas instantias, quas nescio soluere, si scitis uos soluere teneatis ipsam. Ego adducam difficultates, uos autem eas soluetis. Primo est ea difficultas, quam adduxit Gal. contra Arist. quia si spiritus animalis, & aer commixtus cum ipso spiritu sunt instrumenta deferendi simulachra rerum sensibilium ad sensum communem, quomodo possemus uidere tantam magnitudinem cœli & uastorum montium, quia simulachra tam magna, non possunt ingredi per tam paruum foramen, sicut est illud corneæ, soluat Gal. hoc argumentum pro se, & ego soluam pro Aristot. non enim Galenus uult quòd uisio rerum fiat extra oculum, sed uult quòd fiat aut in humore Glaciali, aut in sensu communi, quia ad ipsa feruntur simulachra rerum sensibilium, soluat ergo hoc argumentum Galenus. Nos facillime soluemus tenendo partes Arist. quia dicimus, quòd per foramen pupillæ, non ingreditur totum simulachrum rerum, quia res uisæ uidentur sub forma pyramidali, radiosa, cuius basis est res uisa. Angulus autem est in oculo, & illud simulachrum rei non ingreditur oculum, sed tantum angulus ingreditur, quicumque sit, uel rectus uel non, quare. Obstant etiam huic argumento, duo argumenta Ioannis, quia si ita est quòd in uisione, iste spiritus erumpens ab oculo, non extendatur, neque ad rem uisam, sed tantum ad certam distantiam in aere, & ad istam partem aeris deferuntur simulachra rerum uisibilium, quæ ergo est necessitas huius spiritus erumpentis ab oculo, nulla uidetur, quia sufficit nobis, quòd res quæ uidentur deferant nobis suum simulachrum in aere. Tum etiam quia quomodo erumpit spiritus ex illa parte oculi, quæ continua est, scilicet ex tunica ambiente corneam ipsam, non enim frangit illam membranam, neque penetrat, quia non datur penetratio corporum, neque exit per poros, ex Arist. primo de generatione, qui dicit, quòd corpora naturalia carent meatibus, ideo si essent pori nihil sequeretur, quia illi pori continentur a parte solida, aliter esset totum perforatum corpus, & uacuum, iste ergo spiritus erumpens, pars quæ opponitur parti solidæ tunicæ, non poterit exire, & ita diuidetur in partibus suis, neque etiam res uisa repræsentabitur continua, sed diuulsa in partibus suis, uidemus enim res eo modo quo repræsentantur nobis. Sed facillime etiam possumus soluere has duas dubitationes Ioannis, quia dicemus ad primum, quòd requiritur emissio spiritus ab oculo, ut commixtus cum aere deferantur simulachra rerum in aere, & ex aere ad sensum communem, secundum etiam facillime soluetur, quia dicemus, quòd hic spiritus erumpit ab oculo per meatus illius tunicæ. O' Arist. dicit quòd corpora naturalia carent uacuitate. O' Arist. intelligit de corporibus simplicibus, ut sunt elementa, quia ista corpora carent meatibus, non enim ipsis meatibus indigent, corpora autem mixta habent meatus, secundum naturam suam, sed dices, spiritus ergo iste erit diuulsus in partibus suis, ergo simulachrum rei repræsentabitur diuulsum. Dico, quòd si iste spiritus exiens diuidatur in partibus suis, nihil minus, quia comiscetur cum partibus aeris, fit instrumentum recipiens simulachrum rerum, sed

mihi

mihi magis obstant duo argumenta Alexandri, in libro de sensu, & sensato, contra hanc opinionem. Primum argumentum est, quomodo animalia existentia in aqua possent uidere si non fiat uisio, nisi spiritus uisualis erumpat ab oculo in partes aeris, quia hic non potest exire nisi exeat in aqua, tunc iste spiritus extinguetur ab aqua statim cum natura spiritus sit contrariæ naturæ ipsius aquæ. spiritus enim calidus est, aqua autem frigidissima, contraria autem contrariis destruuntur, si unum possit super aliud, cū autem maior sit frigiditas aquæ, quam caliditas spiritus, destruetur ipse spiritus, quomodo ergo ista animalia degentia in aqua, uidebunt, secundum istam opinionem. Iste autem Leonicus uolens saluare hanc opinionem dixit, quod iste spiritus non potest destrui ab aliqua qualitate, quia ipse nulla qualitate afficitur. Dixit enim Plat. quod erat corpus purissimum, nulla qualitate affectum. Sed non dissoluit argumentum iste homo, quia argumentum est hoc, quia spiritus est genitus, ergo corruptibilis, dicit. ergo Galen. quod est genitus ex parte puriori sanguinis, si genitus, ergo corruptibilis, & a suo contrario erit corruptibilis, non enim a simili. Tum arguo, iste spiritus est calidus & humidus, ergo a summe & ualde frigido destruetur, aqua autē est huiusmodi, & maior est frigiditas aquæ, quàm caliditas huius spiritus, ergo, quare mihi non uidetur, quod si uultis tueri partes Platonis, hoc argumentum est insolubile. Est aliud argumentum, quia tu dices, quod hic spiritus exiens ab oculo, sui natura est lucidus, ideo facit ad uisionem colorum, & comiscetur cum aere, & ex hac comixtione fit instrumentum uidendi, sequitur ergo, quod iste spiritus erit magis causa uisionis in nocte, quàm in die, quia ex se habet lucem, ex solaque comixtione sui ipsius cum aere, fit instrumentum uisionis, quare hoc non potest fieri, in nocte, sine lumine extrinseco immo non fieri poterit in die, erit uehementius lumen, & maius, quod offuscabit minus, & non permittet istud remissum lumen sentiri, quare ergo, tum fortius, quia nos dicimus, Solem uideri in suo ortu, & occasu, quia aer est repletus uaporibus elleuatis ab aqua, & terra, calidis & humidis, in meridie autem non possumus uidere Solem, quia iam dissoluit illos, uapores, & aer remanet purus, si ergo Sol potest suo lumine corrumpere hos uapores elleuatos ab aqua, quia sunt crassi, & densi, ergo magis poterit iste spiritus humidus dissolui, a radiis solaribus, & ipse tenuissimus est, & subtilis, ò certe statim dissoluetur, & corrumpetur iste spiritus, & ita in die non poterit fieri uisio, hæc sunt argumentum, quæ facit Alexan. aduersus Plat. & ipsa nescirem dissoluere, ideo est rectior ista opinio, quæ in uisione non ponit necessarium exitus spiritus ab oculo, bene uerum est, quod est spiritus ueniens a cerebro in oculum, usque ad humorem Glacialem, quia est tanquam instrumentum uisionis.

Lectio XC.

EXPOSITO primo problemate digressionis Ioan. quo nam pacto, scilicet fieret uisio, secundum enim Plat. fit per extramissionem alicuius rei ab oculo, perquirit Ioan. de secundo principali problemate, scilicet de lumine, nunquid lumen sit corpus, & primo dicit, quod non est corpus, & præter rationem Aristot. quod lumen non erat corpus, sed erat habitus & forma, priuatione enim contrariebatur tenebra, Vnde si tenebra est eius priuatio, ergo ipse actus est a forma, non ergo corpus, addit Ioan. alias rationes, ad probandum quod lumen non sit corpus, & primo arguit, quia nullum corpus subito mouetur, lumen subito mouetur, diffunditur enim subito, per totum hemisperium, ergo lumen non est corpus, maior patet de motu cœli, qui in tempore fit, quia cœlum corpus est, sed nullum corpus potest moueri uelotius, quam cœlum, ut probauit Arist. cum autem lumen uelotius moueatur, quia statim diffunditur & illuminat totum hemisperium, ergo lumen non est corpus, secundo addit Ioan. si lumen est corpus, aut est corpus simplex, aut compositum, sed nullum horum, ergo neque corpus, probatur, primo quod non sit corpus simplex, quia si esset corpus simplex, aut circulariter mobile, aut recte mobile, si recte mobile, aut sursum tantum, aut deorsum tantum, sed nec sursum, nec deorsum determinate mouetur, ergo non recte est mobile, quod non determinate sursum, nec determinate deorsum moueatur, patet quia lumen equaliter diffunditur per totum aerem, & ad partem superiorem, & inferiorem, non ergo recte mobile, nec circulariter mobile, quia mouetur recta linea, & hoc probat Ioan argumento perspectiuorum, si enim habeamus tabellam, in qua sit foramen angustum, & per illud foramen faciamus transire aliquod lumen, sicut lumen candellæ, & ex aduerso huius tandellæ perforatæ ponamus aliam tabellam non perforatam, tunc uidebimus lumen exiens per formen tabellæ recta linea productum, usque ad aliam tabellam, & ibi reflecti, quare ergo lumen per rectam lineam mouetur, ergo nec circulariter mouetur ipsum lumen, probauimus quod nec mouetur sursum, nec deorsum tantum, & ita nec est recte mobile, nec circulariter mobile, ergo lumen non est corpus simplex, nec etiam corpus mixtum, quia omne corpus mixtum, mouetur motu elementi prædominantis, scilicet aut tantum sursum, aut tantum deorsum, & ita

determinare

determinate mouetur. Dixit autem quòd non determinate mouetur, sed ad omnem differentiam positionis mouetur, ergo ipsum lumen non est corpus mixtum, quare nec aliquo modo est corpus, nec enim est simplex corpus, nec mixtum. Tertio arguit Ioan. quia si lumen esset corpus, cum sit illuminatio aut adueniente ipso lumine, aer ipsi cedit, aut nullo modo cedit, aut partim cedit, & partim non cedit, sed nullum horum fit, ergo nec corpus esse potest; non enim adueniente lumine, aer cedit totaliter, quia si sic, esset lumen, non esset aer, ergo in illo loco, in quo esset lumen, animalia non possent respirare, ergo in die non posset respirare animal, experientia autem est in contrarium, ergo aer non totaliter cedit, neque possumus dicere, quòd nullo modo, quia si lumen non esset corpus; daretur penetratio corporum, & dimensionum, cuius oppositum dixit Aristot. quarto physic. ubi probauit non dari penetrationem dimensionum, non ergo possumus dicere, quòd nullo modo cedat lumini aduenienti; neque partim cedat, partim autem non cedat, ut scilicet hæc corpora ad partes minimas diuidantur, & simul comisceantur, sicut fit in aqua cum comiscetur cum uino, quia tunc nulla pars aeris esset illuminata; ibi enim essent partes luminis, non esset aer; hoc autem est falsum, quòd aer partim cedat; partim non cedat lumini aduenienti, ergo lumen non est corpus.

Vltimo arguit Ioan. quia si lumen esset corpus, sequeretur quòd aer illuminatus esset crassior, & densior se ipso non illuminato, si enim comiscetur cum altero corpore, rationabiliter debet fieri crasior & densior, contrarium autem apparet, immo cum aer magis illuminatur, efficitur subtilior & purior, ergo nullo modo lumen est corpus, dicit Ioan. sed tu dicis, contra hoc ultimum argumentum Ioannis, quia hoc argumentum non uidetur cogere, ex quo enim, quòd aliquod corpus comisceatur cum aliquo, non propter hoc sequitur, quòd illud corpus fiat densius, non enim cogeret hoc; si corpus adueniens, ut illud quod comiscetur cum aere esset rarius ipso aere, immo etiam aer ipse rarefceret, non condensaretur, sicut uidemus, si comisceamus aquam cum terra, quòd ipsa terra non condensatur, sed rarefit, quia comiscetur cum corpore rariori, quàm sit ipsa terra, sicut ergo dicimus de aqua, respectu terræ, ita dicemus de lumine respectu aeris, quòd scilicet lumen sit corpus rarius, quàm sit aer, & tunc argumentum nihil coget, uolens Ioan. subterfugere hoc argumentum, quia ipsum uidit. Dixit, quòd in sua ratione supponit, quòd hæc corpora remaneant, in eodem loco & non detur alius locus, in quo recipiatur corpus adueniens, ut lumen, tunc nostrum argumentum cogit, quia oportet, quòd condensentur hæc corpora si non est locus, in quo recipiatur corpus adueniens, sed dices tu, nos ponimus, quòd cum aduenit lumen, ista duo corpora exurgant in maiorem locum, & tunc parum coget hoc argumentum Ioannis, alia argumenta quæ supra ponuntur, magis cogunt, & ita patet hoc secundum problema, Ioannis de lumine, probauit enim quòd lumen non est corpus.

Lectio XCI.

IDEO sequitur tertium problema quærendum, in quo Ioan. multum euagatur, & multa argumenta facit, & nos etiam addemus plura, & faciemus rationes Ioan. euidentiores, est ergo tertium problema Ioannis, quid nam senserit Arist. de his duobus problematibus, quæ supra diximus, scilicet quomodo fiat uisio, & hoc est primum, secundum est an lumen sit corpus, an non. Dico de primo, dicit Ioan. quòd Arist. uoluit; quòd uisio fiat per simulachra & imagines a uisibilibus receptas, in oculo, per medium aerem, ita sentit Arist. Dicit Ioan. de primo problemate, & dixit quòd ista simulachra rerum uisibilium, sunt qualitates spirituales, non autem corpora, recipit enim sensus, propria sensibilia extra materiam, sunt ergo iste imagines latentes corpore, sed qualitates incorporeæ, spirituales autem, ostendo quòd ita sit, dicit Ioan. quòd iste imagines careant corpore, primo quia uisus dum apprehendit colores non afficitur istis coloribus, non enim oculus in uidendo efficitur albus; uel niger, non ergo sunt corporeæ iste imagines, quia si essent corporeæ, afficerentur coloribus oculi, sicut qualitates uere afficiũt corpus, in quo sunt, ut parietes, uel cartam uel aliquod aliud subiectum. tum ex alio patet dicit Ioan. quia si iste imagines essent corporeæ, uel naturales, sequeretur quòd sicut producuntur a qualitatibus contrariis, ita iste imagines essent contrarie; hoc autem est impossibile, quia simul imprimuntur in eadem parte aeris, si debent uideri, possumus enim simul uidere duo corpora, quorum unum nigrum aliud album sit, sed omnis uisio ex simulachro fit, rerum ipsarum, producto per rectam lineam in aere ad oculum, ergo eadem pars aeris habebit simul rei nigre, & rei albæ, simulachrum, ut si uideamus, duos homines quorum unus albus sit, alius uero niger, si simul ipsos uidemus; necessarie est quòd deferantur simulachra sui recta linea ad oculum medium, iste autem lineæ ambo recte uenientes ad oculum nostrum intersecant se in puncto, scilicet in parte aeris, quia obuiant se, ergo in eadem parte aeris, erit simulachrum albi, & nigri, & contraria erunt simul in eodem subiecto, contraria autem naturalia non possunt esse simul loco,

ergo iste imagines rerum uisibilium, non sunt naturales, nec corporeæ, deferuntur tamen iste qualitates ad sensum uisus, mediante aere, sicut actio ignis, fertur in corpus distans, per medium sui, qualitate, & ita hæc est sententia Arist. de primo problemate, quomodo scilicet fit uisio in animalimalibus. De secundo problema tedicit Ioan. scilicet de lumine. Dico, quòd Arist. tenet quòd lumen sit qualitas spiritualis, non autem corpus, quia est actus & forma, qui habet priuationem oppositam, scilicet tenebram, & umbram, umbra enim est priuatio primi luminis, quia sicut alias dixi, differt lumen a luce, quia lux est qualitas, quæ est in Sole, lumen uero est simulachrum istius qualitatis, & hoc appellatur primum lumen, est terrium lumen, non tamen est processus in infinitū, sicut diximus, ita ergo umbra est priuatio primi luminis, scilicet priuatio simulachri lucis, sed remanet postea simulachrum primi luminis, & hoc est secundum lumen, tenebra autem dicit priuationem omnis luminis, & primi, & secundi, & tertij, quod enim est tenebra, est priuatio lucis, simpliciter, secundum ergo Arist. lumen est qualitas spiritualis. Sed contra hæc quæ diximus uarias dubitationes affert Ioan. Dubitat primo Ioan. qnia tu dicis, secundum sententiam Aristot. quòd hæ qualitates per quas fit uisio, scilicet simulachra rerum uisibilium, sunt spirituales. Dubitatur primo, qnia si ita est, quomodo ergo hæ imagines, & etiam ipsum lumen, & quomodo dicis ipsum spirituale, quomodo igitur de his dicitur reflexio, reflexio enim est propria passio corporis, quomodo ergo his conueniet hæc passio, si incorporea sunt, confirmo, dicit Ioan. quia omnis reflexio fit ad angulum obtusum, omnis ergo reflexio est ad angulum, angulus non est dimensio, dimensio est passio magnitudinis, magnitudo autem corporea est, quare hæ imagines corporeæ erunt. Secundo arguit Ioan. quia si lumen est qualitas spiritualis, quomodo ergo Sol mediante aere calefacit aerem, aer enim calefit ex atritu duorum corpornm, lumen autem ex qno incorporeum est, non atterit, quomodo ergo calefacit. Tertio arguit Io. quia si iste imagines rerum uisibilium, sunt spirituales, similis ergo erit productio harum qualitatum rebus sensibilibus, si similis productio, ergo similis deberet esse apprehensio sensuum, cur ergo cum audimus sonos qui fiunt retro ad nos, qui sunt a tergo. Respondit Ioan. Dico ad primum, cum dicis, si iste imagines, & lumen ipsum sunt spirituales qualitates incorporeæ, quomodo ergo dicuntur reflecti, cum reflexio conueniat corpori. Dico dicit Ioan. quòd ista reflexio horum metaphorica est, & improprie dicta, non reflectuntur hæ qualitates, sicuti corpus a corpore, sed debemus imaginari, quòd lumen reflectitur, id est impeditur ab operatione sua, quia si intendebat procedere per rectam lineam, impeditur autem a corpore solido, & terso, & ita quod non potuetunt complere uia recta, obliqua perficiunt, & ita hæc reflexio improprie dicta est. Quod addebas, quia ista reflexio fit ad angulum. Dico etiam metaphoricæ fit reflexio ad angulum realiter, si enim incorporea sunt, non possunt causare angulum, sed etiam metaphoricæ dictum est, quia sicut in reflexione corruptibilium fit angulus circularis, ita iste qualitates spirituales causant angulum improprie, & secundum spiritualitatem. Quod dicis secundo, quia si lumen non est corpus, quo modo potest calefacere aerem, generatur enim calor in aere, ex attritione duorum corporum, dico, quòd ideo Sol calefacit aerem, mediante lumine, non quia producat calorem in aere, sed quia excitat calorem innatum, ipsi aeri, exemplum dicit, Ioan. anima quæ caret corpore excitat calorem innatum ipsi animali, ideo calefacit ipsum animal, sicut etiam ira calefacit, quia excitat calorem innatum. Sed dices, dicit Io. cur lumen solis reflexum ad angulum rectum sicut in estate & in meridie, magis calefacit, quàm reflexum ad angulnm obtusum, O' dico dicit Ioan. ideo radij solis reflexi ad angulum acutum maiorem producunt calorem, quia sub angulo acuto minorem portionem aeris intercipiunt, ideo magis in eo excitant calorem innatum, minor enim portio aeris uehementius calefit, ab eodem agente, quàm maior, quia ab eodem agente facilius est transmutare minus passum, quam maius, sed hoc quod dicit Io. ualde remotum est a ueritate, quia nullum est calidum innatum aeri, quia calor innatus est substantia uaporosa, quæ in animali generatur ex puriori parte sanguinis, in plantis autem ex puriori parte alimenti, nullus ergo est calor innatus in aere. & uaporosus, & si est in aere aliquis aer uaporosus, non est innatus illi, sed extraneus, scilicet elleuatus ab aqua, ò si dicas, non ne in aere est calor, est enim qualitas calida in aere, quia aer est calidns & humidus. Dico, quòd calor qui est in aere, est qualitas simplex, & non posset excitari in corpore. Tum etiam quòd lumen calefacit aquam, nullus enim calor innatus in aqua, cum sui natura frigidissima sit, quomodo ergo aqua calefit a lumine Solis, quid dices, tum etiā quia lumen simplex sine reflexione poterat calefacere ipsum aerem, cum illud lumen sit intensum, & magis poterit excitare calidum innatum ipsius aeris, quod tamen falsum est, non enim calefacit uisi reflectatur, ideo dico, sicut dixit Arist. secundo cœli, quòd ideo Sol calefacit hæc inferiora lumine, & tamen lumen non atterit, ò calefacit sui reflexione, quia scilicet est lumen reflexum, quia hoc conuenit ei ex sua natura,

sicut

ſicut homo ex ſui natura uiſibilis eſt, & ita lumen ſimplex per accidens eſt cauſa caloris, ſcilicet quia reflectitur, lumen autem reflexum, eſt cauſa caloris, quia eſt lumen reflexum, & tunc ſequitur, quòd ubi eſt maior reflexio, eſt etiam maior cauſa caloris, & quòd ſit reflexio ad angulum rectum, unde in eſtate eſt maior calor, quia maior ſit reflexio, etiam in locis ualoſis, & conualibus maior eſt calor, quàm in ſuperficie eminente, & ſuperficie moutium, quia reflexio ſit ad angulos rectos, & magis uniuntur radij, ſicut etiam maior calor perducitur ex reflexione radiorum in ſpeculo concauo, quàm in connexo, quia uirtus unita eſt maior ſe ipſa diſperſa. De tertio quod dicis, quòd ſimilis eſt productio omnium imaginum ſenſibilum, quare non uidemus poſt terga colores, ſicut audimus ſonos, ideo reſpondit & bene, quia uiſus non recipit ſimulachra a uiſibilibus, niſi uiſibilia ei recta linea opponantur, quia ad hoc, ut fiat uiſio, neceſſario eſt quòd ſimulachra rerum, recta linea imprimantur in oculo, quæ eſt cauſa huius, ò natura ita diſpoſuit, ut ſenſus uiſus, non apprehenderet ſua uiſibilia, niſi recta linea ei imprimantur, auditus autem poteſt recipere ſui ſimulachra a latere, & per poros obliquos, uiſus autem non niſi uia recta.

Lectio XCII.

SED eſt dubitatio conſequens, quia ſecundum Ariſt. uiſio fit non per extramiſsionem alicuius ab oculo, ſed per ſimulachra, a uiſibilibus recepta in oculo, per medium aerem, eſt ergo dubitatio, quia quomodo poſſunt uideri ingentes imagines rerum uiſibilium, impoſsibile enim eſt, quòd per tam anguſtum foramen poſſint ingredi tam ingentia ſimulachra, & ita Ariſtot. non poterit euadere hoc argumentum, bene Plato poteſt euadere, quia dixi ſecundum opinionem plurium expoſitorum, quòd opinio Plat. erat, quòd uiſio fiat, eo quòd ſpiritus exeant ab oculo, uſque ad rem uiſam, & ab ipſa reflectuntur, & ſecum differunt ſimulachrum rei uiſibilis, attamen, quia Ioan. pluribus argumentis inſtabat contra hanc opinionem. Tum quia quomodo iſte ſpiritus poteſt defundi, ad tantam diſtantiam. Tum etiam quia eius motus eſſet uelocior motu cœli, ideo Galen. uolens euitare hoc argumentum Ioannis alio modo expoſuit nobis mentem Platonis, & ita inquit, Galen. (quicquid dixerim ſuperius domini, etenim non bene expoſueram mentem Galen.) inquit ergo Galen. uiſio fit in nobis mediante aere, quia utitur ipſo aere tanquam baculo, ſed quia reddit ipſum aerem ſibi ſimilem, & cognatum, quia ipſi aeri imprimit uirtutem uidendi, imprimit enim qualitatem peruenientem a cerebro, dicit ergo Gal. in fine ſeptimi de placitis Hippocr. & Plat. & primo de Loc. aff. & in libro de ſemine & alibi pluries, inquit ergo, quòd in nobis ſunt duæ uirtutes, ſcilicet uirtus animalis, & uirtus naturalis, & dicit, quòd differunt iſte duæ uirtutes, quia naturalis uirtus, eſt inſita membris ſuis, ſicut uirtus magnetis, eſt infixa in magnete, & ibi ſtat hæc uirtus, quia hic eſt ſuus proprius locus, uirtus uero animalis non immanet membris ſuis, & ibi inſita, ſed continue effluit propriis membris, ab ipſo cerebro, non autem eſt immanens ipſis membris, in quibus fit operatio huius uirtutis, ſicut uirtus naturalis ipſis membris, quibus inſita eſt eiſdem quoque immanens, ſed continue demandatur a cerebro ad hæc membra, & quomodo cerebrum influit hanc uirtutem ipſis membris, ò mediantibus neruis inquit Galen. influit hanc uirtutem, & diuerſimode, cerebrum influit hanc uirtutem membris, aliquibus enim membris influit ſolo neruo, eo quia cerebrum influit hanc uirtutem neruis, ſine ipſa, & ipſi nerui dant ipſam ſine ſpiritu. Aliquando cerebrum influit membris hanc uirtutem ſimul cum ſpiriritu, & hoc eſt ſpeciale ipſi uiſui, quia demandatur hæc uirtus a cerebro ſimul cum ſpiritu ipſo, ad organū uiſus per neruos obticos, & ideo inquit Gal. ſoli nerui illi continui, & perforati ſunt, ut multa uirtus per ipſos ad ſenſum uiſus poſsit tranſmitti. Vltimo dicit Galenus, hæc uirtus naturalis, quæ ſic trāſmittitur a cerebro, nō ſolum tranſmittitur ad ſenſum uiſus, ſed ad totum corpus, & hæc uirtus conuenit ſolū ſenſui, ſed omni mutationi, & actioni, quæ fit in corpore. ſ. & uirtuti quæ fit ſecundū locum mouendi. Vnde dicit ipſe, arteriæ dilatantur & conſtringuntur, per uirtutem tranſmiſſam, a corde, quicquid dicat Ariſtot. quòd dilatantur, quando in ſe recipiunt ſanguinem arterialem, conſtringuntur cum ipſum emittunt, ut alio exemplo, hoc patet inquit Gal. quia nos dicimus teſtes tranſmittere, & effundere per totum corpus uirtutem quandam uitalem. Vnde Eunuchi, cum carent illa uirtute, efficiuntur effeminati, emittitur, ergo dicit Gal. uirtus animalis ſimul cum ſpiritu a cerebro, ad organum uiſus. Vltimo dicit Gal. hæc uirtus ſimul cum ſpiritu peruenit ad ſuperficiem interiorem oculorum, & quid faciunt. O & in iſtis ſpiritibus, eſt uirtus uidendi, communicant iſti ſpiritus hanc uirtutem aeri exteriori, circumfuſo, ipſi oculo, dicit Galenus, neceſſe eſt tamen quòd aer ſit illuminatus, ſi debet recipere hanc uirtutem, neque cuicunque parti aeris præſtatur hæc uirtus a ſpiritibus, ſed alicui parti tantum, per aliquam diſtantiam, aliquando magis, aliquando minus, ſecundum quòd organum eſt bene diſpoſitum, & hæc uirtus impreſſa aeri, infunditur ſubito, & in momento temporis, ab ipſo cerebro, ſicut lumen a cœlo, & pendet in eſſe

& conseruari ab ipso cerebro, non autem quòd insita sit alicui membro, & patet inquit Galenus, quòd si obstruuntur nerui, per quos transmittitur hæc uirtus, ut non amplius possit transmitti ad membra, statim deperdit ur motus, & lumen in ipsis membris, itaque ergo secundum opinionem Galeni, spiritus non erumpit extra oculum, in partem extrinsecam, bene inquit Galenus uirtus uidendi exit in oculum, in parte exteriori aeris, & ibi in aere imprimitur hæc uirtus, sicut & carni, quæ caro ex sui natura est expers sensus, tamen si pungetur sentit mediante illa uirtute, impressa ei ab ipso neruo propinquo, & ita non inconuenit quòd sicut caro, quæ ex sui natura est expers, sensus tactus, a neruo recipiat uirtutem sentiendi, quia ipsi neruo similis est, ita etiam aer illuminatus, ex quo est similis spiritui, quia sicut spiritus lucidus est, ita aer est illuminatus, recipiunt uirtutem uidendi a spiritu sibi proximo, ex quo sequitur quòd uisio fit per extramissionem, alicuius scilicet uirtutis uisiue, in ipso aere, & ita uidemus mediante aere, quia in aere fit uisio, aer enim fit recipiens uirtutem uidendi, in eo est facultas uidendi, non intelligatis tamen, quòd in ipso aere principaliter sit facultas uidendi, quia secundum Platonem principaliter est in ipso sensu communi, secundum Galenum autem est in cerebro, quia cerebrum secundum Galenum est principium omnis sensus, & motus, itaque in aere non est principaliter facultas uidendi, sed utimur aere mediante organo, sequitur inde dicit Galenus, quòd recte dixit Pla. cum dixit, uisionem fieri ex concursu duplicis luminis. Tum extrinsecis. Tum interioris. Tum scilicet spiritus imprimentis uirtutem, aeri. Tum ipso aere illuminato, deinde addit Galenus, quòd Arist. omissa sua opinione necessario est confugere ad hanc opinionem Platonis, quòd scilicet fiat uisio, per extramissionem uirtutis uisiue, a spiritu interiori, ad aerem ambientem oculum, in tertio enim lib. metheororum declarans quomodo fieret uisio ipsius iridis, & antesolani, & absolani, uel etiam quomodo in speculis uisiones fierent, omnia hæc in refractione uisionis, refert enim quòd iste erant apparentiæ, & reflexiones uisus, nihil interesse affirmans, siue intuitum ipsum, siue aeris ambientis, ex rebus quæ uidentur alterationes refrangi, ac reflecti existimamus, quare ergo necesse est Aristotelem confugere ad hanc opinionem, & ita uos habetis opinionem Galeni, ex qua soluuntur omnia fere argumenta Ioannis contra Platonem, soluitur enim illud, quod dicebat, quòd est impossibile, quòd hic spiritus diffundatur per tantum spatium, sicut est totum hemisperium, non enim uult Galenus quòd spiritus exeat oculum. Soluitur illud, quomodo piscis uideret in acqua, quia ex frigiditate aque destruentur isti spiritus, non enim uult Galenus, quòd exeant extra oculum spiritus, & ita uidetis, quomodo Galenus exponat nobis mentem Platonis. Nullus enim aliorum expositorum Platonis, ita nobis exponit mentem ipsius. Et ideo uideamus, nunquid hæc opinio possit saluari, nec ne. O' maximas patitur difficultates, hæc opinio Domini, quas si soluetis poteritis tenere opinionem ipsius Galeni, ego nullam uiam uideo soluendi ipsas, stando in principiis naturalibus, & philosophicis, longe absit a philosophia hæc opinio, primo contra hanc opinionem, ego utor argumento Ioannis, quia si uirtus uisiua sit in aere ambiente oculum, ibi erit facultas uidendi, uisio autem est operatio uitalis, ergo ibi erit uita in aere, quod tamen est falsum, quia aer caret uita, Galenus uolens obuiare huic argumento. Respondit, & dicit, uisum est hoc absurdum Aristoteli, aerem esse capacem sensus, cum tamen cerneret insensibilem, fieri habilem ad sensum percipiendum, uirtute emanente a cerebro, transmissa ipsi carni, per neruum proximum. O' nihil absurdi habet in se Galenus, quòd ita etiam aer carens uisione recipiat uirtutem uidendi a spiritu ipso existente in oculo, & addit Galenus iste spiritus sic exiens a cerebro ad partes oculi, plurima sui parte remanente in cerebro, & per hunc spiritum demandantur omnes operationes animales, omnibus partibus corporis. Vnde dicit Galenus, aut iste spiritus anima est, aut si non est materia, est maximum uehiculum animæ, quia hoc spiritu communicat omnibus partibus corporis, & in hanc sententiam dicit Gal. cogitur uenire Arist. & omnes stoici, erat multum iratus cum Arist. iste homo. Sed Domini, hæc opinio habet infinitas difficultates, & primo non euadit argumentum Alexandri, quia ita arguo, uisio etiam operatio uitalis, non est sine potentia uitali, potentia uitalis, non est semper sine actu uitali, actus uitalis, est ipsa uita, & anima, ergo si in aere est uisio est uita, & materia, quia omnis naturalis potentia, est cum eo cuius est naturalis potentia, neque exemplum Galeni, aliquid probat, quòd scilicet dicit quòd sicut quæ carent sensu, accipiunt sensum a neruo, ita aer possit accipere uisionem a spiritu, nihil est hoc, quia caro apud Arist. sentit, non quòd habeat hanc uim sentiendi a neruo, immo secundum Arist. principalius sentit caro, quàm neruus, ergo diceret Aristot. quòd caro non habeat sensum a neruo, sed habet animam, quæ est in membris insita. Secundo perperam loquitur Galenus de anima, quia dicit quòd aut hic spiritus est anima, aut ipsum uehiculum animæ, sed in superiori anno ostendi uobis, quòd anima non potest esse corpus, quia anima est, cum eo cuius est anima, id est animatum ipsum, simul loco sunt, si ergo animatum est corpus, anima non

poterit

poterit eſſe corpus. Tum quia ſi anima eſſet corpus, ut ſpiritus animalis continue flueret, & Socrates non eſſet idem Socrates anno futuro, uel die craſtina, quia iſte ſpiritus continue generatur & continue corrumpitur, & continue fit mutatio.

Lectio XCIII.

TERTIO principaliter, quia abuſiue loquitur Galenus de potentiis animæ, ſicut enim ſe habet tota anima ad totum corpus, ita pars animæ, parti corporis, loquor de potentiis animæ, ſcilicet uegetatiua, & ſenſitiua, quia rationalis non diuiditur diuiſione corporis. Vltimo, ſed tota anima eſt in toto corpore actus in ipſo permanens, ergo illa pars animæ, quæ ineſt parti corporis, eſt anima, quæ continue ineſt ei, quæ conſeruat, & miniſtrat iſti parti, non ergo influitur uirtus a cerebro, iſtis membris. Secundo arguitur, quia oculus habet nomen, & definitionem a uirtute uiſiua, quia habens eam uirtutem, eſt oculus uerus, non habens eam eſt oculus equiuoce, ſicut oculus pictus, ergo uirtus illa uiſiua, non eſt qualitas influxa a cerebro, quia ſic ſubiecta eſſet uniuoce talis, & haberet nomen & definitionem ab accidenti, quare eſt contra Ariſtotelem, & falſum. Tertio arguitur quod magis uidetur cogere, quia iſte potentiæ ſenſitiuæ, ut potentiæ uidendi, uitales ſunt, ita debent habere ortum ab anima, & uita, quæ eſt eius principium, quàm a cerebro, quod caret uita, nec ipſum uita eſt, non ergo recte dicit Galenus has potentias habere principium a cerebro.

Quarto, quia non euadit Galenus argumentum illud, quo uſus eſt contra Ariſtot. ſcilicet, quomodo poſſumus uidere ingentem magnitudinem, quia non poteſt ingredi tanta magnitudo per tam anguſtum foramen, ideo dicit Gal. diffunditur uirtus uiſiua per aerem, & fit uiſio in aere ambiente oculum, quia aer habet hanc uirtutem in ſe. Quod dicit Galenus, quia dixerunt omnes, quòd duo ſenſus poſſunt apprehendere unam rem, qui ſenſus ita diſtincte percipit magnitudinem, ſicut ſenſus uiſus, Galenus uidit hoc argumentum, & dicit, quòd tactus non recipit magnitudinem per ſe, quia in ſolo uiſu extramittitur uirtus in aere extrinſeco, & in hoc deffectiuus eſt Ariſtot. quia non dixit, quomodo apprehenduntur ſimulachra rerum per uiſum, ſed non euadit Gal. quia experientia patet, quòd in memoria ſeruatur, & remanet ſimulachrum ingentis montis, ergo oportet quòd hoc ſimulachrum tranſeat & penetret per foramen anguſtum ipſius pupillæ, quid ergo dicet Galen. ſecundo quia dicit nobis Galen. ſi in aere ambiente oculum, diffunditur iſta uirtus uiſiua, non ita diffunditur, per totum aerem, neque per magnam partem, ut per miliare, ſed per paruam diſtantiam, forſam enim uoluit Gal. quòd per cubitum tantum, ſed tunc quomodo illa pars parua aeris, poterit recipere ſimulachrum ingentis montis, quia contendit Galen. quòd uiſio fiat in aere per ſimulachrum productum in aere, uiſa uſque ad illam partem aeris.

Quinto & ultimo, quia non ſibi conſtat Gal. quia in pluribus locis dicit, quòd principale organum uiſionis, eſt humor Glacialis, ſed non uidetur uerum hoc, quia equaliter omnes iſte partes, ſcilicet & neruus, & humor Glacialis, & aer equaliter omnes iſte partes habent uirtutem hanc a cerebro, ita enim aer erit principale organum uiſionis, ſicut humor Glacialis; dico principale uiſionis, non principaliter. Neque ita exponendo mentem Plat. ſibi conſtat Plat. quia dicit, quòd multe fiunt apparentię in uiſione, ex reflexione uiſionis, ad radios ſolares. O ſi uiſio non pertingit uſque ad rem uiſam, dicit Gal. quomodo eſt uerum, dictum Plat. ideo mihi uidetur quòd alij expoſitores Platonis rectius expoſuerunt mentem ipſius, qui uolunt, quòd uiſio fiat per extramiſſionem ſpiritus, uſque ad rem uiſam, & poſtea reflectatur ad oculum; ad rem uiſam, & ſecum deferat ſimulachrum rerum ſenſibilium. Nos autem tenebimus mentem Ariſt. quæ ueriſſima eſt, & cum dicis, ſi uiſio fiat per ſimulachrum in oculo, quomodo uideremus ſimulachra ingentia. Dico, quòd uiſus recipit ſimulachrum ſpirituale ipſarum rerum, ſub angulo recto, & ita recipiens hunc angulum, recipit omnes partes rei uiſæ, quia ſi diuiditur res uiſa, in quot partes ipſa diuiditur, in tot partes diuidetur angulus, quia ſub ipſo angulo ſunt omnes partes rei uiſæ, & in ipſo includuntur tantum, non poſſumus nos aliquando uidere magnitudinem ingentem, niſi ab ea elongamus, quia cum noſtra uiſio fiat per angulum acutum, propter anguſtum foramen ipſius pupillæ, non poſſumus uidere hanc machinam, quia non poteſt fieri angulus acutus, & hoc pacto eſt ſoluta prima dubitatio Galeni contra Ariſtotelem.

Eſt alia dubitatio ſequens Ioannis, quia ex quo uiſio fit per ſimulachrum rerum uiſibilium, quo tam pacto uiſus apprehendit diſtantiam inter uiſibilia, & ipſum uiſum, ſimulachra enim rerum uiſibilium repreſentant ipſas res, non autem diſtantiam, ſi ponamus uiſionem fieri præter extramiſſionem ſpiritus ad rem uiſam, & ita bene noſcet & apprehendet diſtantiam. Secunda dubitatio ipſius Ioannis eſt, cur cum uiſus apprehendat uiſibilia extrinſeca, apprehendit ut ſunt extrinſeca, cum autem apprehendit res intrinſecas ſicut ſunt, ſuffuſiones, in oculo, non apprehendit ipſas ut intrinſeca ſunt, ſed ut extrinſeca. De prima dubitatione, nihil dicit Io. quomodo ſcilicet uiſus apprehendens uiſibilia,

per eorum simulachra apprehendat distantiam uisibilium, & uisus. Aliqui autem ad hoc dicunt, quòd ideo uisus apprehendit distantiam, quia simulachrum uisibilis, ne dum uisui repręsentat rem uisam, sed se ipsum simulachrum, & distantiam inter rem uisibilem, & uisum, scilicet sui longitudinem. Tanta enim est longitudo, quanta est medium interceptum. Sed hæc expositio falsa est, sicut diximus, quòd simulachrum rerum uisibilium repræsentat res ipsas, non autem se ipsum simulachrum; quia iste imagines sunt rationes uidendi, non uisæ. Ideò aliter alij dicunt, quòd apprehendimus istam distantiam, scilicet interiectum medium, per se ipsum, scilicet proprio lumine, medium enim uidetur mediante lumine, quia per lumen apprehendimus diaphanum, apprehendimus, ergo rem per proprium simulachrum, & etiam mediũ ipsum, per proprium simulachrum, scilicet per lumen. De secundo, quia sicut uisus res exteriores, ut exteriores sunt, quòd cum apprehendit humores intra, ut suffusiones, non apprehendit ipsas ut sunt intrinseca, sed ut sunt extrinseca, inquit Ioannes ad hoc, quòd ista est communis passio omnium sensuum, quòd scilicet apprehendat omnia sua sensibilia, ut extra ipsos sensus sunt, ut sunt in alio extrinseco, patet enim de gustu male disposito, & de gustu febricitantium, quia amarus est, & habet amaritudinem in se, tamen non iudicat in se habere amaritudinem, sed iudicat ipsam esse in rebus extrinsecis, ita etiam dicit Ioannes, isti qui laborant uertigine, credunt hunc motum esse in rebus extrinsecis, sicut etiam est in exemplo Alexandri, quia Antipheron qui dicebat habere ante oculos hominem ambulantem; facie conuersa ad ipsum, quia habebat humorem in oculo, qui erat similis faciei humanæ, ò quæ est causa huius. O' dicit Ioannes, hoc euenit ex consuetudine, quia consueti sunt sensus apprehendere res extrinsecas, si postea aliquid accidat quod habeat res extrinsecas, ex consuetudine decipiuntur. Sed hoc uidetur multum distortum, quòd consuetudo nostra possit mutare essentiam, & conditionem, rerum naturalium, ideo possumus aliter dicere, scilicet quòd ista uisibilia extrinseca in oculo, apparent etiam quia fortius sensibile occupat minus, cum autem uideamus sensibilia extrinseca, oportet enim si debent uideri humores in oculo, quod uideantur extrinsecæ, etiam quia illi humores non occupant totum oculum, nec ipse suffusiones uiderentur, quia nulla fieret uisio, oportet ergo etiam ut uideamus sensibilia extrinseca, quia fortiora sensibilia sunt, ideo occupant nobis propinquitatem, aut distantiam horum sensibilium interiorum; ego non habeo meliorem responsionem Domini.

Quarta dubitatio Ioannis est, & difficilis quia si humor impressus in oculo uidetur, ergo in nobis fit uisio colorum sine medio aere. Est ergo dubitatio, an uisio possit fieri sine medio diaphano illuminato, in suffusionibus enim oculorum non mediat aer, de hac dubitatione dicemus infra.

Lectio XCIIII.

EST ultima dubitatio, secundum Ioan. quia si uisio fit per susceptionem imaginum a rebus, hanc quærent Platonici, cur est, si pupilla oculi debilitatur ultra gradum proprium, illud foramen uueæ amplius fit, & tunc fieret deterior uisio, si enim fieret uisio sicut dicit Arist. suscipiendo simulachrum rerum, rectius ui demus in dilatatione pupillæ, quia maius fit foramen, & melius poterunt ingredi rerum simulachra, bene nos poterimus saluare secundum opinionem nostram, quia uidemus fieri deteriorem uisionem, quia cum spiritus deueniens ad oculum, increuit foramen taxatum, diffunditur & non occupat totum foramen, quid autem diceret Arist. in casu isto. Addit etiam aliam dubitationem Ioan. scilicet cur est si elleuemus pupillam oculi digito, ita ut una pars fiat eminentior alia decliuiot, res apparent duplicatę, & gemine. De primo dicunt aliqui, ut Auicenna tertia, tertij, quòd causa huius est, quia uisio rei fit accipiendo simulachrum ipsius, ideo cum istud simulachrum inuenit foramen corneæ amplius quàm conuenit ipsius naturæ, dispergitur intra ipsum, itaque lineæ non concurunt in unũ angulum acutum, sicut requiritur ad uisionem; ò dicit Ioan. falsa est hæc expositio, quia simulachra rerum uisibilium sunt qualitates spirituales rerum, non ergo possunt dispergi, nec diffundi, quia dispergi & diffundi, conuenit rebus corruptibilibus, hoc dicit Ioan. quid ergo dicendum ad hanc dubitationem. Nihil dicit Ioan. & non amplius respondit huic dubitationi, uideatis causam huius a Gal. quarto de causis simptomatũ, inquit Gal cum pupilla fuerit dilatata, uel a morbo, uel a natura, uel aliquo casu, semper est causa deterioris uisionis, ac fortius, quia non fit uisio, nisi per spiritus alios, qui differuntur per neruos obticos ad axtremum oculi, exeuntes, per foramen uueæ, tunc si foramen fuerit amplum, disperguntur isti spiritus, & non fit uisio, tam bona, si autem foramen fit strictius, uniuntur isti spiritus, & melior fit uisio, quia uirtus unita maior est seipsa dispersa, si ergo istud foramen fuerit strictius, ab egritudine ut ab humore aliquo obturante foramen, uel ex exiccatione humoris albuginei, tunc deterior fit uisio, quia si adest humor est intemperies in oculo, unde spiritus non bene operantur, si autem exsiccatur humor albugineus, qui maximæ requi-

quiritur in uisione, etiam mala fiet uisio, & ita habetis causam a Gal. quare si bene consideretis Auic. dedit huius causam accidentalem, Galen. uero causam essentialem.

Postquam adduxi uobis dubitationes Graecorum, adducam dubitationes Latinorum, quae non nobis displicebunt. Prima dubitatio est, de uisu, & quia diximus, quòd color est motiuus diaphani illuminati, est dubitatio, nunquid lumen sit qualitas naturalis, an qualitas spiritualis, scilicet imago, & simulachrum ipsius lucis, in hoc est duplex modus dicendi. Primus est D. Thom. qui tenet, quòd lumen sit qualitas naturalis, genita quidem a luce, non autem est imago lucis, neque qualitas spiritualis. Sed sicut lumen habet simulachrum quo uidetur, ita & lux habet simulachrum proprium quo uidetur, non autem quòd lumen sit proprium simulachrum lucis, & hoc probatur. Primo, quia nulla species sine simulachrum rei uisibilis est per se uisibile, lumen est per se uisibile, ergo non est species rei uisibilis, maior patet, quia si species rei uisibilis esset per se uisibilis haberet per se aliam speciem, & simulachrum, per quod ipsa uideretur, & istud simulachrum haberet aliud, & ita esset processus in infinitum, nam una & eadem res haberet imagines & simulachrum in infinitum, hoc autem falsum, maior ergo uera, minor etiam patet, ex uerbis Aristot. quia dixit, quòd diaphanum uidetur mediante lumine, quare ergo.

Secundo arguitur, ad idem, quia si lumen esset similitudo lucis sequeretur, quòd per lumen Lune uideremus Solis lumen in Luna, quia lumen ex quo est simulachrum repraesentaret lucē.

Tertio arguitur, quia lumen habet uim transmutandi, & alterandi materiam sicut calefacere &c. Lumine enim Solis materialia calefiunt, nulla autem forma spiritualis habet uim alterandi materiam, ergo. Vltimo arguitur, quia in nocte per magnam distantiam uidemus lumen paruum, ut ignem, non tamen potest illuminare aerē, per tantam distantiam, sicut sensu apparet, quòd aer non est illuminatus, non ergo uidemus mediante lumine, & ita lumen non est species lucis, sed est qualitas quaedam naturalis, generata tamen ab ipsa luce, haec est opinio D. Thom. aduersus quam insurrexit Egidius, quia si lumen non est spirituale, ergo lumen superpositum oculo, impediret apprehensionem uisibiliū, qa omne sensibile superpositū sensui, impedit apprehensionem alterius sensibilis, lumen ergo prius impediret uisionem aliorum colorum, quàm faceret ad ipsorum uisionem. addit etiam Scotus dist. secunda aliud argumentum, ad probandum, quòd lumen non est qualitas naturalis, sed spiritualis, & si spiritualis, est imago alicuius, non autem erit imago alterius, quàm lucis, ergo lumen erit qualitas spiritualis, & species lucis, quae lux est qualitas naturalis, existens in rebus lucidis, ut in Solo, & igne, ideo ad argumentum D. Thom. nulla species uisibilis, est per se uisibilis, est enim ratio uidendi, non uisa, lumen autem uidetur, ergo non est species rei uisibilis, id est quae repraesentat nobis lucem, tunc non est per se uisibilis. Nec ualet aliud argumentum, quia si omne simulachrum habet aliud simulachrum per quod uideretur, & esset processus in infinitum, ut tu dicis, sed si consideretur lumen, non qua repraesentat nobis lucem, sed qua habet suum simulacrum, per quod repraesentatur, & istud aliud, nec tamen est processus in infinitum, quia sicut diximus superius est deuenire ad tam remissum lumen, quod non potest amplius producere simulachrum aliquod.

Quod dicis secundo, quia si lumen esset simulachrum lucis, sic per lumen Lunae intueremur lumen Solis, & uideremus Solem in Luna, Iam solutum est hoc argumentum, alia die dixi, quòd illud lumen Lunae, non erat reflexum, sed recipitur intra diaphanam partem Lunae, & istud lumen receptum intra profunditatem Lunae, mittit suum luminis simulachrum, nō autem lucem Solis. Ad aliud argumentum quod dicit, D. Thom. quia nulla forma spiritualis transmutat materiam, dico, per se hoc uerum est, per accidens autem falsum, ut in proposito, lumen Solis calefacit haec inferiora, non per se, quia lumen est, sed per accidens, scilicet ut est lumen reflexum, & accidit ipsi lumini reflecti.

Quod addis ultimo quia nos uidemus paruum ignem in nocte, ad magnam distantiam, non autem per lumen. quia non potest multiplicari eius lumen, per tantam distantiam, dico, quòd hoc falsum est, immo uidemus ignem per lumen, quod est eius simulachrum, & multiplicatur ad tantam distantiam, usque ad nos, bene uerum est, quòd illud lumen est tam remissum, quòd non potest producere suum simulachrum, ideo ipsum non uidemus.

Lectio XCV.

SECVNDA dubitatio, Latinorum, scilicet quòd sint duo corpora lucida in aere, & ambo in ipso, unde producant suum simulachrū, scilicet proprium lumen. Est dubitatio, nunquid ex illis duobus luminibus in aere, fiat unum lumen intensius, an remaneant duo lumina distincta, & separata, in ipso aere, D. Thom. dicit, quòd non remanent duo lumina distincta in ipso aere, sed ex ambobus fit unum intensius, sicut ex duobus extremis coloribus, fit unus tantum color, immo dicit Thom. quòd quot fuerint obiecta uisibilia in aere, omnia tantum unum simulachrum generant, & ita ex his omnibus imaginibus

ginibus fit una tantum imago intensior, non autem remanet seiuncta, & hoc patet dicit D. Tho. ex Arist. quinto metaphysic. qui dixit impossibile est plura accidentia esse in eadem substantia, solo numero distincta, & ita omnia simulacra rerum uisibilium simul ueniunt, & fit tantum una uisio. Tum etiam, hoc comprobatur ex Auer in lib. physic. qui dixit, omnem differentiam in rebus esse, aut secundum quantitatem, aut secundum formam, ista autem simulachra rerum uisibilium, dicit D. Thom. in aere non differunt quantitate, quia omnes sunt in eadem quantitate aeris, neque forma differunt, quia omnes sunt eiusdem speciei, nullo ergo modo differunt; & ita unum tantum occurrit. Ex alia parte sunt fere omnes expositores, qui dicunt quòd simulachrum, & lumen remanent distincta in aere, confunduntur tamen omnia in eadem parte aeris, sed sunt seiuncta numero, quia sicut luces ipse, & alia obiecta differunt specie ita etiam lumina differunt specie, quia omnes stellæ differunt specie, ita & luces ipsarum differunt specie, & etiam lumine, si enim obiecta sunt specie distincta, ita & simulachra debent esse specie distincta, & quot essent obiecta, tot essent simulachra, & probant primo argumento perspectiuorum, ut si interponamus corpus opacum, inter duo lumina, fiunt duæ umbræ, cum autem omnis umbra sit priuatio luminis, ergo signum est quòd ibi erant duo lumina, quia non numeratur priuatiuum, nisi expositiuo.

Secundo arguit, quia uidetur hæc opinio ponere implicationem contradictionis, quia suppono nam a. b. c. tres albedines, quæ producunt sua simulachra, & ita fiet secundum rem tantum unum simulachrum, quod erit causatum a quælibet istarum albedinum, a. b. c. cum autem simulachrum rei sensibilis, pendeat in esse & in conseruari a sensibili ipso, remoto ergo sensibili, remouebitur simulachrum ipsum esse, quia remanet, b. c. adhuc erit simulachrum, ergo simul erit & non erit.

Tertio arguit, quia si duo simulachra, duarum albedinum fiant unum simulachrum, ita plura simulachra plurium obiectorum poterunt fieri unum, ita ergo uisio & apprehensio sensus una, ergo sensus uniuersaliter apprehendet, quia plura sub uno apprehendet, hæc autem est operatio intellectus, non autem sensus, ergo &c.

Dico ergo, quòd uia communis est, quòd ista simulachra remanent in aere distincta, bene uerum est, quòd confundunduntur in aere, non tamen fit unum numero, ò ad argumentum, quia Arist. quinto metaphysices dicit, non possunt esse plura accidentia solo numero distincta, in eodem subiecto, ò intelligit Arist. si illa accidentia sint materialia, non autem de omnibus accidentibus, nec de omnibus accidentibus materialibus, non enim frigidus in summo habet partes & gradus suæ frigiditatis distinctæ, quæ per se frigidæ sunt, quilibet enim gradus frigiditatis, frigiditas est uerum est, quòd ille partes in potentia quæ sunt partes totius, partes enim totius dicuntur esse in potentia, in actu autem non inueniuntur accidentia in eodem subiecto solo numero distincta, potentia autem inueniuntur. Addunt Schotistæ etiam de relatiuis, quòd non est uerum in relatiuis, quòd accidentia inueniantur in eodem subiecto solo numero distincta, sed intelligitur de absolutis, ipsi enim Schotistæ dicunt, quòd in homine. Tot sunt paternitates, quot filij. Est tertia dubitatio Latinorum, ex quo lumen requitur in uisione, nunquid requiratur ex parte obiecti, scilicet ut det formam ipsis coloribus, an requiratur ex parte medij; scilicet per dispositionē aeris, ad recipiendum simulachra colorum, hoc est, nunquid colores in tenebris, sint perfecti colores, an non sed accipiunt formam a lumine, In hac quæstione sunt tres modi dicendi, scilicet duo extremi; & unus medius. Primus extremus est auempace, & D. Thom. qui uolunt, quòd lumen requiratur ex parte colorum, ut scilicet sit ipsorum forma, & primo arguunt ad hoc probandum, quia omnis potentia una debet habere subiectum unum, ipsi appellant obiectum, uel sicut dicit Arist. omnis potentia una debet habere unum subiectum, omnis enim potentia habet unitatem a subiecto suo, dixit Arist. quòd sensus tactus non est unus, quia non habet unum subiectum, sed plura, habet enim calidum frigidum graue, & leue, ex quo ergo omnis potentia debet habere unum subiectum, si ergo sensus uisus tantum unus esset, unum subiectum haberet, sed habet duo, scilicet colorem & lumen, ergo est, aut tantum unus sensus uisus, ut dixit Arist. aut ergo reducemus colores ad lumen, & fiet tantum unum aut econtra, lumen ad colores, non possumus autem reducere colores in lumen, quia ex Arist. colores diffiniuntur per lumen, quia uisibilis est color, per diaphanum illuminatum, lumen ergo potius reducitur ad colores, non autem aliter reducendum est lumen ad colores, nisi ut forma ipsa, ergo lumen in uisione requiritur ex parte colorum. Secundo patet idem experientia, quia si oculus sit in tenebris, inspiciet colores, ergo requiritur lumen ex parte coloris. Tertio probatur idem, scilicet quòd lumen in uisione requiratur ex parte colorum, quia si requireretur lumen, ex parte medij, requiretur tanquam dispositio ad colores uidendos, sed omnis forma disponens subiectum ad aliam formam, est imperfectior ea, lumen ergo est imperfectius colore, sed lumen est perfectius coloribus, quia est forma spiritualis, lumen ergo non requiritur in uisione colorum, Tanquam dispositio in aere,

quia

quia forma colorum longe perfectior esset ipso lumine, semper enim forma disponens subiectum in aliam formam, longe perfectior forma ista, propter quam fit dispositio. Etiam quia septimo meth. dictum est, quòd idem agens praeparat & disponit materiam, & etiam generat, ut semen disponit materiam ad suscipiendam animam, & ipsam animam generat, si ergo lumen disponit colores, etiam ipsis dat formam, requiritur ergo lumen ex parte colorum. Quarto arguitur, quia si requiritur lumen in uisione colorum, ad dispositionem aeris, ut possit recipere simulachra ipsorum colorum, ita etiam erit dispositio respectu uisus, quia etiam uisus apprehendit simulachra colorum per lumen, ergo uisus prius apprehendit lumen, quàm colores, ergo color non erit primum obiectum uisus, sed lumen.

Contra istam opinionem arguebat Auer. quia color est motiuus diaphani actu, est autem actu per lumen, ergo lumen requiritur in uisione colorum, ex parte medij. Ideo est secundus modus dicendi Alberti, qui dicit, quòd requiritur lumen in uisione colorum, ex parte utriusque, scilicet. Tum coloris, tum medij, requiritur enim ex parte medij, scilicet aeris, ut disponat ipsum, requiritur etiam ex parte colorum, quia ipsis dat formam.

Aduersus hanc opinionem est argumentum Auer. ex definitione coloris, & luminis, quia color est ultima superficies diaphani terminati, lumen autem est actus diaphani terminati, lumen ergo non potest esse forma colorum, quia forma habet esse, in eodem subiecto. Cum eo cuius est forma: Cum autem dicit Arist. quòd color est ultimum terminati diaphani, lumen autem actus diaphani interminati, diaphanum terminatum, & interminatum, non sunt idem, quia sic duo contraria essent in eodem subiecto. Visus est autem Albertus soluere hoc argumentum dicens, quòd scilicet diaphanum secundum sui superficiem est interminatum, quo autem ad profunditatem sui, est terminatum, & ita colores sunt in superficie diaphani interminati, sicut lumen est actus diaphani terminati. Sed haec solutio est contra Arist. dicentem, quòd color est ultimum diaphani terminati. Secundo sequeretur, quòd omnes colores essent eiusdem speciei specialissime, quia omnes haberent eandem formam. Tum etiam quia, color non esset qualitas per se una, scilicet qualitas secunda, color enim includit qualitatem secundam, & includit etiam lumen. Tanquam formam. Ideo est tertia opinio, quae dicit, quòd in uisione colorum requiritur lumen, ut praeparet & disponat aerem, ad recipienda simulachra colorum, & ita non requiritur lumen, ex parte colorum, sed ex parte medij tantum. Sustinendo hanc opinionem, quae uera est, soluenda sunt argumenta in contrarium. Primum fuit, quia potentia uisiua una, ergo una ab unitate subiecti, & ita debet uersari circa unum subiectum. Vnde dixit Arist. quòd sensus tactus non est unus, quia habet plura subiecta, si ergo uisus est potentia una debet uersari circa unum subiectum, aut ergo circa colorem tantum, aut circa lumen tantum, aut oportet, quòd ex his duobus fiat tantum unum, ut scilicet unum reducatur in alterum, color autem non reducitur in lumen, quia per ipsum lumen diffinitur lumen, ergo reducitur, non autem reducitur, tanquam materia, ergo tanquam forma, & ita lumen in uisione colorum requiritur, tanquam ipsorum forma. Respondeo, & cum dicis, una potentia debet habere unum subiectum, uerum est, si potentia uisiua habet obiectum lumen, & colorem, si debet una, oportet quòd unum reducatur in alterum. Dico debent reduci ambo, ad unitatem quandam, nec unum habet reduci in alterum, & debent ambo fieri unum, sub colore, sub genere quia reducuntur ambo sub genere colorum, color enim potest sumi dupliciter, uno modo ut tantum apprehendit colores, qui sunt actus diaphani interminati, & hoc pacto sub colore apprehenditur lumen.

Lectio XCVI.

ERAT secunda dubitatio, ex experientia, quia oculo existente in tenebris, uidet colores in luce, non autem econtra, scilicet ipso existente in luce potest uidere colores in tenebris, ergo requiritur lumen in uisione colorum, ex parte ipsorum. Dico, quòd in hac experientia assumitur falsum, assumit, quòd oculus existat in tenebris, cum uidet colores in luce, quia oculus non est pure in tenebris, quia si esset pure in tenebris, non uideret, requiritur enim lumen in uisione colorum: Tum ex parte medij, Tum ex parte uisus, itaque ergo oculus non est pure in tenebris, sed est aliquo modo illuminatus, remisse tamen, & aer in quo est oculus uidetur tenebrosus, respectu illius aeris, in quo est incensum lumen, in quo existunt colores, non tamen oculus est simpliciter in tenebris. Sed dices, quae est ergo causa huius, quòd oculus existens in illo paruo lumine, uidet colores existentes in magno lumine, si autem fit econtra non fit uisio. Hic Ioan. Gand. & Appollinaris dicunt, quòd causa huius est, quia color producens primum simulachrum, ex quo est ipsi colori propinquum, magis materiale est illud simulachrum, quia est propinquius colori, qui magis materialis est, ideo istud simulachrum indiget maiori dispositione medij, ad hoc, ut uideatur: Cum autem dispositio medij sit lumen hoc, primum ergo simulachrum coloris maiori lumine indiget, in sui ui-

sione, secunda autem pars simulachri coloris, quia producitur in prima parte simulachri, quæ immediate producta est a colore, ideo hæc est magis spiritualis, quia magis recedit a colore, qui materialis est, & magis accedit ad oculum, & cum hæc pars sit spiritualior, maiori dispositione aeris indiget, & ita in paruo lumine existens oculus, uidet colores in magno lumine, non autem econtra, quia prima pars simulachri, quæ a colore producitur, cum magis materialis sit, indiget maiori dispositione aeris, & magno lumine, hæc est opinio istorum.

Sed hæc opinio falsa est, & falsum est, quòd prima pars simulachri coloris producitur, a colore, secunda pars simulachri producitur a prima parte simulachri, hoc falsum est, quia omnes partes simulachri producuntur a colore, & ita totum simulachrum a colore producitur, quod patet, quia omnis pars illius simulachri, representat istum colorem, tanquam secunda, & tertia, si enim aliquis oculus existat ante alium, illa pars simulachri coloris quæ aduenit illi oculo, representabit colorem, ita & existente alio oculo longins, illa pars simulachri, quæ aduenit illi, ipsum colorem representabit, ergo omnes iste partes simulachri, ab ipso colore producentur, omne enim simulachrum representat illud, a quo producitur, si autem secunda pars simulachri, produceretur a prima illa secunda nobis represen tabit primam partem simulachri, non autem colorem ipsum. Secundo implicat sibi hæc responsio, quia dicit, quòd illa pars simulachri, quæ materialior est, scilicet prima pars, indiget maiori operatione, & dispositione medij in sua uisione, illa autem quæ spiritualis est indiget minori proportione. O contra, forma quæ est perfectior requirit maiorem præparationem subiecti, unde anima rationalis maiori dispositione materiæ indiget, quàm anima uegetatiua, uel sensitiua, sicut ergo ista secunda pars simulachri ex quo est spiritualis, est perfectior, ita maiori dispositione medij indiget, in sui apprehensione, quare. Quid ergo dicendum, quæ est huius causa, o alia est causa, cur oculus existens in remisso lumine, uidet colores existentes, in intenso lumine, non autem econtra, quia si color debet producere imaginem suam, ad longam distantiam, necesse est, quòd illa magis sit in principio intensior, quia postea per distantiam continue fit remissior, non ergo potest hoc simulachrum esse intensum, nisi ex intensione aeris illuminati, ergo in prima parte simulachri, lumen debet esse intensum, si debet uideri color, per longam distantiam, quia autem simulachrum fit remissius, & etiam remissiori indiget lumine, unde manifesta causa est, quòd si colores essent in remisso lumine, non possent producere simulachrum intensum, sed remissum, quod continue remissius fit, & non potest ob longam distantiam apprehendi.

Erat tertia dubitatio, quia omnis forma disponens subiectum, ad aliam formam, est ea perfectior, si ergo lumen disponit aerem ad simulachrum colorum, lumen ergo erit imperfectius, suo simulachro, quare falsum est. Dico quòd illa propositio, scilicet omnis forma disponens materiam ad aliam formam est ipsa forma acquirenda imperfectior, non est uera generaliter hæc propositio, sed oportet intelligere, quia omnis forma disponens materiam ad aliam formam, si ita a natura ordinata sit, si enim a natura illa forma disponens, ad aliam formam, sit ordinata. Tunc etiam est imperfectior, sed lumen non ordinatur a natura, ut disponens aerem ad recipiendum simulachra colorum, bene etiam confert ad hoc, sed habet aliam intentionem nobiliorem, ad quam a natura ordinatur, ut scilicet representet nobis lumen, quare. Quod addebat ex Auer. quia si idem agens est præparans, & complens, semen enim disponit materiam ad recipiendum animam, & ipsam complet, quia dat animam, ita etiam lumen præparat aerem ad uisionem colorum, & ipsis coloribus dat formam. Dico ad hoc, quòd duplex est dispositio, ad aliquam formam, scilicet qua dispositione habita, de necessitate habetur forma, & statim habita dispositione ad animam rationalem, statim de necessitate habetur ipsa anima rationalis, & tunc hæc dispositio ita necessitans formam, est imperfectior ipsa forma, & tunc idem est agens præparans, & complens, sicut patet, alia est præparatio, quæ non necessitat ad formam, ut statim habita hac, de necessitate habeatur forma, ut est in casu isto, quia habito lumine, non necesse est habere uisionem colorum statim, & hoc pacto agens præparans, non est idem, & complens, quare. De ultimo quia lumen requiritur in uisione colorum, ex parte aeris, etiam requiritur ex parte oculi, quia ita oculus diaphanus est, sicut etiam aer, ergo primo apprehendetur lumen ab oculo, quàm color, ergo color non erit primum obiectum uisus, si erit, aut lumen, aut lux. Dico cum dicis, si requiritur lumen in uisione colorum, ex parte aeris, requiritur etiam ex parte oculi, concedo hoc, quòd etiam lumen in uisione colorum, requiritur ex parte oculi, cum oculus diaphanus sit, ergo necessario prius apprehendetur lumen, quàm color, nego argumentum, quia potest esse, quòd color fortius moneat uisum, quàm lumen, quia fortius uisibile occultat minus, itaque non est uerum, quòd & si lumen requiratur ad uisionem colorum, ex parte oculi, quòd etiam prius uideatur, quàm color.

Sequitur tertia dubitatio, numquid color sit primum obiectum uisus, in hac dubitatione, est triplex modus dicēdi. Primus est Schori dicentis, quòd

quòd color est primum obiectum, & adequatum ipsius uisus, & isti appellant obiectum adequatum alicuius, non quòd omnia quæ pertinent ad id cuius est obiectum comprehendat, sed tantum illa quæ primo, & per se illi conueniunt, sicuti subiectum animæ dicitur adequatum ipsi scientiæ, non quia comprehendat omnia, de quibus considerat scientia ipsa, sed tantum apprehendit ista, quæ primo & per se, ipsi scientiæ conueniunt, ita quòd dicunt isti, quòd primum obiectum adequatum uisus est color, sumendo tamen colorem large, prout etiam apprehendit lumen & lucem. Sed contra hanc opinionem insurrexerunt Iuniores, qui dicunt quòd nulla potentia sensitiua habet obiectum unum primum, & adequatum, & argunnt primo, quia si haberet unum tantum obiectum primum, aut illud esset singulare, aut uniuersale, non potest esse uniuersale, quia uniuersalis apprehensio, est intellectus, & singularis est sensus, intellectus ergo erit singularium, non ergo tantum unum, sed plura, sicut sensu uidemus, neque erit color, eo modo sumptus. Secundo dicunt isti, quia istud debet esse primum obiectum, & adequatum uisus, cui primo competit uisibilitas, quia primo post. dicit Arist. quæ primo conueniunt alicui, ea conueniunt ipsi, & econtra, color autem non est adequatum obiectum uisus, neque primo, nec per se, quia multa sunt uisibilia, quæ non comprehenduntur sub colore, sicut sunt uisibilia communia, & tamen ipsa uisibilia sunt. Tertio arguunt isti, quia dicunt, quòd scientia dicitur una ab unitate primi obiecti, non autem est eadem potentiæ uisiuæ unitas, & coloris, ergo, minor patet, quia potentia uisiua, est una unitate speciei; color enim est unus unitate generis, color ergo est primum obiectum uisus. Sed domini errant isti, quia Arist. probauit quòd sensus tactus non est unus, quia non est unius contrarietatis, neque unius subiecti, sensus autem uisus est unus, ergo habet unum primum subiectum, & ita prima opinio est uera. Quare soluamus obiectiones istorum, & cum dicunt primo, illud obiectum primum, aut erit uniuersale aut singulare. Dico est uniuersale, ò singularia, non apprehenduntur ab intellectu. Dico istud primum obiectum non est unum, & primum illi potentiæ, quia ab illa potentia apprehendatur, sed dicitur unum primum, quia debet continere omnia, quæ per se primo apprehenduntur ab illa potentia, & hoc facit ut patet. Quod dicis secundo, quia istud debet habere primum obiectum alicuius, quod per se & adequate competit isti, & conuertibiliter, ò nego hoc, ò Arist. primo post. omne prædicatum primo, etiam conuenit ei adequate, non est uerum domini, nec etiam intelligitur Aristot. quia duplex est prædicatum primum, scilicet primi & secundi modi dicendi per se, si prædicatum est primum in secundo modo dicendi per se, sic etiam inest adequate, & conuertibiliter, si autem sit in primo modo dicendi per se, ut genus per se prædicatur de specie. Tunc non inest conuertibiliter, & sic in proposito, non sumitur primitas ut est in secundo modo, aut in primo modo dicendi per se, sed primitate naturæ, quia color primo apprehenditur, quàm magnitudo, unde color est primum obiectum uisus primitate naturæ, sic ignis est primo calidus primitate naturæ. Quod addis tertio, quia potentia est una ab unitate primi subiecti, potentia autem uisiua, est una secundum speciem, color autem unus genere; ergo, dico. Decipiuntur isti, quia omnes potentiæ sensitiuæ specie distinctæ sunt, ut species sensus tactus, differt a specie sensus uisus, & a specie sensus auditus, quia sicut animæ sunt specie distinctæ, ita potentiæ sunt specie distinctæ, sunt autem unius generis, sicut obiecta sunt eiusdem generis, quare &c.

Finis lectionum secundi libri de Anima.

LVDOVICI BVCCAFERREI

BONONIENSIS, PHILOSOPHI CLARISS.

LECTIONES IN TERTIVM LIBRVM ARIST.

de Anima.

Textus I.

D*E PARTE autem animæ qua cognoſcit anima & ſapit, ſiue ſeparabili exiſtente, ſiue non ſeparabili ſecundum magnitudinem, ſed ſecundum rationem conſiderandum quam habet differentiam, & quomodo quidem ſit ipſum intelligere.*

Lectio I.

D*E parte autem animæ qua ſapit & intelligit.* De principio tertij libri diſſentiunt expoſitores, quia Arabes, ut Auerroes, & ferè Latini omnes dicunt, quòd hic eſt principium. Alij dicunt, quod tertius liber incipit in tex. 115. ſecundi libri ut Albertus, & Aegidius, & ratio eſt, quia ſeiungere uult rationalem a cogitatiua, & ita ibi incipit ſeiungere rationalem a cogitatiua. Alij autem, ut Græci, dicunt, quod incipit in illo tex. quod autem 5. in tex. 128. ſecundi huius, quod ſi illa pars ſit de ſenſu eſt tantum propter rationalem animam, & ſic hanc ſequamur nos. Et iſte liber diuiditur in quinque partes. Primo diuidit ſenſitiuam in ſuas potentias, ſcilicet in ſenſus exteriores & ſenſum communem, ſecunda eſt, ſeiungere infimam potentiam rationalis a ſuprema potentia ſenſitiuæ, quia maximæ conueniunt. Tertia pars diuidit animam rationalem in ſuas partes, & ſunt duæ potentiæ. Vna eſt intellectus ſpeculatiuus, altera practicus, & in primis uerbis innuit diſtinctionem, ubi dicit de parte animæ, qua ſapit, & intelligit. Quarto declarat quæ nam ſit uirtus moriua in animalibus, & dicet, quod erit phantaſia cum appetitu, in quinta parte oſtendit, quòd ſenſus ſint neceſſarij, hic ergo diuidemus rationalem in ſe ipſa, & dicit, quod duplex eſt intellectus, ſpeculatiuus, & practicus, & quia ſpeculatiuus eſt perfectior practico, ideo prius habet ſermonem de ſpeculatio, & iſti intellectus ſunt potentiæ animæ cœleſtis, quia de cœleſti anima non habetur hic ſermo, ut dicit Simplicius, & Ioan. & dicunt quod rationalis eſt media inter cœleſtem, & ſenſitiuam, quia perfectior eſt ſenſitiua, imperfectior cœleſti, & quia ſecundo huius dixit, quòd erant quinque potentiæ animæ, ſcilicet uegetatiua, ſenſitiua, appetitiua, motiua ſecundum locum, & intellectiua, hic autem loquitur de intellectiua, infra de appetitiua, & motiua, & antequam diuidat rationalem in ſpeculatiuam, & practicam, diuidit in tres differentias, primus eſt intellectus potentiæ, ut eſt in pueris, quia eorum intellectus eſt ſimilis tabellæ, cui nihil ſit depictum, eſt intellectus in habitu, ut eſt in adultis, qui habent omnes ſcientias. Alius eſt intellectus in actu, ut cum exercemus ſcientiam in actu, & ut fiant hæc clariora, duplex eſt principium animæ rationalis, Vnum materiale, alterum formale, materiale eſt intellectus. Paſsibilis & aliquando appellat potentiam materiæ, appellatur paſsibilis, quia omnes accipit notiones. Appellatur materialis, quia ſicut materia recipit omnia, ita & intellectus recipit omnes notiones, principium formale eſt intellectus agens, qui habet omnia facere, ut dixit Auer. inter hos intellectus intra poſuit Ariſt. intellectum paſsibilem, qui conſequitur phantaſiam Auer. addit quartum intellectum, ſpeculatiuum, qui eſt notio ipſa, actu intellectus, cum ergo intellectus ſit practicus, & ſpeculatiuus, quæ differentiæ ſunt inter intellectum potentiæ, & non agentis, & quærit hic primo an intellectus ſit in nobis perpetuus, uel corruptibilis, dubitatur quomodo intellectus differat a ſenſibus. Ex qua differentia declarabit nobis, quòd intellectus ſit ingemitabilis, & incorruptibilis. Tertio quærit, quomodo ſit in nobis, intelligere, propter Platonem, qui ſolebat eſſe perpetuum, & dicebat, quod erat reminiſcentia. Ariſtoteles autem dixit quod corrumpitur intelligere. Proponit ergo ſuam intentionem, & diuidit, de parte animæ, id eſt rationalis, quod diuidetur in parte, qua ſapit, id eſt habitum & prudentiam. Vocatur intellectus practicus, & in qua parte intelligit, id eſt ſpeculatiuum. Et dicit Ioan. in ſecunda quæſtione, inculcat primam, quia ſecunda facta eſt propter primam, interponit hæc uerba, ſiue anima ſit ſeparabilis ſecundum magnitudinem, Them. cum Auerroe, dimittunt hanc quæſtionem, an anima ſit ſeparabilis loco, ſcilicet magnitudine & ſubiecto ab aliis potentiis animæ, hoc eſt dictum, an in homine,

homine, sit tantum una substantia solum, distincta ratione, scilicet potentia, an sint tres substantiæ seiunctæ loco, & subiecto, ut dixit Plato, sed Ioan. obicit dicens, quod non habet repetere hanc quæstionem, quia iam soluta est secundo huius, quia demonstrauit quod rationalis separatur loco, ab aliis, quia dicebar, rationalis separatur, sicut perpetuum a corruptibili, sensitiua autem est corruptibilis, impossibile autem quod potentia corruptibilis & incorruptibilis sit una substantia, sed sunt plures substantiæ, ideo alio modo sentit Ioan. quòd per imaginationem, intelligit corpus, ita ꝙ conuertitur, an rationalis sit separabilis a corpore, te uel tãtum secundũ imaginationem. Sed his obiicit Simpl. quia Arist. dissoluit supra hanc quæstionem, quia in primo huius dixit, intelligere si non est imaginatio, non est tamen sine corpore, & si esset sine corpore, posset separari, si intellectio est saparabilis a corpore, ita & intellectus. Sed secundo huius demonstratum est, quòd intellectio non potest esse sine corpore, & si non sit imaginatio, quæ intellectus non est separabilis a corpore, ideo aliter Simplicius per magnitudinem, exponit substantiam, & est duplex sensus, nunquid tres potentiæ sint una substantia, uel tres substantiæ distinctæ, uel nunquid secundum substantiam, id est nunquid sint duæ potentiæ rationalis, quæ una est ad sensitiuam, altera ad uniuersale, sint distinctæ re uel sit una substantia, quæ supra se ipsam reflectatur, quia rationalis anima habet tres notiones. Vna est ad sensitiuam, secunda ad se ipsam, tertia ad substantias abstractas, quæ operationes sunt separatæ a materia, ideo quæritur, an illæ potentiæ rationalis animæ, scilicet, intellectus potentiæ & agentis, sint eiusdem substantiæ, uel differant, sed mihi uidetur, quod expositio Simplicij non sit uera, nec illa Ioannis, quia ipsos Arist. tãgit quæstionẽ, quam dissoluere uult, Arist. secundũ proposuit quæstionẽ, quam dimisit, sicut etiam secundo huius tangit hanc quæstionem, nunquid tres potentiæ sit una substantia, uel tres substantiæ, ideo Aristotel. uult omittere quæstionem, bene proponit quæstionem, quam dicit Ioan. & Simplicius proponitur autem hic, ut dissoluenda. Sed Arist. non uult dissoluere, sed quæstio est, nunquid sint tres animæ separatæ, secundum substantiam uel una substantia. Et quia dicit Simplicius parum infra, quòd intellectus habet tres notiones, Vna quæ respicit ad sensitiuam, & hæc nunc pertinet ad philosophum, id est quo ad alias duas notiones, scilicet cognoscere se ipsam, & substantias abstractas pertinet ad metaphysic. errat, quia istæ notiones, conueniunt homini, ut homo, sed homo est naturalis considerationis, ergo & illæ duæ notiones, in quo loco tractauit de anima, quo ad illas duas notiones, quia non in metaphysica, ut debuisset, ideo dico, sicut Themist. quod Aristoteles proponit duas quæstiones. Vnam quomodo intellectus potentiæ differat a sensu, ex qua fiat notum, an sit perpetuus, secundam quomodo fiat intelligere in nobis aliam quæstionem dimittit.

Sunt tamen quæstiones quia non uidetur obseruare ordinem doctrinæ, debet confirmare ordinem naturæ, ideo tantum est in potestate scribentis ordinare libros secundo physicorum. Cum intellectus agens sit prior natura intellectu potentiæ debuisset prius tractare de intellectu agente, & quia uirtus motiua est communior, & prior intellectu, & postea de motiua agit prius quam de intellectu, de quo prius locutus est, & quia sibi ipsi uidetur aduersari, quia primo huius dixit irasci, denominat totum corpus & non tamen animam, quia est commune animæ & corpori, consequenter ergo, hic dicit anima intelligit, & sapit, & non dixit, earum est quod intelligit. Tertio cur non dissoluit illam quæstionem, an tres sint illæ potentiæ & una substantia, an tres substantiæ, & una potentia. Quarto quia illa quæstio est superflua, an anima rationalis sit perpetua, quia supra secundo huius declarauit quòd separatur sicut perpetuum a corruptibili. Etiam quia dicebat in primo, si intelligere separatur, anima est eterna, & tertio huius dixit, non separatur ergo caduca. De primo dico, quod multoties Arist. omisit ordinem doctrinæ sicut de plantis, & animalibus, quia Plantæ sunt priores animalibus, tamen prius tractat de animalibus, quia plantæ fiunt notiores ex declaratione de animalibus, ita hic, quia sensus ex quo recipiunt habent conuenientiam cum intellectu, potentiæ, ideo sit facilior eius doctrina, præponendo intellectum potentiæ, intellectui agenti, & sic proposuit motiuam uirtutem, quia erat communis sensitiuæ, & rationali, ideo prius de rationali tractauit, &c.

De secundo dico, quòd irasci primo denominat corpus, secundario animam, ideo improprie dicit animam irasci, intelligere autem, primo denominat animam, secundario corpus, ideo proprie dicitur animam rationalem, intelligere, &c.

De tertio dico, quòd soluta est illa quæstio primo huius quia dixit, tres non sunt substantiæ, sed una substantia, quia si essent tres sunbstantiæ unum animal, non esset unum animal.

De quarto dico, quod intellectus separatur a corpore, cum dicit supra, si intellectio non separatur a corpore, corruptibilis est. Sed tertio huius dixit, quod non poterat separari a corpore, ergo caduca, dico quòd si intellectio non separatur a corpore per se, caduca est, si per accidens non separatur, sequitur quòd sit eterna, & sic intelligit, per accidens non separatur a corpore &

sic anima est eterna, uult ergo quærere, an anima sit separabilis a corpore, uel per se uel non.

Textus II.

SI igitur est intelligere sicut sentire aut pati aliquid utique erit ab intelligibili: aut aliquid huiusmodi alterum.

Lectio II.

SI *igitur est*. Postquam expressit nobis intentionem, quod quærenda erat substantia animæ rationalis, & ad huius declarationem erat considerandum, quomodo sensus differt a rationali, tertio quomodo fiat in nobis intellegere, ideo primo aggreditur declarare, qualis nam sit substantia rationalis, & maxime de intellectu potentiæ, & accipit principium ab operatione, quia non est alia uia, quam operatio, & qui fingunt aliam uiam, deuiant a uia Aristotelis & declarat operationem ab operatione sensus, quia intelligere est sicut sentire, sed sentire est passio quædam sensus ab ipso sensibili, Ita intelligere est passio intellectus ab ipso intelligere uel quidpiam aliud, primo dixit, quod sensus est passio quædam, quia duplex est passio, una apud omnes, quæ est cum corpore, & sic sentitur, non passio est passio abusiua, quæ est salutaris, & perfectio uiuentis, & sic sentitur est passio quædam quæ salus & perfectio, ita intelligere, est salus & perfectio ipsius uiuentis, & dicit uel quidpiam aliud, quia passio, quæ est salus & perfectio duplex est, una est, quæ & si per se sit salus, per accidens tamen annectitur corruptioni, ut quando fit a uehementi lumine, fit corruptio non respectu sentire, sed quia coniunctum est cum obiecto materiali, quod corruptibile est, corrumpitur, alia est passio, quæ nec per se, nec per accidens est cum corpore, & intelligere, quod non annectitur corruptioni, quia non utitur organo materiali, ideo dixit quidpiam aliud, & qui non annectitur corruptioni patet, quia in intellectu post apprehensiones intelligibiles animal adhuc magis apprehendit, econtra est de sensu, &c.

Sed est dubitatio, cur non incipit ab intelligibili sicut supra incipit a sensibili. Sed incipit ab intellectione, &c.

Secundo cum loquitur conditionaliter, quia dicit, si intelligere est sicut sentire, syllogismus conditionalis ex primo post. non demoustrat.

Tertio quia dicit sentire est passio sensus, intelligere passio intellectus, sed sentire, & intelligere sunt qualitates, quomodo ergo passiones, quia prædicamenta sunt distincta. ut primo posteriorum, &c.

De primo dicit Simplicius, quod incipit ab intellectione, & non ab intelligibili, quia intellectio est notior intelligibili, quia substantiæ abstractæ sunt ignotiores ipsa intellectione, & ideo Aristoteles post declarationem substantiæ animæ rationalis declarauit intelligibile, & dixit quod erat quintuplex.

De secundo dixit Simplicius, quod locutus est cum conditione, quia intelligere est plurium generum, intelligit enim ista inferiora. Secundo se ipsam. Tertio substantias abstractas, ideo locutus fuit. Cum conditione, si dicas Simplicio, an sint omnes passiones, dixit Simplicius optime omnes enim istæ sunt notiones, sunt passiones, si Simplicius intelligat, quod notio animæ rationalis a seipsa, falsum est, quia intelligitur ex circunscriptione sensibilium, sicut materia prima, cognoscitur ex transmutatione accidentium, ideo etiã circunscribitur intellectus.

De tertio dico, quod intelligere & sentire sunt qualitates. Verum est, ergo non passiones, nego argumentum, quia eadem res potest esse in diuersis prædicamentis. Secundum diuersas notiones.

Textus III.

IMPASSIBILEM ergo oportet esse, susceptiuum autem speciei & potentia huiusmodi, sed non hoc, & similiter se habere sicut sensitiuum ad sensibilia sic intellectiuum ad intelligibilia.

Impassibilem autem. Ex his quod intelligere nullo modo annectitur corruptioni, sequitur quod oportet intellectum esse impassibilem, & sequitur hoc ex illo uerbo, uel quippiam aliud. Errat quia dixit, quod erat impassibilis, qui intellectus suscipit simulachra intelligibilium rerum, omnis receptio est passio, ideo dicitur esse passibilis, secundum perfectionem, impassibilis corruptione, ideo dicit susceptiuum specierum, ideo uideatis quomodo, hic clare dicat intellectum esse immortalem.

Lectio III.

QVIA ex declaratis intellectus est impassibilis, & si sentire est intelligere, sentire est passio sensus in potentia, igitur intelligere est passio intellectus, in potentia. Sed non hoc. Hæc uerba exponi uidentur bifariam. Vno modo, ab Alexandro, intellectus non est hoc, id est, non est ens actu, quia sicut materia non est actu ens, quia est susceptiua specierum materialium, ita intellectus est locus formarum intelligibilium. Sed obiicit Ioan. quia inquit, cum intellectus sit anima, ut Arist. inquit, ergo actus primus & sic forma, quomodo dixit, quod non est forma, neque includens formam, ideo Ioan. dicit,

dicit, non eſt hoc, id eſt intellectus non eſt hoc intelligibile actu, quia intelligit quod nunquam intellexit. Sed dicit Ioan. ipſe intellectus intelligit ſe, uel ipſum, & ipſe eſt actus, quomodo igitur intellectus eſt potentia intelligibile, quia intelligit ſe, quod eſt actu intelligibile, dicatis, quod Ariſt. loquitur de intelligibili per ſe, quod habet in ſe proprium ſimulachrum, & ſic intellectus eſt intelligibile potentia, eſt intelligibile per accidens, ut anima rationalis, quia intellectus non habet proprium ſimulachrum. Sed per accidens, & ſic hoc intelligibile eſt actu. Sed de hoc non loquitur Ariſt.

Textus IIII.

NECESSE itaque quoniam omnia intelligit immiſtum eſſe ſicut dicit Anaxagoras ut imperet. hoc autem eſt ut cognoſcat deſpectum, apparere enim prohibet extraneum, & obſtruet

Neceſſe eſt itaque. Iſtis oſtenſis, quòd ſentire ſit paſſio perfectiua, & quod paſſio intellectus ſit ſimpliciter perſectiua, ex hoc fundamento declarat qualis nam ſit ſubſtantia intellectus, & inquit. Eſſe immixtum, ut Anaxagoras, & eſt immixtus dupliciter, quia immixtus, quia non eſt corpus immixtum eſt, quia non eſt uirtus in corpore, & probat ſic, intellectus potentiæ omnia intelligit, ergo non eſt corpus, nec uirtus in corpore, & tenet conſequentia ex negatione conſequentis ſuper negationem antecedentis, unde ſequitur conſequentia ex hoc, quia omne corpus afficitur qualitate aliqua, & corpus non apprehendit ſuam qualitatem, quia non apprehenditur etiam uirtus in corpore, non poteſt intelligere propriam qualitatem, ut patet de tactu, qui non poteſt percipere proprias qualitates, nec ſibi ſimiles in alio corpore, cum ergo intellectus omnia intelligit, ergo ſequitur, quòd ſit immixtus, etiam illa qualitas impedit apprehenſionem aliorum ſenſibilium, quia iuxta exiſtens prohibet extraneum, ut patet de lingua amara illa amaritudo prohibet apprehenſionem aliorum ſenſibilium, ſi ergo intellectus omnia intelligit, ſequitur quòd ſit immixtus, ideo Anaxagoras, qui ponebat primum intellectum recurere omnem partem ſimularem a ſimulari, dicebat ipſe quòd omnia erant confuſa, & ex quo ſucurrerat partem ſimilarem, a ſimilari, quod intellectus ipſe uel expers ſimilaris partis, ita ergo de intellectu ſi ipſe omnia intelligit debet immixtus eſſe, ſed dices, quomodo intellectus potentia omnia intelligit, quia hoc tantum conuenit intellectui diuino, ſecundo probo eadem eſſe quod ſubſtantiæ ſeparatæ ſint abſtractæ quia dicam omnia intelligit, ergo immixtus, quid ſequitur, quòd non tantum erit uia motus, ad probandum ſubſtantias abſtractas eſſe. Eius oppoſitum dicimus nos, & Auer. primo phyſicorum etiam quia Ariſtoteles non eſt uſus ulla alia uia. In 8. phyſic. & 12. metaphyſic.

De primo dico, quod omnia intelligere conuenit, intellectui humano, ut in 5. tex. infra declarabit philoſophus, & ibi dicemus, &c.

De ſecundo dico, quod non eſt alia uia ad probandum ſubſtantias abſtractas eſſe, quam uia motus, dices, hic utitur alia uia, dico, quod aliquæ ſunt uirtutes ſeparatæ a corpore, & per ſe, & per accidens, ut ſunt ſubſtantiæ abſtractæ, ſuperiores. Aliqua eſt uirtus ſeparata, quæ ſecundum quid ſeparatur a corpore, quia per accidens eſt coniuncta corpori, ut anima humana, ad inueſtigandum ſeparationem ſimpliciter, nec eſt alia uia, niſi uia motus, & ſic 8. phyſic. & 12. metaphyſi. proceſsit, ex motu ad probandum ſubſtantiam abſtractam, ſecundum quid poſſumus uti alia uia a uia motus, de facto hic Ariſt. utitur alia uia &c.

Lectio IIII.

SVPER commento quarto aduertit Auerroes digrediendo, quod duas propoſitiones nobis demonſtrat, quæ maxime aduertenda ſunt, quæ ſunt fundamenta, & principium totius ſcientiæ rationalis. Prima propoſitio eſt, quod intellectus eſt uirtus paſſiua, quia patitur ab intelligibili, ſicut ſenſus eſt uirtus paſſiua, quia patitur a ſenſibili. Virtus actiua non patitur, ſed agit, & ſic intellectus agens eſt uirtus actiua, quia agit per actiones ſuas in intellectum potentiæ. Secunda propoſitio eſt, quod intellectus eſt intraſmutabilis, id eſt, eſt incorruptibilis, & per ſe, & per accidens, quia ſenſus corrumpitur a ſuo obiecto per accidens, quia excellens ſenſibile corrumpit organum ſenſus, ſecundam propoſitionem probauit ex hoc, quia omne recipiens debet eſſe denudatum a natura recepti, intellectus hominis recipit omnes formas materiales, igitur non eſt aliqua forma materialis, Ariſt. dixit, omnia intelligit, ideo immixtus. Dubitat Auer. de prima propoſitione, quòd intellectus eſt uirtus paſſiua, quia phantaſmata mouent intellectum, uirtute animæ rationalis, quæ abſtrahit iſta a conditionibus materiæ, omne illud quod agit, uirtute cuius alterum agit, eſt actiuum, quia ſemen agit generationem uirtute cœli, ideo cœlum eſt cauſa actiua, ita ſi phantaſmata mouent intellectum uirtute animæ rationalis, ergo anima rationalis eſt uirtus actiua, quomodo ergo paſſiua, dicit Auer. quod in rei ueritate anima rationalis eſt uirtus actiua, quia in anima rationali, ſunt duæ uirtutes. Vna quæ appellatur intellectus agens. Altera intellectus potentiæ, anima rationalis reſpectu agentis eſt actiua uirtus,

reſpectu

respectu potentiæ intellectus est uirtus passiua, & sic phantasmata respectu intellectus agentis, agunt notiones in intellectu potentiæ, quia phantasmata non possunt producere notiones illas uniuersales, quia sunt perfectiores phantasmatibus, ideo datur intellectus agens, an illæ duæ uirtutes distinctæ re, dicemus infra.

Sed dubitat Auer. quia intellectus agens est prior materia, & perfectior intellectu potentiæ, quia ordo doctrinæ est uniformis ordini naturæ, igitur eius notitia debet præcedere notitiam de intellectu potentiæ, dicit Auer. Arist. præuertit ordinem, quia facilior erat notitia intellectus potentiæ, quàm intellectus agentis, quia habet conuenientiam cum sensu. Ambæ enim sunt uirtutes passiuæ, ideo incepit ab intellectu potentiæ.

De alia propositione, quòd intellectus est incorruptibilis, & ratio est, quia omne recipiens debet esse denudatum a natura recepti, dubitat in hac propositione, quia intellectus intelligit substantias abstractas, quia ei debetur perfecta intellectio, si intellectio perfecta, igitur intelligit substantias abstractas, perfectum intelligibile, & tale sunt substantiæ abstractæ, cum ergo intelligit illas substantias abstractas, intelligere est pati, pati recipere, & ipsa est abstracta, ergo denudatur a natura recepti, etiam quia, intellectus omnia intelligit, intelligere est pati, pati recipere, ergo non denudatur ab omni recepto.

Dicit Auer. quod propositio ista est intelligenda, quòd omne recipiens debet esse denudatum a natura recepit, specie, potest tamen esse eiusdem generis, & sic soluentur omnia argumenta. Cum dicis, intellectus est abstractus, uerum est, intelligit substantias abstractas. Dico quòd illæ substantiæ abstractæ differunt specie, ab ipso, & si sint eiusdem generis, ita dico, si intellectus est ens recipiat omne ens, dico, quod intellectus distinguitur ab aliis entibus specie, ita si recipit omnes species, distinguitur tamen specie ab aliis formis, & si sit eiusdem generis.

Lectio V.

SED apud Latinos est dubitatio in hac propositione, quia dixit, recipiens differt a recepto specie, uidetur falsum, quia oculus percipit, suam magnitudinem reflexe, figuram, & colorem, si uidet colorem, & magnitudinem, igitur recipit, quia sentire est pati; pati est recipere, ergo oculus recipit receptibile eiusdem speciei, & quia tactus percipit intensiorem colorem, qui specie non differt a calore tactus, & tamen tactus recipit, calorem. Et quia illa propositio est communis, demonstratio autem procedit ex appropriatis, ex primo posteriorum, ideo propter has instantias dixit Scotus, & Gregorius Arim. quod illa propositio est falsa, dices Arist. usus est hac demonstratione, falsum est, quia utitur alia, scilicet quod anima intelligit. Sed propositio Auer. est uera, quia ne dum est Auer. Sed etiam Arist. primo posteriorum, etiam Platonis in Timeo, quia declarauerant ita materiam primam quia dixerunt materia potest recipere omnes formas, quia denudata est omni forma, & secundo huius de sensibili dixit, quia inquit organum uisus debet esse a colore denudatum, nec recipere ualet omnes colores, ideo recipiens debet esse denudatum a natura recepti, & ita de aliis sensibus, propter tactum, qui non poterit esse expers qualitatum, quia est corpus mixtum, ideo percipit qualitates similes sue intentionis, tamen & hæc demonstratio reducitur ad illam, quia si anima intelligit, debet igitur esse denudata ab omni forma, & in declaranda hac propositione forte sunt sex modi dicendi. Ego breuiter declaro ex uerbis Auer. hic, & in secundo huius 67. omne recipiens est alterius speciei ab eo quòd recipitur, & non includit aliquid eiusdem speciei, cum accepto, si includit ei non est ratio recipiendi, exemplum, uisus recipit omnes colores, ideo denudatur ab omni colore, si habeat colores, ipse color non est ratio, quod recipiat colorem, & hoc dico propter tactum, quia & si tactus differat a qualitatibus primis specie, tamen ens includit. Sed tactus non recipit caliditatem, in quantum calidum, nec frigiditatem, in quantum frigidum. Sed ratio recipiendi qualitates primas, est temperatura confusa ex calido, & frigido, & sic, quia temperatur, differt a calido, & a frigido, specie, quia differt specie ab extremis, ita recipit humiditatem, temperatur ex humiditate, & siccitate.

De primo dico, quòd oculus recipit proprium colorem, & propriam figuram, non quo habet ista. Sed inquantum potest recipere omnia sensibilia & conuenientia.

De alio dico, quod tactus differt specie a qualitatibus primis, & si ens includit, non percipit tamen earum ratione ut diximus de alio, quia non poterit formari ratio Arist. dico, quòd faciliter formatur, ex hac propositione, quia accipit formam primam partem propositionis, quia est copula una, & sic dicam recipiens est alterius speciei a recepto, sed intellectus recipit materialia; igitur non est materialis, &c.

De alio quod illa est propositio communis dialetica, ideo non est demonstratio, dico, quòd est demonstratio, quomodo esse potest, quia tantum in mathematica est demonstratio, illa enim causa aliæ uero non sunt ueræ scientiæ, dico secundo quod illa propositio est propria hic, sicut propositiones superioris scientiæ contrahuntur, ita illa hic contrahitur.

Est dubitatio de secunda propositione, quia inquit intellectus recipit simulachra formarum,

& omnes

& omnes formas materiales, hoc non est uerum, quia recipit simulachrum formarum, distinguitur ergo a simulachris non sequetur tamen quod sit immixtus, secundo non recipit omnes formas materiales, quia non recipit omnes formas plantarum, & quia cum intellectus sit coniunctus phantasiæ, quæ est forma materialis, si intelligit omnes formas; debet ergo intelligere phantasiam, & sic phantasia intelligit se ipsam, quia quòd prius est in intellectu, fuit in sensu, si intellectus, ergo intelligit cogitatiuam, ergo cogitatiua se ipsam intelligit; quod est falsum, quia nihil intelligit se met. ipsum, propter hoc præceptor meus dixit, quod simulachra erant idem re cum rebus, differunt tamen, secundum rationem, quia subiecta habent esse in materia, in uisu, habent spirituale; quia ratio Arist. non concludit. Sed hæc opinio defendi non potest, dico ad argumentum, quia dicis simulachrum & res non differunt nisi esse ipso, an duo illa esse sint distincta, an eadem, si sint distincta; ergo & ipsa sunt distincta, si unum esse, idem non producit se ipsum, si simulachrum sit genitum, ergo distinguitur a re, & fuit tantæ efficaciæ hoc argumentum; quod ipse negauit producere simulachrum suum in oculo, dixit Arist. & omnes mathematici falsum dixerunt, sed errat, ideo dico secundum expositores, quòd duplex est receptio realis, & spiritualis; & propositio, quòd omne recipiens debet esse dinudatum a natura recepti intelligitur de utraque receptione, ideo primo physicorum, de materia dixit, recipit omnes formas naturales, ideo denudatum est ab omni forma materiali, de spirituali usus fuit, secundo huius de sensibus.

Erat dubitatio super demonstratione Arist. in 4. tex. sicut formabat Auer. quia omne recipiens denudatur specie a recepto: Sed intellectus potentiæ recipit omnia materialia, ideo est immaterialis, & dixi quod re uera, tota illa demonstratio fundatur in illa propositione, omne recipiens denudatur a natura recepti, fecimus duas dubitationes in minori, quæ erat, intellectus pasibilis accipit omnes formas materiales, quia recipit simulachra: Aliqui dixere, quod hoc est argumentum, quod simulachrum, quod erat cum forma materiali. Sed confutaui hanc opinionem & dissolui argumentum, quod uera erat propositio in materiali, & in spirituali, & est usus in materiali in primo physic. de materia prima, de spirituali usus est in secundo huius in capite de uisu, uera ergo est in utraque receptione, siue materiali, siue spirituali & intellectus debet denudari, non tactum a simulachris, sed a formis materialibus, &c.

De secundo, quòd intellectus non recipit omnes formas materiales, quia non intelligit multas formas plantarum, dico, quòd intellectus in nobis est capax plurium rerum, quam alij intellectus, & intelligere plura, dicit imperfectionem, quia qui plura intelligit magis patitur, & minus habet de actualitate, & sic imperfectior est, si autem non intelligit hoc est per accidens propter aliquod impedimentum extrinsecum operans, quia sicut materia est capax omnium formarum sensibilium, ita intellectus est capax omnium notionum, &c.

De alio quia necesse est intelligentem phantasmata speculari, intellectus ergo intelligit animam sensitiuam, si intelligit, recipit ergo eius simulachrum, potest nisi adsit impedimentum, ergo anima sensitiua ut phantasia, uel recipit suum simulachrum, uel non, si recipit, reciperet ergo propriam imaginem, & sic recipiens non esset denudatum a natura recepti, si non recipit nec intelligit illam, quia intelligentem oportet phantasmata speculari. Dico ut dixi, quod intellectus est capax omnium formarum sensibilium, & sic natus est suscipere simulachrum animæ sensitiuæ sibi coniunctæ, per accidens tamen non suscipit, quia oportet suscipere mediante ipsa phantasia, quia phantasia non potest recipere suum simulachrum, quia recipiens denudatum est a recepto, ideo intellectus non intelligit simulachrum sensitiuæ, sed per accidens quia intellectus suscipit & intelligit formas materiales, ita sensus exteriores debent recipere formas substantiales, eas tamen ut dicimus, non intelligunt sed recipiunt tantũ, tamen uirtus interior hominis intelligit formas substantiales singulares, &c.

Textus V.

QVARE neque ipsius est esse naturam neque unam, sed ad hic, quòd possibilis sit uocatus utique animæ intellectus, dico autem intellectum quo opinatur & intelligit anima, & hic nihil est actu eorum quæ sunt ante intelligere.

Lectio VI.

QVARE neque. Sequitur quintus textus ab Arist. infertur correlarium ex quo intellectus intelligit, id est omnes formas materiales recipit, ergo simulachra illarum formarum, intelligere est pati, intellectus ergo est in potentia ad omnes materiales formas, nulla horum est actu, nisi cum apprehendit, sic sequitur quod intellectui humano insunt potentia omnes notiones formarum, & nulla actu, hoc contra Platonem; qui uolebat omnes notiones coniunctas esse, dicit Ioan. sequitur quod errauit Alexander, qui dixit intellectus est potentia, non actus, sed quomodo Alexander intelligat, dicam infra confutat Alexandrum Ioan. quia omnis anima est actus, sed intellectus est anima, ergo intelle-

ctus est actus, & exponit, Arist. quomodo intellectus sit potentia, & inquit est in potentia, ad recipiendas formas materiales, est tamen in actu respectu corporis, est enim anima corporis actus. Dico autem, & quia phantasia, appellatur ab Arist. intellectus possibilis, non phantasia omnis, sed tantum illa hominis appellatur intellectus, quia sicut intellectus apprehendit, discurrit, ita phantasia, & talis intellectus pasibilis, est deductus de potentia materiæ, & est immixtus, ideo declarat, de quo intellectu loquatur, cum dixit intellectum esse immixtum, ut dixi, intelligo de intellectu proprie dicto, qui habet duas operationes, intelligitur practicæ, & speculatiuæ, Auer. facit longam digresionem & est bona digressio, primo ergo Auer. exponit textum, secundo digreditur, primo dicit, quod Arist. exponit diffinitionem intellectus humani, quia inquit est in potentia, sed hoc non est uerum, sed infert correlarium, ut supra dixi, dicit tamen Auer. quòd hic tradit diffinitionem intellectus humani quia inquit est in potentia ad suscipiendas omnes formas materiales, sicut materia, & est apta suscipere omnes formas intellectuales, hæc igitur est diffinitio intellectus, intellectus est uirtus & potentia ipsa, comprehendere omnes formas intelligibiles, qua intelligibiles, & dicit, quòd in hoc quod dicitur potentia innuit genus animæ, quia duplices sunt uirtutes actiuæ, ut generatiua, & augmentatiua, sunt passiuæ uirtutes, ut sensus, nunc autem non loquimur de intellectu agente, dicit ergo intellectus est uirtus animæ in potentia ad differentiam uirtutum actiuarum, dixi comprehendere formas qua intelligibiles, & per hoc differt a sensu, quia sensus suscipit formas, sed non qua intelligibiles, sed qua sensibiles, & incipit hic digredi, & habet duas partes, in prima parte declarat quid sequitur, inquit primo sequitur, quòd intellectus non sit materia, & hoc dixit propter Theophrastum, qui dicebat materiam esse intellectum hoc argumento ut dicit Them. quia dicit duæ primæ potentiæ non possunt esse in eodem subiecto, sed materia est pura potentia, & intellectus est pura potentia ad recipiendum formas, ideo sunt idem, inquit, Auer. dissoluit argumentum ex definitione data, quia intellectus comprehendit, non comprehendit, etiam quia materia recipit formas particulares, intellectus uniuersales, intellectus ergo & materia differunt.

Secundo sequitur, quòd intellectus nec corpus sit, nec uirtus in corpore, & patet hoc ex operatione, quia intellectus percipit sine conditionibus materiæ, ideo in aliis non est alia uia ad probandum, quòd intellectus sit immaterialis, patet ex operatione, ideo intellectus non est corpus nec uirtus in corpore, & quia hæc operatio intellectus uniuersalis, ideo non utitur corpore, ut organum, inquit Auer. seiungitur intellectus a materia prima, & a secunda, materia prima est illa, quæ est in elementis, secunda materia est illa, quæ est in mixtis, & est eadem cum prima, ut tamen affecta est qualitatibus, secundum Auer. secunda materia, sunt ipsa elementa refracta, intellectus seiungitur ab utraque materia, quia utraque recipit particulariter, sunt uerba difficilia in Auerroe quorum conclusio est terminatio primæ materiæ, & possunt dupliciter exponi, primo modo, quòd inclusio, id est receptio formæ est terminatio primæ materiæ, secundus sensus est, quòd inclusio, id est receptio duplex materiæ, cum prima materia determinat quo mixtum, secunda pars digressionis quid sit intellectus, & ponit multas opiniones, primo ponit opinionem Themistij, & Theophrasti, & primo quid senserit de intellectu speculatiuo, scilicet de ratione, qua intuemur res, prima pars est clara apud Themistium a 26. capite usque ad 30. in 39. declarat Theophrasti opinionem. De secunda parte non inueni uerba in Themistio, ideo miratus sum de Auerroe, dicit ergo Auer. quòd isti dicebant, quod intellectus, quo ad utramque uirtutem, est ingenerabilis & incorruptibilis, & probat primo argumento Aristotelis hic, quia omne generabile est corpus, uel uirtus in corpore, in causatum ex potentia materiæ, sed intellectus non est corpus, nec uirtus in corpore, probatur ex Arist. quia omnia intelligit, si esset uirtus in corpore non omnia intelligeret, quia esset affecta qualitatibus, ideo illas non intelligeret, sicut sensus non percipiunt proprias qualitates, ideo intellectus non est uirtus in corpore, secundo adsunt tria uerba, quæ hoc demonstrant, primo in 3. tex. ubi dicit, oportet intellectum esse impasibilem, id est non subiici corruptioni, secundum uerbum dixit immixtus, in tex. 4. id est non est corpus nec uirtus in corpore, tertium uerbum in tex. 12. dixit intellectum esse simplicem, id est intellectus non est coniunctus materiæ, sed separatus, & Auer. inquit hæc tria uerba conueniunt uirtuti ingenerabili proprie, & uere dicit Auer. improprie tamen hæc conueniunt uirtuti generabili uel formæ elementorum. Primo est impossibilis, quia nulla forma patitur, nisi per subiectum, ideo esse impassibilis dicitur immixta, id est, non coniuncta materiæ, id est, remanet materia, & commouetur forma, nec autem simplex, quia aliæ formæ resoluuntur in illas. Sed iste est improprius sermo, quo non debemus uti in scientia. Est aliud uerbum Arist. in secundo de generatione animalium cap. 3. Vbi dicit, quòd solus intellectus extrinsecus aduenit. Aliæ animæ deducuntur ex uisceribus materiæ; quomodo exponat Alexander hæc uerba, dicam infra, quia ipse exponit de intellectu agente. Videtis tamen nos; quomodo hic

nullum

nullum uerbum habuit de intellectu agente.

Lectio VII.

EXPONEBAT nobis Auer. opinionem Themistij de substanntia intellectus, & dixit una cum Them. quòd erat ingenerabilis, & incorruptibilis. Secundo aggreditur, quid sit intellectus speculatinus, secundum ipsos, & per speculatiuum intellectum, intelligit notionem in intellectu, & hæc pars non inuenitur in Them. primo declarat esse huius intellectus. Secundo conditiones, primo quod iste intellectus insit, quia intellectus potentiæ inest cuilibet nirtuti passiue, in actiua correspondet actiuæ deducens eam de potentia in actum, quia esset frustra, si non esset talis potentia actiua, ergo notiones intellectionum sunt, quia illæ intentioues sunt finis intellectus agentis, in intellectum potentiæ, & per illius notiones intellectus potentiæ reducitur in actum. Secundo ponit conditiones, prima est, quod intellectus speculatiuus se habet ad intellectum agentem, sicut artifex ad artem, quia artifex facit effectum artificialem transmutando tantum materiam accidentalem, ita intellectus agens transmutat intellectum potentiæ accidentaliter, in natura, agens transmutat subiectaliter. Secundo notiones sunt æternæ in nobis, probat, quia intellectus potentiæ æternus, intellectus agens æternus, qui est, & faciens, ergo æterna est notio, quia si causa est æterna, & effectus æternus, & consimili demonstratione usus est Arist. 8. physic. ubi dicit, motor æternus, mobile æternum, ergo & motus æternus. Ex quo sequitur, quòd illæ actiones non sunt propriæ factæ, quia quod fit, in tempore fit, sed illæ notiones, sunt æternæ, quomodo igitur factæ, & sunt factæ secundũ similitudinẽ, & exponuntur hæc uerba dupliciter. Primo sunt factæ similitudinarie, quia idem re sunt intellectus potentia, & intellectus agens & notiones differunt tantum ratione, uocatur intellectus agens inquantum habet res intelligibiles in potentia, actu intelligibiles & intelligit, illam operationem uocant intellectus potentiæ notiones sunt cum fiunt ex præsentia phantasmatis. Sed mihi non placet hæc opinio, quia Them. in sua digressione dixit, quòd intellectus potentiæ & agens differunt re. Primo quia dicit intellectus potentiæ est prior tempore intellectu agente, ergo differunt. De Theophracto clarum est, quia 39. cap. dixit, intellectus agens differt ab intellectu potentiæ re, quia idem non agit in se ipsum, nec patitur a se ipso, nec actione reali, nec actione spirituali, ideo inquit, coactus fuit Arist. ponere intellectum agentem præter intellectum potentiæ, ideo aliter dico, sicut hic uidetur Auer. quod duæ substantiæ sunt in nobis secundum rem. Vna est intellectus potentiæ. Altera intellectus agens, notio est unio intellectus possibilis, cum intellectu agente, & talis. Vnio fit ex præsentia noua phanrasmatis, in se tamen est æterna, quia illa notio est substantia intellectus, sed appellatur facta, respectu Socratis, quia illa notio est noua Socrati ex præsentia noui simulachri, quid ergo est iste intellectus speculatiuus, dicit est perfectio intellectus potentiæ, ab intellectu agente, ideo dicit Auer. est compositio ex utroque intellectu, itaque notio lapidis est compositio ex utroque intellectu, de nouo facta, respectu Socratis, & sic, sunt duæ substantiæ distinctæ. Opinio obiicit sibi, quia intellectus agentis substantia est notio perpetua, quia infra dixit intellectus quinque intelligit, quinque notio, id est agens intellectus aliquando producit notiones, aliquando non, ideo intellectus potentiæ aliquando intelligit, aliquando non, si ergo producuntur illæ notiones, non ergo sunt æternæ, quia factæ ab intellectu agente. Secundo, quia necessitas ponendi intellectum potentiæ in nobis fuit, quia notioues in nobis non sunt perpetuæ, quia experimur in uobis, quòd apprehendimus notiones quas non habebamus, sicut ergo notiones noue, respectu opinionis. Dico notiones sensibilium dupliciter possunt considerari. Vno modo absolute ut sunt substantiæ intellectus agẽtis, & sic sunt æternæ, quia intellectus agens est æternus, si considerantur, ut sunt notiones illius indiuidui non sunt æternæ, quia fiunt ex præsentia notiotis, quæ non erat primo notio, ideo cum Aris. dicit intellectus quandoque non, & hoc est, quia notiones non sunt factæ, loquitur Arist. de notione respectu illius indiuidui, & hæc opinio confirmatur ex duobus uerbis Arist. quia intellectus separat formas lapidis, & facit uniuersales, & hoc fit cum nouum sit phantasma præsens eius rei, ita illæ notiones sunt nouæ ex nouitate phantasmatis, secundum uerbum, in secundo huius. Vbi dixit intelligimus cum uolumus, & reddit causam, quia simulachrum reseruatum in anima nostra, ideo possumus intelligere rem absentem, ideo dicebat possumus intelligere plura, & pauciora, cum uolumus, quia in nobis sunt phantasmata, ita illæ notiones sunt nouæ, in præsentia noui phantasmatis, ideo nihil difficile, si dicamus, quòd illæ sint notiones, æternæ & factæ, similitudine. Arguit Auer. aduersus opinionem, & inducit duas dubitationes difficillimas. Primo quia dicit, quòd intellectus agens est notio, quæ quidem perpetua est, & est subiectum intellectus agentis dicit Auer. intelligere est sicut sentire. Sed sentire est pati, ergo & intelligere est passio facta ab intelligibili, non ergo substantia intellectus agentis est notio omnium rerum, quia illa notio fit ab intelligibili. Secundo dicit, non uidetur uerum, quòd notiones perpetuæ habeant esse in phantasia, ergo simulachrum in phan-

tasia est perpetuum, si in phantasia est perpetuum, ergo in sensu exteriori, & sic ergo lapis esset æternus, quia sensus exterior apprehendit tantum in præsentia, si lapis æternus, ergo intelligit, quod est absurdum, arguit Auer. ad aliam partem, quòd illæ notiones sint perpetuæ argumento eorum, quia intellectus potentiæ perpetuus, & intellectus agens perpetuus, ergo notiones perpetuæ, quia sicut causa perpetua, ita & effectus, & consequentia tenet ex 8. physic. Motor æternus, mobile æternum, ergo motus æternus. Sed dico arg. Auer. non ualet, notiones sunt perpetuæ, ergo simulachrum est perpetuum, quia potest remouere simulachrum, & adhuc possunt remoueri notiones, & Auer. non dissoluit argum. Dico quòd arg. Auer. est dialecticum, ipsumque inducit, ut nobis rei difficultatem demonstret.

Lectio VIII.

ERAT dubitatio Auer. aduersus Themist. de substantia intellectus speculatiui, quæ nihil aliud erat, quàm intellectus agentis substantia, & dicit, quòd huic opinioni imminet difficultas Them. 5. si notiones rerum materialium, sint substantia intellectus agentis, cum Themist. dicat quod una substantia sit intellectus agentis in omnibus hominibus, disputat Them. an sit una substantia numero intellectus agentis in omnibus hominibus, & disputat ad utranque partem, declinat tamen ad hæc, quòd sit una substantia in omnibus hominibus, quidquid dicat Them. in opus 16 & maxime hoc arg. quia si non esset unus numero intellectus agens, ergo plurificatur, si plurificatur, ergo materialis, plurificatio prouenit ex materia, & Them. huic arg. non satisfecit, nec satisfieri potest, si ergo substantia intellectus agentis sit una numero in nobis, eadem erit notio in hominibus. ergo separata a materia, ergo & substantia intellectus potentiæ est una numero, & sic separata, quia ea qualitate arguimus substantiã, ideo dicit Auer. idem erit inditium de prima perfectione, & ultima perfectione, quòd autem hoc sit absurdum, quòd intellectus potentiæ sit unus numero, infert quattuor absurda, & arguit contra Themistium, ut ostendat difficultatem quæstionis, non quod argumenta concludant. Primum argumentum sequitur, quòd ego, & tu, & omnes homines erunt idem numero, quia forma est principium essendi, & habet esse hoc indiuiduum, ex sua forma principaliter, quia etiam habet esse ex natura, sed secundario, si anima rationalis est una numero, ergo omnes homines sunt unus numero. Secundo sequeretur, quòd Socrates, antea quam esset, quia ante generationem Socratis erat anima rationalis in Platonem, & tota quidditas Socratis est ipsa anima, ideo est antequam sit. Tertio sequetur quòd homo non sit mortalis. Sed tantum qua animal corrumpetur, quia homo, qua homo, includit animam rationalem, quæ est æterna, ergo homo æternus, dices quid dicit hic Auer. quòd per aliam formam homo habet esse specificum, per aliam genericum, quia una est tantum forma, qua habemus esse specificum, & genericum, differt secundum diuersos modos, essendi, non dicatis sicut Gandauensis, quòd tot sint formæ substantiales, quot prædicata essentialia, quid ergo dicit Auer. quòd homo, qua homo est æternus, qua animal corrumpitur, dico quòd hoc est peculiare homini, quia ipsi insunt duæ formæ distinctæ re, scilicet rationalis, & sensitiua, & homo, est homo per intellectum, per sensum autem est animal, intellectu est homo, comparando ad corpora cœlestia, quia ipsa sunt animalia, per intellectum, si comparemus ad bruta, sic homo est animal sensu, & sic corruptibile. Quarto sequitur, quòd cum Socrates adiscet, & Plato adiscit, quia est eadem anima, & quòd disciplina nostra erit reminiscentia æqualiter in omnibus hominibus. Ex alia parte si dicamus, quòd intellectus potentiæ, non sit unus numero. Sed plures, & tot quot homines, imminet alia difficultas, quòd intellectus potentiæ erit forma causata, ex materia, & intellectus, ergo plurificatur in omnibus hominibus, causantur ergo ex materia, & sic corruptibilis, maior est Aristot. ubique secundo huius natura dedit uirtutem generatiuam animali, ut possit multiplicare, ac acquirere esse perpetuum speciei, quia quæ æternæ sunt non egent multiplicatione, & secundo metaphysices, materia est causa pluralitatis, sua diuisione, forma cum qua præscindit se a conditionibus materiæ non plurificantur, eodem argumento utitur Aristot. ad probandum, quòd non possit esse nisi unus mundus, & idem dixit secundo metaphys. quia inquit si sint plures mundi eiusdem speciei, constabunt ergo ex eisdem corporibus, uti constat istæ, & ita ibi esset Sol cum isto sole eiusdem speciei, differunt tantum numero, ita quòd forma Solis erit eiusdem speciei cum Sole, qui est hic, ergo Sol est corruptibilis, quia multiplicatio arguit corruptionem, hæc de opinione Them.

Lectio IX.

SEQVITVR secundo loco opinio Alex. qui fuit, unicus. Primo recitat opinionem Alex. deinde inuehitur contra ipsum, deinde ponit eius solutionem, dicit, ut Alex. euaderet eas difficultates, scilicet quòd intellectus sit unus numero. Dico quòd substantia intellectus erat multiplicata, immo ideo generabilis, & corruptibilis, dicit non est mirum, quòd intellectus cum sit generabilis habeat ita diuersam operationem, dicit Alex. hoc non est mirum, quia ex mistione

ne elementorum illa forma mirabilis quæ intelligit uniuersalia est perfectißima forma in homine, quia habet perfectiorem complexionem ut prima primi dicebat Anicen. ideo dicebat Plato donantur formæ secundum merita materiæ, & declaro, quia uidemus; quòd ex parua combbinatione qualitatum resultant uaria subiecta, si contangatur caliditas cum siccitate resultat ignis, siccum humiditate substantia aeris, sunt se ualde diuersæ illæ substantiæ, ita inquit ex mixtione perfecta elementorum resultat forma hominis longe diuersa ab aliis, & citat duo loca, primus locus est in Paraphrasi, ubi dicit cansideraturi de anima, debent considerare apparatum corporis, & tot diuersas partes, non erit mirum, quomodo ex corpore humano consequantur tot uariæ operationes, ut nutrire, intelligere, itaque non est mirum si una substantia facit diuersas operationes; secundus locus est in libro de intellectu cap. 7. ubi dicit, cum ex mixto factus fuit ignis, id est cor uel proportionale cordis, ut possit omne instrumentum intellectus, potentiæ; & ibi excellit intellectus agens, & dicit huic assistit intellectus agens, est enim deus secundum ipsum a quo omnia fiunt, & appellat, intellectum actu, intellectum agentem, & ita omnes Græci dicunt quòd Alexan. tenuit substantiam intellectus potentiæ, esse corruptibilem, arguit contra opinionem Alexan. unico argumento, quia hæc opinio contradicit Arist. & opinioni Arist. ergo falsa; quia non est peripatetica, quòd autem ipse dixerit non esse generabilem patet quia in 3. tex. dicit intellectum esse impassibilem, ideo in hoc differt a sensu, quia sensus uidetur apprehendere uehemens sensibile, contra est quod intellectu, ideo pueri incipiunt adiscere mathematicam, quia facilior erat demonstratio Arist. quia intelligit omnes formas sensibiles. ergo non est forma corporalis, quia corporalis non acciperet omnes formas, sensibiles Alexander euadit, & bene euadit, dicit Alexan. bifariam summitur intellectus potentiæ ab Aristot. aliquando materialiter, aliquando formaliter sicut album summitur formaliter pro qualitate, materialiter pro subiecto, intellectus potētiæ materialiter est substantia educta de materia & mixtione materiæ & de isto intellectu non loquitur Aristot. sed ego loquor cum summitur intellectus formaliter, quia est ratio ad notiones sensibiles, in intellectum agentem, & talis intellectus est ingenerabilis & incorruptibilis, & de hoc loquitur hic Arist. si dicas quæ est alia proportio, aliqui dicunt quod est qualitas de prima specie, quæ est per se ingenerabilis eo quòd uniuersaliter apprehendit, sed hæc opinio non sapit Alex. mentem nec Auer quia Auer. in secundo physicorum 2. tex. dixit, alteratio non reperitur in prima specie, nec in quarta, ergo in tertia specie, cur non facit mentionem de secunda specie qualitatis, respondit Alexan. & Auer. quòd dimisit secundam speciem tanquam manifestam, quia non est propria qualitas, sed substantia est eadem cum eo cuius est substantia, itaque naturales potentiæ non distinguuntur a suis substantiis, & non ponderarunt uerba Arist. Auer. quia infra dicit, quòd talis præparatio in aduentu notionum perditur illa secunda qualitas in aduentu notionum non perditur. Aliqui dicunt, quòd per præparationem intelligit priuationem omnium notionum, sed hoc est puerile, quia intellectus habet operationem, priuatio autem non habet operationem, ideo talis intellectus non est priuatio, quæ est præparatio, dico quòd est relatio de prædicamento relationis ad suscipiendas notiones uniuersales, & talem potentiam appellat separatam a materia, ratione; quia omnis relatio specificatur a suo termino, & respicit formam separatam a materia; quia illæ notiones sunt separatæ a materia & intellectus agens separatus a materia, ergo illa præparatio est a materia separata, si dicas cum corrumpitur substantia intellectus potentiæ, non ne corrumpitur talis præparatio, dico, quòd sic, sed per accidens ad corruptionem intellectus potentiæ, per se tamen est incorruptibilis.

Lectio X.

EXPONEBAM mentem Alexan. quia dicebat quòd erat duplex intellectus unus secundum materiam, & sic istæ intellectus erat corruptibilis & eius substantia causata a materia alio modo sumebat intellectus formaliter, & erat præparatio intellectus secundum materiam quid sit illa præparatio dixit, quòd non erant qualitates de secunda specie, quia illæ qualitates non distinguuntur ab illis quorum sunt substantiæ, nec erat priuatio, quia si sic intellectus esset ens priuatiuum & sic careret operatione, priuatio enim caret operatione, ideo dicebat quod erat potentia de genere relationis, substantia intellectus, materialis ad notiones recipiendas ad intellectum agentem, quia omnis relatio specificatur a suo termino, terminus est intellectus agens, qui est forma perpetua, ideo talis præparatio appellatur perpetua, Auer. obiicit Alexan. tribus argumentis primo, quia dicis, quòd cum Arist. dicit, quòd intellectus immixtus, loquitur de illa præparatione quæ est potentia intellectus materialis, eodem modo dicit Auer. quia infra dicit, Aristot. quod intellectus potentiæ in nobis est similis tabulæ rasæ, in qua nihil sit depictum, c[illegible] caret omni pictura, est tamen capax omni[illegible] figurarum, ita intellectus potentiæ est capax omnium notionum, caret tamen notione, sic Aristot. loquitur de potentia,

quæ est in intellectu materiali, ita habebat assimilari potentiæ tabulæ, & non tabulæ, si debet esse conueniens exemplum debebat dicere sic, in tabula pictoris est potentia, quæ est capax omnis figuræ, ita in intellectu materiali, est potentia capax omnium notionum, ad hanc dubitationem respondet Alexander quòd re uera Aris. non comparat intellectum tabulæ, sed potentiæ, quæ est in tabula pictoris, & sic per tabulam intelligit potentiam, reliquit Auer. solutionem & assumit aliud argumentum, quòd si Aristot. loquitur de illa potentia quæ est in intellectu materiali tunc demonstratio Arist. non erit demonstratio, quia demonstratio debet esse ex primis, ut primo posteriorum, & debet infere passionem de subiecto, & demonstratio erat, omne recipiens debet esse denudatum a natura recepti eo quòd nec sit corpus nec uirtus, in corpore, hoc quòd non sit corpus, nec uirtus in corpore, non competit intellectui formaliter, quia quattuor conuenit, primo conuenit intellectui materiali, quia non est corpus, nec uirtus in corpore, hoc tamen uidetur negare Alexander, conuenit potentiæ, tum potentiæ primæ, & secundæ, quia talis potentia non est corpus nec uirtus in corpore, tertio materiæ primæ conuenit, quarto conuenit omnibus formis abstractis, ergo non est propria demonstratio, quia hæc passio uirtus in corpore non conuenit tantum illi præparationi, secundo arguit, quia demonstratio non esset uera, quia cum dicitur omne recipiens debet esse denudatum a natura recepti, sed intellectus recipit omnes formas materiales, ergo minor est falsa, si accipiatur intellectus formaliter, quia perditur talis intellectus, formaliter in aduentu notionum, non ergo recipit omnes formas materiales, sed argumenta Auer. parum cogunt:

De primo illa non esset demonstratio, quia illa passio conuenit quattuor, ideo non est ex primis, non ue patitur Auer. eandem calumniam quia talis passio conuenit substantiis abstractis, secundo falsum est, quòd potentiæ primæ materiæ, uel secundæ conueniat passio hæc, quòd non sit uirtus in corpore, quod si subiectum est corpus, ergo eius potentia est uirtus in corpore, etiam quia materia includit formam materialem de necessitate, ideo est uirtus in corpore, etiam secundum argumentum parum concludit, quia Alexand. dicit, quod illa præparatio non accipit, sed est ratio recipiendi illas notiones, & in aduentu earum perditur, quia est earum notio, sed est unum argumentũ efficax, quia ex operatione arguimus super uirtutem, sed operatio intellectus materialis est a materia abstracta, quia non fit in aliqua parte corporis determinata, quia si fieret in parte determinata, post excellentiam intelligibilium non posset apprehendere imperfectiorem intelligibilem, sicut accidit sensui, sicut fit in omni parte corporis, etiam præscinditur ab omnibus conditionibus materiæ a loco, a quantitate, operatio abstracta, si operatio abstracta, ergo & eius uirtus est abstracta, & hoc argumentum, non potest dissolui, & Auer. ponit fundamentum, Alexan. ad probandum hanc opinionem. Primum fundamentum est ut euadant impossibilia sequentia, ex hoc quòd anima sit immortalis, & sunt hæc, quia si immortalis, ergo una, quia multiplicatio debetur corruptibili, & si una, nostrum scire erit reminisci & scientia quæ est in homine docto erit & in puero, etiam omnes homines erunt idem numero, propter hoc ergo dixit intellectum huius esse materialem, & esse mortalem, secundum fundamentum fuit, ubi Arist. dixit, anima est actus corporis organici, hæc definitio conuenit omni animæ rationali, ergo est ita actus corporis organici, sicut aliæ animæ, actus est finis proprius corporis organici, quia formæ sunt fines corporum, sed omnis proprius finis est inseparabilis ab eo cuius est finis, ergo animæ non separantur a corpore, & sic mortalis, hoc secundum fundamentum dissoluit Auer. & dicit quod Alexander deceptus est in argumento, quod definitio animæ uniuocæ conueniat omni animæ, hoc non est uerum, sed talis definitio conuenit animæ Analogicæ, ideo dicebat Aristot. ex definitione non sequitur manifeste, quod omnis anima sit inseparabilis a corpore, quod ad argumentum dicit Ioan. illo loco, quod anima rationalis non potest separari a corpore, quomodo igitur separata est, dicit Ioan. quòd anima rationalis habet plures operationes, quo ad aliquas est inseparabilis a corpore, ut uiuificare, quia uiuificat corpus necessario, secundo est mouere, & sic talis operatio corpori communicatur, habet aliam operationem sibi propriam, & talis est separabilis a corpore, & talis operatio est intelligere, quia non utitur corpore, ut organo, & sic anima separatur a corpore secundum causalitatem, nunquam potest esse sine corpore. Cum enim dicimus animam separari a corpore, intelligimus ipsam non causari a corpore, nec a materia. Deinde ponit opinionem auempace, & Albimazar, dixerunt istu, quòd anima rationalis est uirtus imaginatiua præparata ad interiores, id est ad phantasmata, ut sint actu intellecta, Albertus exponit hanc opinionem, quia inquit imaginatiua tripliciter accipitur. Primo modo ut est phantasia, & substantia, & sic est sensus, alio modo ut habet simulachra sensibilia, & sic appellatur intellectus potentiæ. Tertio modo ut habet notionem uniuersalẽ in illis simulachris, & sic est intellectus agens, fundamentũ huius opinionis erat ut euaderet arg. quod imminebat Alex. quia omnis forma materialis recipit formã materialẽ, uel si recipit spiritualem recipit signa-

ter

te & ſingulariter ſi intellectus, igitur eſſet uirtus materialis,non teciperet notiones, ideo dicit hæc opinio, notioues nou tecipiuutur in phantaſia, ſed iu ſimulachris, quæ uon ſunt materialia, ſunt alia argumenta aduerſus Alex. quia dicit ipſe, quod fiunt animæ a complexione, non igitur a motore extrinſeco,cuius oppoſitum dixerunt om nes expoſitores, ſed dices, non ue dixit Auer. 2. phyſ. aduerſus Platonem, quòd errauerunt qui dicebant animam uegetatiuam, & ſenſitiuam fieri a motore extrinſeco. De genetatione animæ fuete tres opiniones. Prima fuit Platonis, quòd animæ generarentur a Deo tantum,& ſic tantum a motore extrinſeco, & hanc opinionem recitat Auer. Aliqui ut Alex. poſueruut omnes animas generari a complexione, hanc recitat opinionem peripateticam eſſe,dicebat animam partim genetari ex materia, partim ex motore exttinſeco, ut a calore cœleſti, Auer. ergo cum dicit animas non indigere motore extrinſeco tantum, quia ſemper requiritur motor extrinſecus. Secundum abſurdum, quia ſi intellectus, fiat ex miſtura elementorum, ergo & eius operationes, quia ſubſtantia eſt nobiliot operationibus, ſed notiones ſunt uniuetſales, quæ non fieri poſſunt ex miſtura elementorum, ergo nec intellectu. Tertium, quia ſequeretur, quòd omnes formæ generarentut a caſu, quia in uecesſitate materiæ, quod eſt approbatum. Secundo phyſicorum ab Ariſt. Auer. tamen excuſat Alex. quia inquit,fuit magnæ auctoritatis, ideo & ſi concedet intellectum eſſe incorruptibilem uon ſequuntur tamen illa inconuenientia.

Lectio XI.

EXPOSVI opinionem Atabum tempote Auer quæ opinio etat ſatis extrauea,& erat illa quòd intellectus potentiæ erat uirtus imaginatiua, habens ſimulachra ut fiant actu iutellecta, ſubſtantia enim imaginatiuæ corruptibilis ſicut ſimulachta, & ſic appellatut intellectus potentiæ, deiude ut notiones actu accipiuntut in ſimulachris uocatur intellectus actu, Auer. aduerſus hanc opinionem triplici inuehitur argumento ubi dicit, reuertantur igitur. Ptimum eſt aduerſus hoc quòd uotiones uon recipiantur in ſub ſtantia imaginatiuæ, ſed in phantaſmatibus, & arguit ſic, ſicut ſe habet ſenſibile ad ſenſum, ita phantaſia ad intellectum, ut dicit Ariſt. ſed ſenſibile mouet ſenſum, cauſat enim in ipſo ſeuſationem, ergo & phantaſmata mouent ſubſtantiam intellectus, & producunt in ipſum actum intelligendi, ideo illæ uotiones fundantur in ſubſtantia intellectus, & uon in ſimulachris. Secundum idem moueret ſe ipſum, id eſt, produceret aliquid, & illud tale reciperet, quia illæ intentiones producunt illas uotiones actu, & illæ fundantur, in intentionibus illis, ergo idem produceret aliquid, & reciperet, ſed hoc eſt impoſſibile, in 7. & 8. phyſ. dictum eſt, ab Ariſt. quia inquit, ſi idem eſt mouens & motum idem eſſet actu, & potentia, & ita uidetis,hic tantum Auer. quòd uon tantum poteſt idem mouere ſe ipſum motu teali, ſed uec ſpirituali, eſt tamen dubium de uoluutate, quæ mouet ſe ipſam ad actum uolendi, ideo uoluntas mouet, & mouetur. Dico, & dicam, quod libertas non fundatut in uoluntate. Sed in intellectu, ideo ſi iutellectus bene dictat, uoluntas bene eligit, & talis libertas dicit imperfectionem apud Ariſt. ideo noluntas non mouet ſe ipſam, ſed eſt obiectum, ideo intellectus potentia nullomodo concurrit ad actum intelligendi. Tertio ſequitur, quod intellectus potentiæ habebit in ſui natura aliquid actu cuius oppoſitum dicit Atiſt. quia dicebat intellectus potentiæ eſt potentia denudata ab omni forma, quod autem hoc ſequatur declarat Gal. quia illa unitas imaginatiua, non eſt intellectus, niſi ut habet ſimulachra, ſed ſimulachra ſunt actu etiam ideo intellectus potentiæ includit aliquid actu, ſed tu dices. Non ne imminet Peripateticis difficultas, quia iutellectus potentiæ includit intellectum agentem, & ſunt duæ ſubſtantiæ diſtinctæ, ergo non eſt pura potentia. Dico, quòd includit accideutaliter intellectum agentem, uon eſt eſſentialis iutellectus potentiæ, ideo per ſe eſt purus, & ab omui forma denudatus. Quarto ponit ſuam opinionem, & inquit, opinio Ariſt. eſt uerior, Ariſt. immiuent difficultates arduæ, ſunt tres difficultates. Prima eſt de intellectu ſpeculatiuo, id eſt, de notione uniuerſali rerum ſenſibilium, eſt dubitatio hæc, an notiones illæ ſint æternæ, quia agens illas notioues eſt æternum, patiens eſt æternum, ergo illæ notiones æternæ, quia ſunt eorum effectus, & ubi cauſa æterna effectus æternus,& hoc pacto Ariſt & Auer. Eternitatem motus demonſtrarunt 8.phyſ ex alia parte ſunt productæ notiones ab intellectu, & qui producitur non eſt æternus, quia fit iu tempore, ergo non ſuut æternæ. Secunda difficultas, an illæ uotiones ſint una numero, in omnibus indiuiduis, uel diuerſæ numero, ita quod notio lapidis ſit eadem uumero in omnibus indiuiduis, uel diuerſa uumero, ſi ſint una numero, ſequitur quod doctrina, quæ fiet in uno, fiet in altero, oppoſitum docet experientia, ſi diuerſe numero, accidit dubium, quia ille notiones ſunt abſtractæ, ergo multiplicabiles, quia multiplicatio datur cortuptibili, ut ſecundo de Anima dixit Ariſtot. hac ratione probauit, quòd tantum ſit. Vnus mundus, etiam ſi diuerſa ſpecie ſit notio, in hominibus, ergo & eius ſubſtantia erit multiplicata, & ſic debet plurificari intellectus potentia. Tertia dubitatio Theophili, quia dixit Ariſt. quòd intellectus potentiæ, non eſt corpus,

nec

nec uirtus in corpore, intellectus potentiæ erit & ens, si ens, & potentia ens, & potentia est ens potentia, ergo intellectus erit idem cum materia. Ex alia parte differunt, quia materia non cognoscit, intellectus cognoscit, materia non separatur a materia, intellectus separatur a materia, ergo non est materia, & inquit Auer. dissoluendo argumentum, & uocat plures socios suos, ut indagant naturam intellectus, & dicit, si ego inueniam ueritatem, ut opinor, dissoluere debue ro rationes, quia uerum uero consonat, quæ imminent mihi, & tunc Auer. aggreditur ad dissoluendum primam rationem, & dubitationem, & inquit, sicut diximus quæstio est ambigua.

Secundo docet uiam ad dissoluendum argumentum, & inquit, si dicamus quod sit intellectus agens ut Themistius, & sit eadem substantia, ita quòd illæ notiones non sint nisi substantia intellectus agentis, facilè dissoluemus, dicendo quòd illæ notiones sint æterne, & inquit Auer. si notiones constituentur in esse duplici subiecto, id est, si notiones habent duplex principium unum ut constituuntur, in esse, & sic constituentur ab intellectu potentiæ. Aliud habent principium efficiens & intellectus agens, qui producit illas notiones mediantibus phantasmatibus, & sic intellectus agens impropriè appellatur subiectum, & sic ab agente dicuntur notiones ueræ, quia si notio uniformis est, tunc est uera, si non est conformis, falsa, & quia illæ notiones conformant rebus ut sunt, & sic si dicamus, quòd illæ notiones sint constitutæ a duplici principio, tunc imminet difficultas, quia dixit, quòd illæ notiones habent duplex subiectum, quia ita est de illis notionibus sicut de actu sentiendi, sed actus sentiendi constituitur a duplici causa, ab obiecto, scilicet, & a sensu, ita illæ notiones constituuntur in esse ab intellectu potentiæ, & a phantasmate, & sic errauit Auempace, quia uidebat, quòd illæ notiones erant intellectæ actu, aliquando potentia, ergo dices, & notiones in actu esse in ipsis in potentia, & ratio est, quia illud quod est actu, aliquando & potentia respectu eiusdem recipit illud actu, sed notio in potentia & in actu sunt huiusmodi, ergo, dicit, Auer. quòd hæc maior est falsa, bene conuertens est uera, id est, quod illud quod recipit aliquando habet esse actu, per illud quod recipit, ideo assimilant exemplum, quòd sicut sentire, ita intelligere, quia inquit uisio constituitur a duplici subiecto, a uisu recipiente, & à colore, tamen præsentia luminis, ita illæ notiones fiunt ab intellectu potentiæ, recipiente illas, & a phantasmatibus producentibus illas cum præsentia intellectus agentis, & subiungit uerba, quæ de rigore sermonis sunt falsa, quia inquit, color est color per lumen, quod est falsum, quia ipse reprobauit hanc opinionem, sed intelligit isto modo, quòd color non potest uideri, nisi præsente lumine, ita phantasmata producunt notiones cum præsentia intellectus agentis. Errauit tamen Gaetanus, qui dixit, intellectum dare formam phantasmatibus, quod est falsum, sed dicit intellectum dare lumen sensibilibus, sicut causa uniuersalis, ideo soluit dubitationem, & inquit, quòd illæ notiones sunt æterne, ex parte intellectus potentiæ, ex parte phantasmatum sunt factæ, sed hic sunt dubitationes, quomodo hoc fit, quia idem erit perpetuum, & non perpetuum, quod implicat, ut adhuc remaneant argumenta prius facta in quæstione, & quia intellectus potentiæ non habet illas, & tamen aliquando habet, & tamen producuntur in intellectu, potentiæ, non ergo æterne, dicam hæc argumenta in illa quæstione. Quomodo autem præsens inquit Auer. in primo proponit duas quæstiones, & ostendit difficultatem quæstionum ad utranque partem. Secundo dat modum soluendi. Tertio soluit dubitationem.

Lectio XII.

ERAT secunda quæstio, an intellectus materialis, scilicet potentiæ sit unus numero in omnibus hominibus, an notio eiusdem obiecti sit multiplicata numero, uel ipsa sit una numero in omnibus hominibus, ostendit difficultatem. Primo quòd intellectus sit unus numero, quia si dicamus, quod intellectus sit multiplicatus numero, erit ergo corpus, aut uirtus in corpore, quia quod multiplicatur numero sub eadem specie est corpus, uel uirtus in corpore, quia ratio multiplicationis est materia diuisa. Secundo metaphys. etiam quia multiplicatio datur corruptibili tantum, si intellectus potentiæ sit multiplicatus, erit generabilis, & corruptibilis, & extendetur ad extensionem materiæ etiam quia intellectus potentiæ erit uirtus intellecta potentia, quia cum est intellecta in actu, & abstracta a materia, si intellecta potentia mouent, igitur ipsum idem, ergo mouet, & mouetur quod est absurdum, etiam in notione spirituali, & ultra cum talis uirtus sit singularis monebit, ergo seipsam singulariter, sic ergo intellectus apprehendit singularia tantum, sicut & sensus, ostendunt aliæ difficultates, quia daretur infinitum in actu, quia mundus est æternus, etiam daretur anima sine corpore, ut in bello Troiano, uel anima transmigraret de corpore in corpus, ut inquit Pythagoras, etiam daretur alius status, quem non posuit Arist. quia nec sensus, nec ratio hoc ostendit, si dicamus ex alia parte, quòd sit tantum unus intellectus potentiæ, in omnibus hominibus, sequitur, quod notitiam quam apprehendit Socrat. apprehendet & illã notitiam Plato, etiam puer habebit perfectam notitiã sicut peritissimus, & sic sciētia nostra

nostra erit rememoratio, ut Plato dicit, oppositum dicit Arist. secundo quia si est unus numero intellectus, ergo tantum unus numero homo. consequens falsum, quia uidemus plures homines, illatio probatur bifariam, primo hac dignitate, uni & eidem motori, non conueniunt plura instrumenta eiusdem rationis ad eandem operationem in eodem tempore, sed homo est instrumentum intellectus, ergo unus homo sufficit ad unum numero intellectum, maior est manifesta, quia eidem uirtuti non possunt competere plura instrumenta eiusdem rationis, quia si essent diuersæ rationis possent esse plura instrumenta, ut ad formandam uocem est aspera arteria & lingua, dixit ad eandem operationem, quia ad diuersas operationes possunt uti pluribus instrumentis, ut sensitiua utitur pluribus instrumentis, sed datur homo intellectum & ipse est unus, ergo & homo, quia non requiruntur plura instrumenta, quod eidem motori non conueniunt plura instrumenta, confirmatur in natura, & in arte in natura, quia motor cœlestis habet tantum unum orbem, ideo ex numero orbium uenatus est numerum motorum, etiam in arte, quia ars non utitur pluribus instrumentis in eodem tempore, probatur secunda illatio, quia ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, quia sequitur plures homines sunt, ergo plures intellectus & tenet, quia sicut Arist. dixit 12. met. si plures mundi, plures orbes, & motus, & si plures orbes, ergo plures motores, ergo sunt generabiles & corruptibiles, dico si plures homines, ergo plures intellectus, &c.

Postquam ostendit difficultatem quæstionis nititur soluere quæstionem, & inquit intellecta uniuntur homini non per intellectum potentiæ, sed per phantasmata, id est res sensibiles cognoscuntur propter phantasmata in phantasia illius intellectus, declarat hanc suppositionem, & dicit, intellecta uniuntur nobis per intellectionem, & intellectiones uniuntur intellectui potentiæ, sicuti forma materiæ, ideo ex ipsa & intellectu posibili, fit melius unum, quàm ex materia & forma, apparet quoddam tertium distinctum a partibus simul sumptis, & est locus famosus, & uidetur sibi aduersari, quia dixit, totum animal non est nisi corpus & anima simul sumpta, & clare primo physic. dixit, quòd totum nihil aliud est, quàm suæ partes, & est uerior sententia, ò hic dicit, quòd totum est aliud a suis partibus, expositores diuersimode exponunt, aliqui dicunt quod ex notione & intellectu fit unū sine medio in cōposito ex materia & forma requiritur mediū ut quantitas, & sic cum dixit apparet tertium ex unione materiæ cum forma, id est medium quo uniuntur, ideo Ioan. Scotus quæstione quarta dixit, quod ex notione & intellectu fit notius unum, quia unum transit in alterum, forma autem non transit in materiam. Aliqui dicunt, quòd re uera totū non seiungitur a partibus nisi secundum operationem, quia nec est materia, quæ mouetur, nec forma, sed totum, & tunc præcedit Auer. quòd illæ notiones, uel uniuntur homini per intellectum potentiæ, uel mediante phantasmate, non mediante intellectu potentiæ, quia cum ipse sit unus numero, notio erit una numero omnibus, & quicquid intelligeret unus intelligeret alter, ergo notiones uniuntur Socr. mediante phantasmate, & ideo Plato non habet illam notionem, quam habet Socrates, quia non habet illud phantasma, illa notio inest Platoni, sed non potest uti, quia oportet intelligentem phantasmata speculari, infert corrolaria, quia inquit intelligere est duplex remotum ut puer, qui habet intellectum potentiæ, & potest intelligere, ut secundo huius dicebat Arist. puerum posse militare potentia remota, cum est adultus est in potentia propinqua, ideo intelligere proximum est cum quis habet simulachra illarum rerum, & intellectus est in habitu propinquo, alio modo declaratur a Latinis, alio modo a Græcis, quia dicunt, quòd in intellectu producuntur species uniuersales & sic intellectus poterit intelligere, cum uult, ante non, quia ibi non erant reseruatæ species uniuersales, sed hæc opinio ponit memoriam ex parte intellectus quòd non est ponenda, ideo dicunt Græci cum Auerroe, quòd intellectus in habitu propinquus est, cum quis reseruauit simulachra in memoria, & potest intelligere cum uult, quia reseruauit illa simulachra, & inquit Auerroes sequitur, quod citauit Arist. qui dixit in definitione animæ, anima est actus primus corporis, dicebat Alexan. quod illa definitio erat uniuoca omnibus animalibus, ita quòd dicebat animam rationalem esse in actum primum sicut sensitiua, & ideo ex hoc probabat intellectum esse corruptibilem, quia dicebat actus est finis, nullum ens separatur a suo fine, ergo non separatur ab intellectu, nisi cum intellectus corrumpitur, dicit Auer. aliud genus, actus primus non est uniuocum, sed equiuocum, quia actus primus conuenit sensitiue, quo ad omnes operationes conuenit rationali, quo ad aliquas operationes, ut uiuificare, quo autem ad intelligere separatur a corpore, & quod ita sit, patet ex Arist. quia cum dedit illam definitionem, dixit, non est manifestum, tertio dicit, aliud est dicere hominem proximæ sentire & proximæ intelligere, conueniunt re & differunt, quia sic homo proximæ sentiens est, cum habet potentiam sentiendi, & multiplicantur illæ potentiæ, ita multiplicantur in intellectu respectu phantasmatis, quia ipsa multiplicantur, differunt quia homo proximæ sentiens dicit potentiam, proximæ intelligens dicit actum, quia proximæ intelligens habet simulachra in se, quæ

prodnennt & sic dicit actionem, ex quo sequitur inqnit, quòd errauit Auempace, qui credebat quòd proxime intelligens diceret potentiam, & inquit sequitur quod in nobis non sunt tres intellectus & agens intellectus, & speculatiuus, & differunt, & conueniunt, quia intellectus agens & potentiæ sunt æterni, speculatiuus est æternus & intellectus agens, est corruptibilis respectu huius phantasmatis & sic particulariter.

Lectio XIII.

QVONIAM opinati sumus. Erat secunda quæstio quam Auer. dissoluebat si intellectus possibilis sit unus, an notio eiusdem obiecti sit eadem numero in omnibus hominibus, hic incipit dissoluere qnæstionem,& inquit, quia intellecta speculatiua, id est notiones ex parte intellectus potentiæ sint una numero & æterna, eadem comparata proprio phantasmati, talis notio est multiplicata & corruptibilis, & probat utrumque,& dicit primo, quòd notio æterna habet unitatem ex parte intellectus, & quadruplici ratione ptobat,primò, ita inquit. Notitia complexa primorum principiorum; & notitia simplicium, non separatur ab homine. Sed homo, ex octauo physicorum est æternus in specie, ergo illæ notiones sunt æternæ, prima propositio, quòd notitia complexa primorum principiorum, non separetur ab homine patet; qnia primæ propositiones debent esse necessariæ, ex se cuilibet erndiendo, nt de quodlibet est affirmatio, uel negatio, & propositiones primæ in aliqua scientia debent sciri, ut in mathematica, quod omne totum est maius sua parte, sic ergo notitia primorum principiorum non separatur ab homine nisi fieret stultus, quia statim homo his propositionibus si essent ex notione terminorum ut primo posteriornm dixit Arist. prima principia cognoscimus inquantum terminos cognoscimus,etiam notiones rerum simplicium quæ communiter occurrunt nobis non separantur ab homine, & sunt perpetuæ, quia sunt notiones aliquarum specierum in Africa quæ non sunt notæ, & tunc illæ notiones non sunt perpetuæ, quia Africa semper quid noui adfert, ut prouerbio dicitur & dicit etiam secundo, singularia quæ communiter nobis occurrunt, sunt perpetua, quia qnotidie repræsentant, & illæ notiones sunt perpetuæ, tenet consequentia; quia cum offeruntur simulachra fiunt notiones, & subdit,ex quo sunt æternæ, sunt una numero, quia ab eodem habent æternitatem, ergo & unitatem, quia & ipse unus, & inquit,sequitur quòd illæ notiones respectu intellectus sunt æternæ, respectu indiuidui corruptibilis, & non inquit,illæ notiones ini ntellectu potentiæ habent esse amissum; idest si separatur intellectus potentiæ sunt æternæ absolutæ,si intellectus respectn talis hominis sunt sensibiles, sic habent esse amissum, addit,semper est aliquis homo qui delectatur philosophia, & est perfectus, id est semper est aliquis homo qui attingit proprium finem, & proprius finis homini est beatitudo quæ consistit in intellectione substantiarum abstractarum, & maximæ primi entis, & disponitur homo ad cognitionem primi entis ex scientiis ex primo metaphy. dixit Auer. inquit ergo sic,semper aliquis homo, qui attingit proprium finem nisi ex notionibus sensibilibus, quòd illæ notiones sint æternæ, & probat quia inquit; semper est aliquis homo qui perfectus est in arte mechanica, ergo semper debet esse aliquis homo perfectus secundum philosophiam, quæ in beatitudine consistit, quia talis finis debetur primo homini, quàm ars mechanica, ideo debet attingere illum, quia corpus non frustratnr sua potentia, tendendo ad finem, quòd autem sit aliquis, qui sit perfectus in arte mechanica, dicit Auer. quòd & si in nostra regione non inueniatur,homo perfectus in illa arte, inuenitur tamen in alia quarta cœli, quæ omnes sunt quinque & duæ sunt habitabiles ut declarauimus, sed ut iuniores intelligant immaginatur Auer. & Arist. quòd totum elementum terræ diuidatur in quinque Zonas, duæ Zonæ, apud Polos in habitabiles sunt,est Zona media, quæ æquinotialis dicitur & est in habitabilis propter caliditatem, aliæ duæ Zonæ una habet esse uersus Polum arcticum, alia uersus antarticum & istæ Zonæ sunt habitabiles, quæ diuidmtur singulæ, in partes inferiores & superiores & sic fiunt quattuor quartæ. Quarta ratio,intellectus agens perpetuus est, intellectus potentiæ perpetuus est, igitur notiones perpetuæ, quia si agens & patiens sit æternum, ergo effectus æternus, & sic illæ notiones æternæ. Probat tertio modo, quòd id sit primo ex Arist. primo huius 66. & dicit ipsum intelligere & speculari non marcescit in nobis nisi cornmpatur aliquid in nobis interius, id est notiones in intellectu non corrumpuntur nisi corrumpantur, quædam interius, id est phantasmata corrumpantur, qnibus coniunctæ sunt notiones, etiam quia dicit Arist. cum anima rationalis sic comparata fuit ante generationem Socratis,quia perpetua a parte ante &,a parte post, cur anima rationalis in Socrate, non reminiscitur harum rerum, quas nouit ante generationem Socratis, non quærit antem; dicunt Latini, cur non reminiscitur post mortem, est uana difficultas, quia non datur alius status & quid sciũt isti si post mortem reminiscitur; huic dubitationi respondet Arist. quod Socrares non reminiscitur harum rerum quas habebat ante generationem Socratis, quia in Socrate non sunt reseruata illa simulachra, quibus erant alligatæ illæ notiones; ideo cum Socrates non habeat, illa

phantasmata, non potest reminisci, quia non ad sunt phantasmata; oportet enim intelligentem phantasmata speculari, intellectus enim in operatione pendet a sensu, uel propter peccatum primis parentis, ut dicit Augustinus, uel propter colligantiam istarum uirtutum. Tertio est testimonium Platonis, qui ponebat esse ideas perpetuas, id est illas notiones esse perpetuas, & in in hoc bene dicit, in alio tamen male dicit, quia posuit illas notiones esse intellectum, ideo Arist. dixit, habeant Ideæ Platonis, nihil enim sunt, & si sunt nil faciunt ad demonstrationem, quia nostra demonstratio procedit ex nostris conceptibus, quæ sint illæ ideæ apud Platonem, dicunt defendentes Platonem quod illæ sunt in mente diuina, ut ponunt Theologi, quarto quia argumento dialectico probamus animam esse mortalem tum esse immortalem, coactus a famosis, quæ famosa modo sunt falsa ex toto, ideo animam rationalem esse perpetuam, non est ex toto uerum; nec ipsam esse mortalem, & anima rationalis dicitur ut rationalis simpliciter accepta, est mortalis, ut desinit esse in una natura & alteri aduenit, eodem pacto debet esse de rationabili, quæ partim sint perfectæ, scilicet ex parte intellectus sunt corruptibiles respectu istius hominis & alterius. Est aliud testimonium legis, quia omnes leges dicunt animam rationalem esse immortalem, ideo & notiones sunt æternæ. Est dubitatio, primo, quia inquit quod illa notio lapidis respectu intellectus est perpetua, hoc non uidetur uerum, quia possibile est quod nullus homo intelligat lapidem, ideo illa notio fiet respectu intellectus, secundo quia dicit, quod quartæ omnes tum meridionales, tum septentrionales sunt habitabiles, oppositum ipse dixit in secundo metheororum in capite de uentis, quia dixit quod tantum quarta septentrionalis, quam habitamus est habitabilis, reliquæ quartæ non sunt habitabiles & probat, duplici argumento. Primum est si sunt habitabiles sequitur quod terra, sit maior aqua, quod est absurdum, quia aqua est maior terra, quia ex uno Pugillo terræ fiunt decem Pugilli aquæ, sicut ergo se habet pars ad partem, ita totum ad totum, cum enim aquæ pars maior sit parte terræ, tota est aqua maior terra, etiam quia aqua continet terram, & est maior, quod autem ex argumento sequatur quod terra esset maior aqua deducitur, quia sicut ipsa est discoperta, ita & aliæ si sint habitabiles & sint discopertæ aquæ, terra ergo maior erit aqua, est secundum argumentum sumptum ex Arist. primo metheororum, & 3. physic. quia elementa debēt proportionari. ad inuicem, quo ad potentiam, ita quod elementum inferius debet esse minus, quia densum, superius maius &c. Ideo primo dico, quòd Auer. non uult dicere quod notio illa sit perpetua, sed quod non repugnat intellectui potentiæ, ut intellectus, quod illa notio sit perpetua. De secundo dico, quod supponit alibi demonstratum ab Arist. & a metaphy. quia dicunt, illæ duæ Zonæ sunt habitabiles, ex qua ratione pars superior nostra est habitabilis, ita & pars inferior, quia eadem est habitudo tam ad nos, quam ad inferiores, & etiam eadem est habitudo, solis in meridie sicut in septentrionali. Dico quod errauit Auer. quia inuentum est nauigatione, quod omnes illæ quartæ sunt habitabiles, etiam torida Zona est habitabilis, quod tamen negauit Auer. & Aristoteles, & in istis partibus possuerunt Paradisum terrestrem, tamen non est inuentus alij posuere in Globo ignis, forte fecerunt, quia ibi, non possumus ascendere, & ideo dantur antipodes, quos negauit Augustinus.

Lectio XIIII.

ERAT dubitatio & uidebatur quod Auer. aduersatur sibi met. dicebat hic quod omnes quattuor partes erant habitabiles, secundo metheororum dicebat oppositum, dicebat quod tantum una pars erat habitabilis, quia reliquæ partes sunt coopertæ aquis, & probat rationibus adductis, dico quòd hic rectius loquitur Auer. ibi autem non loquitur recte, quia omnes quattuor partes sunt habitabiles, ut etiam dicunt mathematici, & Arist. 2. metheororum, & experientia dicit & docet quod omnes illæ partes sunt habitabiles, ad rationes 2. metheororum sunt Sophisticæ, & sibi met. contrariantur, quia tunc enim dicit primo, quòd elementum aquæ debet esse maius elemento terræ, quia ex uno Pugillo terræ fiunt decem aquæ, & qualis est proportio partis ad partem talis est totius ad totum, ergo elementum aquæ maius, dico quòd elementum aquæ est maius elemento terræ cur non cooperit terram, dico si accipiamus aquam in concauitatibus terræ cooperit omnem terram, sed quia profundata est in uisceribus, ideo non apparet maior terra. Cum dicit, elementum aquæ est locus terræ, uerum est, cur ergo non cooperta est terra tota, dico quod est præter naturam propter salutem uiuentium, & propter alias causas quas dixi, secundo metheororum. Cum dicis elementa habent proportionem, dico uerum est, & est proportio, quia aqua maior est terra, & si tota terra non sit cooperta aquis. Dissoluit tertiam dubitationem, quæ est Themistij, quia Aristot. dicit, quòd intellectus potentia non est actu sed potentia tantum, quomodo ergo istæ intellectus differt a prima materia, quia non possunt esse duo actus puri, ita nec duæ potentiæ, & materiæ in eodem subiecto, intellectus ergo erit idem cum materia prima, in quo igitur differt ab intellectu dissoluit Auerroes, quòd entis

duplex genus, sensibile, & intelligibile. Genus sensibile diuiditur in materiam sensibilem, ex quibus fit compositum, & hæc sensibilia sunt pro pter accidentia sua. Est entis genus intellectuale quia habet materiam intellectualem & formam intellectualem. Et materia entis intellectualis est intellectus potentia, qui recipit omnes notiones, forma est notionis, & forma rerum sensibilium, quæ producunt suas notiones; & intellectus agens, sic est cum dicit non possunt esse duæ potentiæ in eodem subiecto, uerum est; si sunt eiusdem generis, sed materia sensibilis diuersificatur, a materia intelligibili genere, & declarat suam opinionem, & inquit, quod talis potentia, ne dum inest intellectui humano, sed etiam intelligentiis, quæ intelligunt exteriora. Vnde debetis scire, quòd ex 12. metaph. omnes intelligentiæ præter primam intelligunt aliquid extra se. Prima autem tantum formaliter intelligit, sed ipsam eminenter in Deo, sicut argentum in auro, & ideo dixit 12. metaph. quod melius est Deum non nosce quædam; quàm nosce, sic ergo omnes intelligentiæ, præter primam, intelligunt extra, quia inferior intelligit superiorem, non autem est contra, ideo prima intelligentia est actus purus, & sui notio est sui substantia, & repræsentat se aliis intelligentiis, & illæ recipiunt notiones superioris, tanquam amatum; & desideratum, & illæ non recipiunt suam notionem, quia sui notio est sui substantia, inquit ergo uniuersalis potentia inest ipsis intelligentiis, quia si non esset potentia talis, non esset una forma, potest deduci consequentia, quia si essent actus puri, ergo eiusdem speciei, & in æternis non potest esse multitudo sub eadem specie, ergo esset una forma tantum, cum sit potentia, uel magis, uel minus, & different orbes specie, & figura, & luces inter se differunt specie, & sic præter primum omnes aliæ intelligentiæ coniunctæ, sunt materiæ, & dicit ita in sola prima substantia quidditas & essentia sunt idem, in reliquis quidditas & essentia differunt, & subdit si non imaginamur; quòd talis potentia sit in intelligentis præter primam, esset tantum una forma, ut moderni dicunt, ut Algazel, qui uoluit inuenire nouas opiniones, ideo facit librum Destruc. destruc. & uocant sic, quia destruit eius fundamenta, & inquit quod talis notitia de anima est metaphysico necessaria, si necessaria metaph. non ergo metaph. pars, & loquitur hic de intellectu, quia in metaph. declaratum est quod omnes intelligentiæ illæ sint separatæ a materia, hic declaratum est, quod formæ separatæ a materia intelligunt; quia sensus comprehendit, ergo illæ intelligentiæ intelligunt cum nobiliores sint, comprehendens enim non comprehendente est nobilius, dicebat Aug. & ex hoc quod potentia inest intelligentiis, habemus quod sunt multæ intelligentiæ. Sed hic oritur scrupulus, quia primo metaph. & 12. sequens uerba Arist. dixit quòd illæ intelligentiæ sint separatæ a materia, ideo bene, & non possunt errare secundum philosophum, hic dicit oppositum. Secundo quia inquit, quòd quidditas, & essentia differunt in intelligentiis excepta prima, & oppositum dixit septimo metaph. 41. quia inquit, quidditas & essentia sunt idem, & confirmatur, quia quidditas, & ens, idem sunt, differunt sola ratione, ergo quidditas & essentia sunt idem, differunt tantum ratione. Tertio quia si in intelligentiis est potentia intellectus, ergo & agens, quia cuilibet potentiæ correspondet agens, tamen falsum est secundum sententiam Aristot.

De primo dico, quod duplex potentia aliqua sensibilis, & ex ista oritur omnis malitia, & cum separata est a tali potentia, priori materiæ, non potest errare, quia non est malitia, de tali potentia fuit locutus, primo metaph. hic autem loquitur de potentia intellectuali.

De secundo dico, quod in rei ueritate, in abstractis, idem est quidditas & essentia, quomodo hic dicit oppositum. Dico quod Auer. per quidditatem intelligit notionem, per essentiam intelligit intelligentiam, & sic inquit intelligentia distat a notione, specie, præter quàm in prima; quia notio & substantia eius sunt idem. Et secundum Arist. Essentia & existentia sunt idem, differūt solo nomine, quicquid dicant fratres isti.

De alio, quia ubi est intellectus potentiæ est intellectus agens, falsum est, sed tantum est. Cum inquit cuilibet potentiæ, correspondet actus, ideo quòd est actus correspondens, & est cum intelligentia inferior apprehendit superiorem tanquam amans amatam, & inquit Auer. quòd intellectus potentiæ, ne dum apprehendit notiones rerum sensibilium, sed etiam intelligit intellectum agentem, & ratio, quia intellectus apprehendens ignobiliora, apprehendit & ignobiliora. Cum ergo intellectus agens sit nobilior illis formis, apprehenditur ergo ab intellectu potentiæ, dices omne recipiens debet esse denudatum a natura recepti, cum intellectus agens est substantia abstracta non poterit ergò intelligi ab intellectu potentiæ, quia ipse est abstractus. Dico quòd recipiens denudatum est a natura recepti specie, & sic intellectus agens differt specie ab intellectu potentiæ, & ideo dixit Auer. si intellectus humanus, non apprehenderet substantias abstractas essent ociosæ, quia non capiunt intelligentiæ superiores, quod non capit humanus intellectus, scilicet intellectus potentiæ, non recipit notionem intellectus agentis, & probat ex Arist. quia intellectus potentiæ, se habet ad intellectum agentem, sicut aer ad uisibile. Ex quo sequitur inquit Auer. quod prior in nobis est intellectus potentiæ, & mediante ipso copulatur intellectus agens intellectui potentiæ; & talis coniunctio appellatur.

tur acquisitio, quæ est ultima nostra perfectio, sed dices in illa notione non comprehendimus Deum, in quo consistit fœlicitas. Dico quòd in illa unione est beatitudo dispositiuæ, & non formaliter, quia cum intellectus agens sit inferior substantia potest apprehendere substantias superiores, & sic cum intellectus potentiæ recipit agentem, & sic disponitur ad ultimam perfectionem, sed dices cum intellectus agens sit pars animæ, in puero ergo est fœlicitas. Dico ut Auer. quòd est triplex unio, uel. secundum esse; & sic est in pueris, & in illa non consistit fœlicitas, est secunda unio, sicut intellectus agens producit notiones in intellectu potentiæ, & in illo non est beatitudo. Est tertio unio, quæ est causa, intellectus agens est ut forma, & sic in ipso consistit fœlicitas.

Lectio XV.

DICEBAM heri, quomodo intellectus agens, intellectui potentiæ uniebatur tripliciter uniebatur, secundum esse, ut ex intellectu potentiæ & agente resultat anima, & in tali unione non est fœlicitas. Alia est unio secundum efficientiam, ut producit notiones, aduenientibus tamen phantasmatibus, in hac non consistit fœlicitas. Alia est unitas respectu formæ, cum suam notionem producit in intellectu potentiæ, & sic in tali unione est fœlicitas, quia in intellectu agente sunt notiones omnium substantiarum separatarum, & sic intelligentia inferior amat superiorem, & non potest non amare, & sic in tali unione est fœlicitas non formaliter. Sed ut in intellectu agente sunt notiones substantiarum abstractarum, & talis beatitudo non potest haberi, nisi præcedat scientia secundum philosophum, & in hoc deuio a Theologia. His expeditis, quia dissoluit omnes tres quæstiones, nunc reuertitur ad secundam quæstionem, & est nunquid notiones rerum sensibilium habeant uirtutem, an multiplicentur numero, ita quod notio lapidis sit una numero in omnibus hominibus, an multiplicata. Dissoluimus quæstionem, & diximus, quod erat una talis notio si comparatur ad intellectum potentiæ. Et sic est æterna, si talem notionem referamus ad simulachra, sine quibus non potest fieri notio, dico, quòd illa notio est multiplicata numero, quia simulachra sunt diuersa numero, & sic illa notio est quodammodo corruptibilis, quia illa phantasmata sunt corruptibilia non quod sit corruptibilis, quia est æterna, modo non potest uti tali notione sine simulachris, ideo uidetur noua, & laudat hanc solutionem suam, quia ex ipsa dissoluuntur argumenta, quia inquit, si notio esset simpliciter una, necesse esset, quod uel homo intelligeret quod alius homo intelligit. Ex quo ergo non est una simpliciter, non sequitur si Socrates apprehendit, quod Plato apprehendat, etiam si diceremus, quòd talis notio sit simpliciter multiplicata, sequitur quòd in notione erit processus in infinitum, quia cum notiones sint abstractæ ab indiuiduis, & differant numero tales notiones, & a duabus numero abstractis, potest alia notio communis, & sic processus in infinitum, quod est absurdum. Secundum sequeretur absurdum, quod cum docet magister, docebit mediante qualitate, quòd est falsum, quod hoc sequatur probat, quia si ille habitus, omnis triangulus habet tres angulos equales duobus rectis differat numero in doctore & discipulo, & cum doctor habet, producit indiuiduum, debet concurrere effectiue, quia cum indiuiduum concurrit ad generationem alterius in diuidui, nisi concurrat effectiuæ, ideo doctus concurrit effectiuæ, quod est falsum, & ideo inquit & ex hoc cum una sit notio & plures, omnia argumenta euadimus, ideo uera est nostra solutio, & inquit hoc argumento, quòd erat una ex parte intellectus potentiæ dicebat scientiam, esse reminisci prius oblitum, & tunc excludit duas dubitationes. Prima est, ex qua manifesta est, quòd errauit Auempace, quia interrogatus an intellectus sit unus an plures, dixit, quòd intellectus agens erat unus, intellectus speculatiuus, erat diuersus numero, inquit Auer. an quæstio quærit de eodem intellectu, uel diuerso intellectu, hæc quæstio est Sophistica, quia quæstio est de eodem intellectu, an sit unus, uel plures, & dixit soluta est quæstio, an intellectus potentiæ sit copulatus corpori, an extrinsecus, uel non, aliqui exponunt an intellectus potentiæ existat tantum, an informet, sed clarius exponitur, an intellectus potentiæ sit extrinsecus, id est separatus a conditionibus materiæ, an sit copulatus corpori, id est deductus, ex potentia materiæ, & inquit secundum esse est separatus, secundum separationem est colligatus corpori, quia intelligere fit ex phantasmatibus. Sed est dubitatio, quia inquit una est notio, & plures, imminet argumentum, quia scire nostrum erit reminisci, quia in Socrate genito sunt illæ notiones, quia idem numero est intellectus expergefactus sensu utitur illis notionibus, quomodo Arist. reprehendit Platonem, quòd scire erit reminisci. Secundo & fuit Arist. argumentum, secundo de generatione, si genito statim Socrate sunt omnes notiones, in nobis ergo erant Thesaurij perfectissimi, quos ignorámus, ita si unus intellectus, uno in Socrate statim genito essent Thesauri perfectissimi, & nesciebamus, etiam quia sunt argumēta aduersus secūdam positionem, quòd non sint multiplicatæ notiones. Primum argumentum est, quòd erit processus in infinitum. Aliqui ut Auicenna concedunt hoc, quia in actibus intellectus, est processus in infinitum, etiam concedimus, quòd scien-

tia præceptoris sit qualitas effectiuæ. Etiam quomodo docebit doctor discipulum si non concurrit effectiuæ. Tertio qnia dicit Plato hoc argumento motus, ex qno unus intellectus numero, scite nostrum erat reminisci, non est uerum, quia Plato posuit ab æterno. Animas esse creatas in determinato numero, & erant præditæ scientia, non tamen sunt tot, quot homines, sed sunt in numero determinato, quia cnm exibat, ex uno corpore erat repleta scientia, & sic cum ingreditur aliud corpus, obliuiscitur, Qnarta dubitatio, cur non quærit an intellectus agens sit unus numero, & dicit de intellectu potentiæ, & cur Themistius quæsiuit de intellectu agente, & non de intellectu potentiæ. Vnde tanta diuersitas. De primo dico, quod Socrates genitus habuit illas notiones. Sed nunquam habuit usum illarum notionum, ideo est nonum scire, & sic non est reminisci. Plato autem dicit, quòd animæ antequam essent infusæ utebantur scientiis, & postquam infusæ sunt, oblitæ sunt, & ideo cum expergefactus recordatur. De alia ratione, dico quod procedit contra Platonem, non contra Auer. quia illi habitus non sunt Soc. tamen sunt in Soc. quia Soc. nō potest intelligere nisi sint phantasmata, ideo illæ notiones non sunt eius, sed Platonis, procedit ergo cōtra Platonem, quia ipse uolebat quod ille notiones essent Socratis.

De alio, quia non est inconueniens, quod sit processus in infinitum, in actibus intellectus. Dico, quod est falsum, quia illæ notiones sunt ordinatæ essentialiter sicut species & genus, & quæ essentialiter ordinatæ sunt terminate sunt, cum dicebas scientia est qualitas. Secunda, quia ascensus principiorum generat conclusionem, quæ est scientia, ut effectiuæ fit ab illo processu, dico quòd Auer. non negat quòd sit qualitas secunda, sed quod habitus in intellectu doctoris sit qualitas, differens numero ab habitu discipuli, cum dicit, quomodo possit generare scientiam in discipulo, si non conuenit effectiuæ, dico, quòd est quasi accidentaliter, quia profert præmissas, & declarat terminos, & sic discipulus eis assentit. De alio quod Plato fuerit motus illo argumento. Dico, quòd hoc erat famosum apud Auer. quia in rei ueritate illa non est opinio Platonis expressa, erat tamen famosum suo tempore quod intellectus sit unus numero, ut dicit.

De ultimo dico, quòd locutus est de intellectu potentiæ Auer. quia nondum habuit sermonem de intellectu agente Them. autem loquutus est de intellectu agente, qnia par est ratio de utroque intellectu, quia ambo sunt abstracti.

Textus VI.

VNDE neque misceri rationabile est ipsum corpori, qualis enim aliquis utique fiet, aut frigus, aut calor, si organum aliquod erit sicut sensitiuo nunc autem nullum est. Et bene iam dicentes sunt animam esse locum specierum, nisi quòd non tota, sed intellectiua, neque actu, sed potentia species.

Lectio XVI.

VNDE *immixtum esse*. Hic Arist. uidetur declarare prius dicta, & quia dixit, quòd intellectus erat immixtus, declarat hoc immixtum, & est duplex. Primo quòd non sit corpus. Secundo quod non sit uirtus in corpore, probat primo quod non sit corpus, quia corpus est affectum qualitatum, quam recipere non potest, intellectus potentiæ omnia recipit, nec est uirtus in corpore, quia uirtus in corpore non potest apprehendere qualitates suas, neque similes ei, quia æque calida non sentimus, sed intellectus potentiæ omnia intelligit, ergo non est uirtus in corpore, quòd omnia intelligat præsupponit, quia infinitus est omnium intellectuum, & sic cum anima recipit formas reales, ita & intellectus recipit omnes formas uniuersales, ex quo inquit, quod intellectus omnia intelligat recte dixit Plato, qui dixit animam esse locum specierum, sed in duobus est reprehendendus. Primo quia ponebat animam esse locum specierum, quod est falsum, qnia tantum anima rationalis est locus specierum, etiam in aliis errauit, quia dicebat, quod anima erat locus specierum actu, quia tantum sunt potentiæ formarum in anima, ideo intellectus est sicut tabula non picta. Sed Io. defendit Platonem, & inquit, quod per animam intelligit rationalem, si dicas non intelligit totam animam, dicit, quod tantum rationalis meretur nomen animæ, ideo in Timeo dixit, omnem animam esse immortalem, id est rationalem, reliquæ autem non appellantur animæ, sed animationes, & affluxus, quasi ab anima, Auer. tangit tres dubitationes, quia dixit Arist. uirtus rationalis, non est uirtus in corpore. Et dubitat in hoc, quia inquit, uirtus rationalis est uirtus cogitatiua, sed cogitatiua est uirtus in corpore, ergo & rationalis est uirtus in corpore. Quod autem uirtus rationalis sit uirtus cogitatiua relinquit, ut manifestum, quia ipsa discurrit, componit, & diuidit, quæ sunt operationes rationalis animæ, ideo ipsa est uirtus cogitatiua, sed cogitatiua utitur corpore, quia cerebro, & huius sunt quatuor potentiæ, in cerebro, alio modo tamen declaratur a medicis, alio modo a philosophis, quia Auer. dixit qnòd illæ uirtutes sunt in cerebro, & fiunt concomitanter. Galenus autem dicebat, quod ibi erant. Primo hoc argumento, læsa una parte cerebri, læditur una uirtus, ergo illæ uirtutes sunt in cerebro, dicit Auer. argumentum peccat, fallacia concomitantiæ, sicut dixit secundo collige. læso Diaphragmate læditur

ditur operatio anhelitus, & tamen illa operatio non est in diaphragmate dicit Auer. quòd alia uia utitur philosophus in de sensu & sensibili, & est demonstratio causæ, & esse, scitis apud Auer. quod demonstratio est in triplici differentia, aliqua est ex effectu, aliqua ex causa, aliqua ex causa & esse, illa dicitur esse ex causa tantum, cum effectus est nobis notus, illa dicitur causæ & esse, si effectus ignoremus demonstrat effectum esse, & propter quid est, exemplum, si Socrates non uideret eclipsim, & superueniret astrologus, & diceret nunc interponitur terra inter Solem, & Lunam, ergo eclipsis, & sic hæc demonstratio causæ & esse si Socr. uideat Lunam eclipsari, & astrologus reddat tantum causam uocatur demonstratio causæ, sed Aristot. explicauit tantum duplex genus demonstrationis, ab effectu, & a causa, quia omnis demonstratio, quæ a causa, dicit etiam esse ex sui natura, si aliquando contingit quod quis sciat effectum, & habeat demonstrationem, dicentem causam tantum, hoc est ex accidente respondet Auer. ad argumentum, negando quod uirtus rationalis ut uirtus cogitatiua, quia cogitatiua tantum apprehendit particularia, & rationalis anima apprehendit uniuersalia, & inquit Auer. ne dum illæ uirtutes sunt in cerebro, sed habent ordinem perfectionis, etiam quia imperfectior est sensus communis, qui est in prima parte cerebri, perfectior est imaginatiua, quæ est in media parte, cogitatiua adhuc perfectior, memoratiua omnibus perfectior, quia spiritualior, dixit, & est in ultima parte cerebri. Est secunda dubitatio ex Gal. si tamen Gal. argumentum sit nescio, non uidi, immo Galen. fatetur se ignorare naturam animæ, aliquando dixit esse calorem innatum, ut Hippoc. dixit 6. Epid. & hoc erat argumentum Gal. uirtus cogitatiua appropriatur homini, uirtus rationalis appropriatur homini, quia uirtus cogitatiua est uirtus rationalis, dicit Auer. non ualet argumentum, quia peccat fallacia consequentiæ, est enim argumentum in secunda figura ex duabus affirmatiuis, tale argumentum non ualet nisi gratia materiæ, & est cum maior conuertitur in terminis, aut non conuertitur maior propositio, non enim ualet esse, quod appropriatur homini, est uirtus cogitatiua, hæc est falsa propositio, quia rationalis attribuitur homini & tamen non est cogitatiua. Tertia dubitatio, quia dicit animam esse locum specierũ, hoc uidetur falsum, quia locus continet locatum, & non est eius subiectum anima enim rationalis non continet illas notiones, sed bene accipit, ideo non est locus nisi metaphoricè, philosophus non utitur metaphora, quia est immitator naturæ, respondet Auer. quod re uera rationalis non est proprius locus nisi metaphoricè, philosophus non debet uti metaphora dicit Auer. quod in rebus naturalibus difficillime possumus uti metaphora, ut etiam philosophus primo physicorum fecit, sed est dubitatio, quia dixit, demonstratio Arist. est inde sensu, & sensibili hoc est falsum, quia demonstratio est inde memoria, & remiuiscentia, & Auer. forsitam per de sensu & sensibili intelligit librum de memoria & reminiscentia.

Secundo quæ nam est demonstratio illa causæ & esse, quia sunt tantum tria uerba inde memoria, & reminiscentia, dico quòd formatur sic demonstratio, quattuor sunt operationes quæ non possunt reduci ad inuicem in cerebro, ergo quattuor sunt uirtutes in cerebro, quæ non possunt reduci ad inuicem, ut prima uirtus est sensibilis communis, qui distinguit sensibilia communia a propriis. in præsentia, phantasia in absentia, cogitatiua separat indiuiduum substantiæ ab omnibus accidentibus communibus, & propriis & imaginatiua conseruat, & est perfectior, quia spiritualior, sicut enim imaginatiua est perfectior sensu communi, quia in absentia apprehendit, ita memoratiua, quia absentia conseruat, aliæ non conseruant, ideo perfectior & spiritualior, & sic hæc demonstratio dicit esse, quia declarat ibi esse uirtutem, declarat causam ex operatione.

Tertia dubitatio, quia Auer. reicit argumentum Gal. probans uirtutes esse in cerebro, aliis locis acceptauit argumentum, sed non eodem modo ut Gal. quia accipit illud ut probat illas uirtutes esse in cerebro manifeste, quia secundum rei ueritatem sunt in corde.

Est quarta dubitatio, quia hic dixit uirtutes has in cerebro alibi dixit in corde, iam dixi quòd hic dicit quod sunt in cerebro manifestatiue, secundum tamen rei ueritatem sunt in corde, &c.

Textus VII.

QVONIAM autem non similis sit impassibilitas sensitiui & intellectiui manifestum est ex organis & sensu, sensus enim non potest sentire ex ualde sensibili, ut sonum ex magnis sonis, neque ex fortibus odoribus & coloribus, neque uidere, neque odorare, sed intellectus cum intelligat aliquid ualde intelligibile, non minus intelligit infima, sed & magis, sensitiuum quidem enim non sine corpore est, hic autem separatus est.

Lectio XVII.

QVONIAM *autem non.* Exposuimus, quomodo intellectus potentia erat uirtus, hic exponit, quomodo sit impassibilis, & inquit est impassibilis quia eius passio est eius perfectio quia inquit, sicut passio sensus, est perfectio eius, ita passio intellectus, est eius perfectio, sed est

est differentia, quia passio sensus fit cum organo corporeo, illa intellectus sine organo corporeo, ideo intellectus post intelligentiam intelligibilium apprehendit & recte intelligibilia; e conuerso est de sensu, quia post apprehensionem excellentium non apprehendit debiliora. Hic est dubitatio, Primo, quia dicit, quòd sensus post apprehensionem excellentium sensibilium non potest apprehendere alia sensibilia, est dubitatio; quia omnis passio sensus est circa materiam, dixit Arist. supra ideo non potest corrumpi ab excellenti sensibili, quia corruptio his accidit, quæ sunt in materia, &c.

Secunda, si sensus exteriores corrumpantur ab exterioribus sensibus, non tamen inreriores; ideo passio sensus interioris, est similis cum passione intellectus, &c.

Tertia; quilibet experitnt, quod cum multum studet fatigatur; quia resoluuntur spiritus, qui deseruiunt ingenio. Quarto, quæ nam sint intelligibilia existentia; uel erunr substantiæ primæ, quæ apprehenduntur per suas species & propria definirione respectu accidentinm, & sic cum omnis nostra inrellectio pendear a sensu, & sensus pecipiat facilius accidens, per accidens percipit substantiam, ideo intelligit, difficulter etiam percipit substantiam intellectus, uel sicut principia substantiæ, & sic cum effectus sit nobis notior quàm causa, quia propinquior sensui, & nostra cognitio dependet a sensu, cum talia principia erant ignotiora, quàm ipsi effectus; & cum possunt esse substantiæ abstractæ, quia illæ difficulter apprehenduntur, sicut 2. metaphys. dicebat Arist. sic se habet inrellectus ad ipsas, sicnt oculus uespertilionis ad lumen solis, & quia ipsæ non possunt apprehendi comparatæ sensui, qnia sensus non percipit nisi sub mareria quanti; & cum ipsæ non sint quante, difficulter apprehenduntur, &c.

De primo dico, quod talis passio per se est spiritualis, per accidens est naturalis; quia tali passioni coniungitur actio naturalis, & cum oculus percipit lumen solis, illa passio est spiritnalis; quia ipsi tamen coniuugitur color, qui dissoluit organum uisus, ideo corrumpitur sensus, & sic de auditu; quia sonus est perfectio auditus, si tamen ei concomitatur motus aeris, illæ motus ingrediens anfractum auris corrumpit auditum, ita de olfactu, & de gustu, & tactu, quia tactus non percipit nisi cum alteratione reali, ideo corrumpitur ab illa alteratione, &c.

De secundo dico, quòd adhuc sensus interior corrumpitur; ab excellenti sensibili, & si non eodem pacto, ut sensus extrinsecus, quia immediate corrumpuntur, & corrumpuntur interiores ex resolutione spirituum animalium, uel ex mala temperatura acquisita in ipsis organis.

De tertio dico ut Auer. quod si consideratur intellectus, ut operatur per sensum, & quia sensus fatigatur, ita intellectus per accidens fatigatur, respectu sensus, quia per se non fatigatur eo quod non utitut corporeo organo, &c.

De quarto quæ sint ista excellentia intelligibilia, dico si consideremus istam apprehensionem respectu sensus, hæc difficulter a nobis apprehen duntur si respectu intellectus, facillime possunt apprehendi, ideo experimur, quòd per se intellectus post excellentia intelligibilia percipit debiliora, &c.

Secunda dubitatio, quia dixit Arist. quod intellectus erat immixtus, hic dicit quod est impassibilis, dicit Ioan. quomodo Alexander asseuerat hunc intellectum esse corruptibilē, quia si incorruptibilis igitur impassibilis, si impassibilis & immixtus, ergo incorrupribilis, ideo quia dixit separatus, & simplex, hæc uerba prædicant irrationalitatem animæ dicit Alexan. quod tripliciter respondit & cnm ipso Plutarchus qui dicebat in nobis tantum esse unam animam. Et dicit Alex. quod aliquis est intellectus in potentia, in pueris, & est sicut tabella rasa, alius est intellectus in habitu, ut qui est in adultis, sic scientia in ipso & inquit de neutro horum nerificantur uerba Arist hic, alius est intellectus, de quo secnndo de generatione animalium cap. 3. dixit; extrinsecus aduenit, & talis inrellectus est diuinus, & de tali uerificantur nerba Arist. quod talis intellectus intelligit omnia, & talis est diuinus, sed Ioan. refellit hanc opinionem primo, quia Arist. in principio tertij dixit.

De parte animæ, qua sapit, & intelligit, intellectus diuinus non est pars animæ, qua sapit & intelligit, ideo non loquitut de eo. Etiam quia tractare de inrellectu diuino est metaphysici, & non philosophi naturalis, & tamen hic tractat de intellectu, etiam quia de intellectu agente non habuit sermonem philosophus adhuc, & uon dum probauit esse, etiam quod dixit in secundo de generatione non intelligit de diuino intellectu quia dicit de intellectu quo homo est homo, talis antem nōn est dinius.

Ideo aliter exponitur Alexan. & inquit quod hic loquitur de intellectu potenria, qui est corruptibilis, sed dicit qnomodo philosophus dixit immixtus, inquit est immixtus ei & notionibus quas recipit; in qno est, quia quæ miscentur prius fuerunt per se, ut cum aqua & mel miscentur, ideo cum intellectus nōn fuit ante corpus, ideo non inest ei immixtus, dixit impassibilis, quia eius aptitudo est impassibilis, & illud dicitur pati quod secundum aptitudinem patitur; eius aptitudo non patitur, quia intellectio ex quo perfecta, perficit illam aptitudinem, dixit separatus, quia seclusus extra corpus re, sed replicat Ioan. quia hæc tria uerba conueniunt sensui, & tamen Arist. per hæc tria uerba uult seiungere

gere intellectum a sensu, & per illa uult prædicare immortalitatem. Tertio dicit quod Arist. loquitur de intellectu potentiæ & potest considerari respectu eius substantiæ & sic corruptibilis est, intellectus potest considerari respectu potentiæ, & habet tres potentias, scilicet uegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, & duæ illæ potentiæ, scilicet uegetatiua, & sensitiua sunt corruptibiles, est potentia intellectiua, & sensitiua, quæ respicit intellectionem, & ipsa est immixta corpori, quæ nulla parte corporis fit, ideo illa potentia intellectiua dicitur immortalis, & de tali loquitur philosophus, & talis potentia non distinguitur a sui substantia ut dicitur ex Auer. in 7. physicorum, Ioannes arguit unico argumento primo quia dicit, quòd loquitur de intellectu ut potentia, non pro substantia, oppositum dicet Arist. infra, quia inquit intellectus est forma formarum, id est forma, quæ suscipit omnes notiones sensibilium & intelligibilium, non ergo potentia, quia intellectus, & potentia ex opposito distinguuntur, & addebam quia operatio non potest esse nobilior substantia operante, quia modus operandi debet correspondere modo essendi, ideo si operatio sit abstracta, & mixta, ergo & eius substantia erit mixta, dicam bene infra de hoc, &c.

Textus VIII.

CVM autem sic singula fiant ut sciens dicitur, qui secundum actum. Hoc autem confestim accidit, cum possit operari per se ipsum. Est igitur & tunc potentia quodammodo non tamen similiter & ante addiscere, aut inuenire, & ipse autem se ipsum potest intelligere.

Lectio XVIII.

CVM autem sic singula. Cum demonstrauit intellectum potentiæ esse incorruptibilem, & declarauit quomodo intellectus erat immixtus, quia non erat corpus nec uirtus in corpore, declarauit quomodo impassibilis, quia inquit eius passio est sicut passio sensus, & etiam dissimilitudo est. Tertio hic declarat quomodo intellectus ut potentia, & inquit potentia est duplex, uel in habitu ut cum intellectus nihil scit, est in potentia respiciente actum, ut cum intelligit cum uult & actum, inquit cum intellectus est in habitu, se ipsum intelligit.

Est prima dubitatio, de intellectu potentiæ, cum dicat Arist. quòd anima est actus, quomodo ergo intellectus est potentia, quia intellectus est anima qua homo est.

Secundo quia dicit, quòd intellectus intelligit se ipsum, dixit Alex. intelligere est pati ergo idem patietur a se ipso, &c.

Tertia quia nedum intellectus est in habitu per operationes, sed etiam complexorum, & dicunt quod intellectus est in habitu primæ operationis respectu simulachri producti quod distinguitur ab actu intelligendi, &c.

Sed hæc opinio patitur calumniam, quia Arist. non posuit memoriam respectu intellectus, hæc opinio ponit, quòd est in intellectu potentiæ sit memoria, qua reseruatio simulachri, &c.

Ad primum dico, quod intellectus potentiæ qua anima est actus, & inquantum uult recipere notiones, sic est potentia, & ideo non est inconueniens, quòd idem sub diuersis considerationibus, sit in actu & potentia.

De secundo dicit Simplicius, quod intellectus noster non intelligit se ipsum per se, sed per accidens, quia intellectus noster non producit in se ipso propriam notionem, quia idem pateretur a se ipso, quod est reprobatum septimo physicorum, & octauo, sed quomodo intellectus apprehendit se per accidens, aliqui dicunt ex sensibilibus, quia dicunt, cum notio lapidis est in intellectu illa notio producit se ipsam in intellectu, uel substantia intellectus, & sic apprehenditur intellectus, sed hæc opinio patitur difficultatem, quia intellectus in qualibet apprehensione intelligit se ipsum, quod tamen non experimur in nobis, etiam quia quot notiones intellectus intelligeret & se ipsum intelligeret & sic faciliter a nobis intelligeretur, quod est falsum, quia est potentia, & quæ sunt potentia difficulter intelliguntur, dico quod intellectus intelligit se ipsum per accidens, ut dixit primo physicorum Aristot. de materia prima, quia dixit per se non est intelligibilis, sed per analogiam ad formas, non quo ad conceptum simplicem sed complexum, materia est capax omnium formarum, sic intellectus circumscribitur ex notionibus aliarum rerum, quia dicimus intellectus est capax omnium intelligibilium, sed dices si fingit illos conceptus non agit, ego dico, quòd non est actio sed modus concipiendi, sicut cum disputamus ab antecedenti ad consequens, illa non est actio, sed modus concipiendi per illum ordinem. Ideo isti dubitant quid importet illatio. Aliqui dicunt actionem. Aliqui passionem. Alij ressolutionem, dicatis quod est modus concipiendi, &c.

De tertio dicatis quod intellectus fit ab habitu simplicis operationis ut in phantasia reseruantur simulachra, & sic intelligit, & ideo dicit philosophus, intelligimus, cum uolumus: quia uniuersale est quodammodo in anima, id est phantasmata sunt in phantasia, quia intellectus non habet memoriam, &c

Textus IX.

QVONIAM autem aliud est magnitudo, & magnitudinis esse, & aqua & aquae esse, & sic in multis alijs, non autem in omnibus, in quibusdam enim idem est esse carnis, & carnem esse, aut ergo alio, aut aliter habente discernit. Caro enim non sine materia; sed sicut simum hoc in hoc.

Quoniam autem. Est triplex expositio prima Themistij, & D. Th. & dixit duplex notio, duplex obiectum. Primum obiectum est quidditas, quod appellatur uniuersale, & specificatur a D. Tho. & apprehendimus singulare illius naturae, & inquit, quòd utraque est diuersa; quia intellectus apprehendit uniuersale, sensus, uero apprehendit hoc singulare, ut conuenit cum sua specie, uel differt a sua specie; & addit Arist. prima notio est similis lineae rectae. Secunda est curuae similis; quia linea recta est simplex, ideo cum apprehendimus uniuersale apprehendimus simplex, linea curua non est simplex; sed duplicata. Secunda notio illa est, quae est singularis & non apprehenditur, nisi cum uniuersali; ideo compositae. Et addit simplex, ista notio solum conuenit rebus naturalibus, & mathematicis; quia in ipsis uniuersale differt a singulari, in diuinis autem non differt uniuersale a suo singulari; & addit, quod sensus intelligit singulare seorsum, & inquit Themistius, uult ponere differentiam inter intellectum; & sensum, quia intellectus apprehendit uniuersale seorsum, singulare composite, sensus autem intelligit singulare seorsum, & haec expositio uidetur plana. Aliter exponit Simplicius; & inquit, quod triplex est notio, una quae apprehendit puram substantiam, & definitionem, & ista est similis lineae rectae; quia est simplex talis substantia; quia intellectus in se ipso permanet. Alia est notio uniuersalis in singulari, & tunc intellectus erit esse, & talis notio assimilatur lineae curuae. Est tertia notio, quae est accidentium consequentium indiuidua, quae apprehenduntur, per eorum singularia. Aliter exponit Ioannes, & dicit, quod hic uult quaerere quomodo intelligere fiat in nobis, quia dixit quod sensus percipit materialia, intellectus autem uniuersalia, & immaterialia. Est dubitatio, nunquid intellectus intelligat nedum immaterialia; sed etiam materialia, & non dissoluit clare hanc quaestionem. Et Arist. addit uerba obscura circumscribentia res duplices, tum sensibilem, tum insensibilem, & utitur rebus naturalibus, non curans de exemplis, & per carnem intelligit sensibilem rem, per esse carnis intelligit rem insensibilem, & praesupponens quaestionem solutam infert aliam quaestionem, nunquid intellectus eadem sui potentia intelligat res sensibiles, & insensibiles, & sic an eodem modo se habeant, mihi tamen melius placet exposito Themistij, quia illa Ioannis est parum extorta, sed dices primo; quid dicendum; primae quaestioni, quia Arist. non dissoluit, quia res erant duplices materiales; & immateriales intellectus percipit immateriales, sensus materiales. Nunquid intellectus percipiat etiam res materiales, quid dicendum. Secundo quia dixit Arist. Caro est hoc, in hoc, id est; forma in materia, quia caro est compositum, ex materia & forma, ideo non debet dicere caro est; ut forma in materia. Tertio, quia dicit intellectus habet apprehensionem singularis; ut in uniuersali, quomodo cognoscit particularia.

De primo dicit Io. Arist. supponit quod intellectus; ne dum immateriales res apprehendit, sed etiam materiales, quia si uirtus apprehendit, apprehendit res perfectiores & imperfectiores, non tamen ita est in diuinis, tum quia corrigit errores sensus; quia sensus indicat sensum esse tripedalem, intellectus corrigit, ideo ponit conuenientiam inter formas sensatas, ergo eas percipit etiam, quia intellectus est in potentia, ut notiones omnes recipiat sensibiles.

De secundo dicit Simplicius, per haec uerba caro est, ut hoc in hoc, id est caro constat ex forma sua, quae est in materia.

De tertio dicit D. Thom. prima part q 84. aut septima, & dicit quòd intellectus percipit particulare, per modum lineae reflexae, quia inquit simulachrum particularis producit phantasmata, phantasma deinde producit notiones, & illa notio repraesentat. Primo lapidem; in uniuersali; deinde etiam producit in singulari lapidem, ideo assimilauit lineae reflexae, quia reuertitur ab eodem in idem; sed si ita esset Arist. debuisset assimilare lineae curuae, quia ipsa est ab eodem in idem, non autem linea reflexa est ab eodem in idem; & ut dicit Themistius Arist. dissentit a Platone in hoc, quia Plato assimilauit notiones particulares circulari lineae; Arist. autem reflexae; & homo apprehendere non posset nisi unum singulare respectu speciei, quia est unum singulare, quod produxit notionem, & alia non possunt producere uniuersalia, quia uniuersalia non possunt multiplicari; intellectus autem tamen intelligit singulare; illud quod producit uniuersale; & est tantum unum, quia eiusdem effectus, non possunt esse plures causae totales.

Tertio si eadem notione apprehenditur singulare, & uniuersale; quomodo intellectus facit istam unionem; ut Socrates est homo, quia unio est plurium conceptuum, ut dicit philosophus; ideo dico, quod intellectus percipit uniuersale, per se percipit singulare; ut utitur sensu, & percipit illud propria imagine, quia non percipit illud nisi ut utitur sensu, & sensus

percipit

percipit particulare propria imagine, ideo & intellectus.

Lectio XIX.

EST dubitatio, quomodo intellectus apprehenderet particularia, dixi quod singularia apprehenduntur ab intellectu propria imagine, & hoc non habet intellectus, nisi ut est cum sensu. Sed est dubitatio, quia diximus secundum primam expositionem, quia uniuersale est per se intelligibile, ideo per modum lineæ rectæ, particulare per modum lineæ reflexæ, ut intellectus utitur organo sensus. Sed est dubitatio, quia diximus secundum primam expositionem, quia uniuersale est per se intelligibile, ideo per modum lineæ recte, particulare, propria imagine. Dicimus quod singulare seorsum a sensu percipitur. Est hic dubitatio, quia uidetur, quòd prius apprehendatur uniuersale, quo per se intelligibile, hoc tamen est falsum, quia singulare prius per se sentitur, ergo intelligetur prius, quia nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, de hoc dico, quòd uniuersale prius intelligitur a nobis, quia modus operandi est conformis, operantis esse. Sed intellectus est per se abstractus, ideo prius intelligit uniuersale, & sic non ualet, singulare prius sentitur, ergo prius intelligitur, quia non est necessarius ordo.

Est secunda dubitatio, quia dicebat Themistius, quòd singulare non apprehenditur ab intellectu, nisi ut conuenit cum uniuersali, uel disconuenit, hoc uidetur falsum, quia intellectus facit hanc propositionem, Socrates est Socrates, & ibi non est respectus uniuersalis. Dico quòd re uera intellectus apprehendit singulare sine habitudine uniuersalis, quod dicit Themist. Dico quòd uerba illa sunt hoc pacto intelligenda, quòd singularis respectu uniuersalis, est intellectus perceptibile, tamen potest apprehendi ab intellectu sine comparatione uniuersalis.

Est tertia dubitatio, quia substantia est primum obiectum intellectus, ergo prius debet percipi, sed falsum est, quia accidens prius percipitur a sensu, ideo ab intellectu, dico, quod ab intellectu percipitur, Primo substantia, quia primum obiectum, substantia enim est prior accidente, septimo metaph.. Si dicas, si intellectus non apprehendit sine sensu, ergo sensus percipit substantiam, dico quod sensus interior ut cogitatiua percipit propriam imaginem substantiæ, & ita si accidens prius sentiatur, tamen non sequitur, quod prius intelligatur, quia non est necessarius talis ordo. Caro enim non sine materia, Arist. proposuit duas quæstiones. Prima erat nunquid intellectus percipiat materialia, & immaterialia, & supponam dissolutionem quæstionis, quod intellectus simul apprehendat materialia, & immaterialia, propter argumenta dicta Quærit secundo an eadem potentia percipiat utranque, & si eadem potentia, uel eodem modo, uel non, sic dissoluit secundam quæstionem dicens, quod intellectus percipit sensibilia, & insensibilia, eadem potentia, uel alio modo, quia ista obiecta sunt diuersa, ita intellectus diuersi mode se habens intelligit illa. Caro enim, illud enim, reddit rationem solutionis.

Textus X.

SENSITIVO quidem igitur calidum & frigidum indicat, & quorum ratio quædam caro, alio autem aut separato, aut sicut circumflexa se habet ad seipsam, cum extensa sit, carnis esse discernit.

Sensitiuo igitur calidum, & frigidum. Declarat philosophus, quomodo alia, & alia ratione, & dicit sicut eadem linea recta, ut postea est inflexa est una numero, alio modo tamen se habet, ita intellectus existens unus intelligit sensibilia, & insensibilia, intelligit insensibilia, per se, & assimilatur lineæ rectæ, apprehendit sensibilia ratione sensus, cui unitur, ut organum, & sic intellectus se habet ratione diuersa apprehendens sensibilia, & insensibilia, & ipse intellectus mediante sensu ne dum intelligit qualitates primas, sed etiam secundas resultantes ex primarum mistione.

Textus XI.

ITERUM autem in his quæ abstracta sunt rectum sicut simum cum continuo enim est, quod autem quid erat esse si est alterum recto esse & recto alio, sit enim dualitas, altero itaque aliter se habente indicat. Omnino ergo sicut separabiles res a materia sic & quæ circa intellectum sunt.

Iterum autem in his. Inquit Io. ostendit alio exemplo, quomodo intellectus idem re, diuersus ratione inttelligit materialia & immaterialia, & dicit, sicut formæ mathematicæ separatæ a materia sunt idem cum naturalibus, tantum ratione differunt, ita intellectus materialia, & immaterialia ita existens percipit, differens sola ratione, antecedens fuit etiam declaratum. secundo physic. quia eandem lineam considerat naturalis, & mathematicus, sed naturalis intelligit eam ut coniunctam materiæ. Mathematicus uero, ut præscindit a materia cogitatione sicut rectum significat continuum, id est denotat effectum corporis naturalis, ut ergo linea est in materia consideratur a naturali, ut cogitatione separatur linea a materia a mathematico, est tamen eadem linea, & sic idem est intellectus sola ratione differens, qui apprehendit in sensibilia, & materialia &c.

Ipſum quicquid erat eſſe; ſubdit philoſophus, quod formæ mathematicæ dicunt duo. Primo formam. Secundo materiam cui in eſt talis forma, ita quod ſit dualitas in forma, ſequitur quod intellectus aut alia potentia apprehendet formas mathematicas, & abſtractas a materia, uel ſi eadem potentia diuerſimode tamen, ſicut idem intellectus differens ratione ſola, percipit res naturales, & ſeparatas, ita diuerſa ratione apprehendit mathematicus, quia & ipſæ connotat materiam cui unitur, & ſeparatur materia.

Omnino autem, Replicat quod dixit quod idem intellectus re, percipit materialia, & immaterialia ſola ratione differens, ita diuerſa ratione percipit mathematicus, & ſeparatas a materia, ſubdit, quod etiam intellectus, idem eſt ac apprehendens materialia, & immaterialia ſola ratione differens, ſicut eadem eſt forma mathematica, quæ eſt in materia; & quæ ſola cogitatione præſcindit a materia.

Textus XII.

DVBITABIT autem utique aliquis ſi intellectus ſimplex eſt, & impaßibilis, & nulli nihil habet commune, ſicut dicit Anaxagoras, quomodo intelliget, ſi intelligere pati aliquid eſt. Inquantum enim aliquid commune utriſque eſt, hoc quidem agere, illud uero pati uidetur.

Dubitabit autem. mouet ſecundam dubitationem, quia potentia reducitur in actum. Sed quod reducitur alteratur, ſi alteratur patitur, quia omnis receptio eſt pati ſic, ſed omnis paſſio eſt eorum quæ comitantur in materia, ut primo de generatione declaratum eſt, ideo ignis non poteſt agere in ſubſtantiam cœli, quia non communicat in materia, ſi ergo intelligere eſt ſicut ſentire, ſenſus ab eis reducitur ad actum, patitur, ergo quomodo dictum eſt; quod eſt impaſſibilis, quia communicant cum ſenſibus in materia, ſi patitur, & ſic materialis erit, & impaſſibilis, Ioannes exponens illud exemplum in eo tex. dicit ſicut eadem eſt linea recta, & reflexa, ita intellectus eſt idem, qui apprehendit materialia & immaterialia, ut immaterialia aſſimilatur lineæ rectæ, ut materialia; quia coniungit ſenſus, aſſimilatur reflexæ. Alio modo ab Auer. exponitur exemplũ, quod cum intellectus dicit conceptum ſpecificum ex indiuiduo, & talis quidditas appellatur ſimplex, & talis aſſimilatur lineæ rectæ, cum uero elicit quidditatem, ex quidditate, id eſt elicit genus ex ſpecie, & talis notio aſſimilatur reflexæ lineæ. Exemplum dicit Auer. cum intellectus dicit quidditatem carnis tunc eſt prima notio, & aſſimilatur lineæ rectæ, cum uero dicit carnem eſſe corpus, & ſubſtantiam uſque ad eius; aſſimilatur lineæ reflexæ: Videte quantum deuiat Auer. a recta expoſitione, quia intellectus intelligit ſpeciem, & genus, quia apprehendit carnem eſſe corpus & ſimilia per modum lineæ rectæ, etiam quia non eſt maior ratio, quod intellectus intelligat ſpeciem per modum lineæ rectæ, quàm per genus, quia ſicut ſpecies prædicatur de indiuiduo, ita genus prædicatur de ſpecie, etiam elicere quidditatem ex ſpecie, non eſt operatio intellectus agentis, quia intellectus potentia non eſt; qui facit uniuerſale, ſed intellectus agens, & omnes illæ notiones ſpecificæ, & genericæ ſunt ſimul tempore, eſt tamen prioritas natura, D. Tho. dixit quod actio entis. Primo producitur in intellectu. Scotus dicit, quòd prius notio producitur natura in intellectu, ſed dicemus de hoc primo phyſic. Ideo expoſitio Themiſtij melior eſt.

Textus XIII.

AMPLIVS autem ſi intelligibilis & ipſe; aut enim aliis inerit intellectus ſi non ſecundum aliud ipſe intelligibilis eſt. Vnum autem aliquid intelligibile eſt ſpecie, ſi autem ſit miſtum aliquid habebit quod facit intelligibilem ipſum ſicut alia.

Proſequitur Ariſtoteles, quia ſi intellectus intelligat materialia, reducitur ergo ab his a potentia ad actum, ergo patitur Ab his, ergo & intellectus communicat in materia cum ipſis, & ſic materialis erit, & antequam diſſoluat hanc quæſtionem, aggreditur quartam, & antequam finiat quartam quæſtionem, incipit ponere ſolutionem, & antequam finiat ſolutionem, finit quartam quæſtionem, deinde finit ſolutionem.

Eſt ergo quarta quæſtio; quæ oritur ex prima quæ erat an intellectus intelligat materialia, & immaterialia, & ſupponit, quod ambo intelligit hæc ergo eſt quarta dubitatio, quia dictum eſt, quòd intellectus eſt immaterialis, intelligit ergo ſe ipſum, ſi intelligit ſe ipſum, aut non intellectus eſt, aut eſt intelligibilis ſub una ratione, intellectus ſub alia ratione, ſi dicas quod intelligibile eſt ſub una ratione, ſub qua non eſt intellectus. Tunc ſequitur, quòd erit ſubſtantia compoſita, ſcilicet ex intellectu; & intelligibili, oppoſitum dictum eſt, quod ipſæ ſimplex, ſi dicas quod intellectus intelligit ſe ipſum, ut intellectus, ſequetur quòd in omni re ſenſibili erit intellectus, quod eſt falſum, quia ſequitur hoc, quia ex prædictis ſecundum ſe ipſum ſequitur uniuerſalis, ut homo qua eſt homo riſibilis, ſequitur ergo homo eſt riſibilis, ita ſi intellectus intelligit ſe ipſum; ut intellectus, ergo omne quod intelligit eſt intellectus, & ſic lapis cum intelligitur intellectus erit. Ipſum autem, ponit hic ſolutionem, & inquit, quòd intelligibile eſt duplex, aliquod eſt intelligibile proprium ſecũdum ſui naturã, aliquod eſt intelli-

intelligibile impropriè, intelligibile omne propriè secundum sui naturam, hoc est intellectus, quia est forma separata a materia, & omnis forma separata a materia est intellectus, quia nobilior est sensus, & talis forma separata percipit singulare aut non, si singulare ergo sensus, sed non est sensus, ergo intellectus intelligibile impropriè non est intellectus, quia non est secundum sui naturam intelligibile, sed tantum lumen intellectus agentis, & intelligibilia, hæc sunt materialia:

Textus XIIII.

AVT pati quidem secundum commune aliquid diuisum est prius, quoniam potentia quodammodo est intelligibilia intellectus; sed actu nihil, antequam intelligat, oportet autem sic; sicut in tabula nihil est actu scriptum, quod quidem accidit in intellectu.

Textus XV.

ET ipse autem intelligibilis est, sicut intelligibilia: In his quidem enim quæ sunt si non materia idem est intelligens, & quod intelligitur. Scientia autem speculatiua scibile idem est.

Aut pati quidem. Hic reuertitur ad tertiam quæstionem, quæ erat, quia sicut sensus patitur a sensibili, ita intellectus ab intelligibili; & materialia sunt intelligibilia, ergo intellectus patitur ab ipsis materialibus, ergo communicat cum materia ex declaratis in primo de generatione, ergo intellectus non erit materialis, dico dicit philosophus quod duplex passio, una corruptiua, quæ est inter ea, quæ communicant cum materia. Etiam de hac loquebatur. Primo de generatione philosophus. Alia est passio quæ est solius patientis, ut passio sensus, quæ patitur a sensibili perfectiuæ, & in tali passione non est necesse quod sit communicatio materiæ & intellectus, sic a tali passione patitur, & sic non est necesse quod intellectus communicetur in materia cum intelligibili, &c.

Quoniam potentia: Hic cõcluidt solutionem quartæ dubitationis; incipit in superiori tex. 13. ibi, unum, & iste est sensus Arist. quia dixit ex quo intellectus est materialis, ergo intelligit se ipsum aut ut intellectus, aut per aliam rationem, dicit philosophus, quod intelligibile, & de tali intelligibili intellectus est, & talia intelligibilia sunt formæ abstractæ. Aliud est intelligibile, non per se, sed uirtute intellectus agentis, cum suis phantasmatibus; & tale intelligibile non est intellectus ex quo intellectus est immaterialis, erit intelligibile ut intellectus, hic declarat qualis sit, est anima rationalis, & inquit quod est duplex intellectus. Vnus potentiæ. Alius habitu, & dicit quod intellectus noster est intellectus potentia ad suscipiendas omnes notiones, intellectus autem superiores habent omnes notiones, quas possunt habere, & declarat quomodo intellectus noster sit potentia, inquit est similis tabulæ in qua nihil sit depictum, est tamen in potentia ad suscipiendum, & inquit Arist. licet intellectus noster sui natura sit intelligibilis, est tamen intellectus potentia, & si intellectus sit, est tamen intelligibilis per se, quia est forma separata, quia in separatis idem est scientia speculatiua, id est intellectus noster & scibile, &c.

Est dubitatio in quarta quæstione quid dicendum sit, quia Arist. non uidetur soluere. Secundo quia inquit, omne intelligibile per se, & secundũ sui naturã est & intellectus. Est dubitatio, quia intellectus in nobis, est separatus a materia & tamen secundũ sui naturã non est intelligibilis, quia intelligibilis est ex suis notionibus, ergo nõ omnis substantia separata intelligibilis est per se. Tertio, quia dicit scientia speculatiua, & quod scire sunt idem, cur non dixit absolutæ scientia & per scientiam possumus exponere intellectum sicut per scientiam speculatiuam.

De primo dico quod diuersa ratione erit intellectus, & intelligibile, cum dicis, non erit ergo simplex, dico quod non est simplex secundum rationem, sed tantum quo ad substantiam, & non est inconueniens, quod in intellectu sit diuersa ratio, possumus dicere, quod intellectus se ipsum intelligit. Cum dicit, ergo omne quod intelligitur est intellectus, dicebas propositione secundum se ipsum, quia si intellectus qua intellectus intelligitur, ergo quod intelligitur est intellectus, dico quod non bene conuertitur prædicatum, quia debet dicere, quicquid intelligit se ipsum est intellectus, & sic concedemus quod intellectus qua intellectus intelligat se ipsum, &c.

De secundo dico, quod illa propositio, omnis substantia separata a materia est per se intelligibilis, non est uera uniuersaliter, quia intellectus noster est separatus a materia & tamen non est intelligibilis ex sui natura, nisi ex notionibus sensibilium, propositio autem intelligitur de separatis simpliciter a materia, quæ non utitur sensu & organo.

De tertio dico, quod forte dixit scientia speculatiua & non scientia, quia in separatis simpliciter a materia, non est scientia practica, sed tantum speculatiua, quia omnis eorum notio est speculatiua, &c.

Lectio XX.

ERANT quædam declaranda in tex. 14. quia Ari. dubitauit quia si intellectus intelligit materialia, ergo ab eis patitur igitur intelle-

ctus communicat in materia cum ipsis, ergo materialis, dissoluit & inquit, quòd duplex passio, una perfectiua, & de hac loquitur philosophus, & ista non communicat in materia. Alia est passio corruptiua, & hæc communicat in materia, sed de hac non loquitur Auer. declarat quomodo passio intellectus sit æquiuocæ passio, & inquit, quòd utraque passio dicit potentiam, & receptionem, passio corruptiua dicit corruptionem, alia autem perfectionem, & sic passio materialis habet tres conditiones potentiam, scilicet receptionem, & corruptionem, spiritualis autem habet tantum passionem, & receptionem, & inquit quod potentia & receptio inueniuntur in omnibus intellectibus, circa primum, & ratio est, quia primus intellectus omnino liberatus est a materia. Reliqui autem non omnino sunt separati a materia, quia inferior intellectus intelligit superiorem, & non è contra, & sic inferior intelligit superiorem recipiendo substantiam eius, sicut amor recipitur in amante, & sic est aliquis intellectus, qui est purus actus, ut prima substantia, est intellectus potentia pura ut intellectus potentia noster. Alij inter medij sunt compositi, ita ergo cum inferior substantia intelligit superiorem, est ergo receptio & secundum Auerroem, & secundum Aristotelem, ideo substantiarum abstractarum est sui substantia, ita ergo cum tertia recipit secundam, recipit eius substantiam, ex hoc inquit Auer. patet quomodo substantiæ separatæ intelligunt, ita quòd inferior semper intelligit superiorem non e contra, & in tali intellectione est fœlicitas, ex hoc soluimus hanc quæstionem, quomodo ponimus multitudinem in intelligentiis, quia intellectuũ aliquis est purus, ut prima substantia. aliquis potentia, ut noster, medij participant de actu. & de potentia, aliqui magis ut appropinquantur magis primo intellectui, & sic differunt specie, hoc pacto ut ex cognitione ipsorum cognoscimus multitudinem ipsorum quæ differunt specie secundum diuersas notiones, ut sunt actus magis, uel potentia magis. Soluit secundam quæstio, quomodo illæ substantiæ intelligantur. quia omnis substantia separata intelligit, ut amans dicit, Auer. iam soluta est ista quæstio, quia inferiores intelligunt superiores, superiores autem non intelligunt inferiores, ex quo sequitur uniuersaliter, quòd in separatis a materia idem est intellectus & res intellecta, est duplex sensus. Vnus est quod accipiatur intellectus pro actu primo ita quòd intellectus est idem cum re intellecta respectu sui ipsius, quia respectu primæ, non est uerum, quia prima est res intellecta, secundo intellectus potest accipi pro actu secundo, ita quod intellectio est idem quod res intellecta, quia scientia eadem scito. Postquam Auer. exposuit tex. inuehitur contra Alex. quia cum exponeret uerba Arist. dedit tres expositiones, quas Ioan. confutauit, deinde tertiam expositionem, & dicit Alexan. cum Arist. dicit quod intellectus est in potentia ad omnes notiones, dicit quod Arist. hic non loquitur de intellectu pro substantia, quia est corruptibilis, sed loquitur de intellectu formaliter per potentiam ad actum intelligendi, quia non fit aliqua parte corporis, ideo est corruptibilis talis potentia & hæc fuit expositio Alex. in paraphrasi de intellectu practico & speculatiuo, dicit Auer. in extrinseco de tabula rasa, debebat accipere illam potentiam tabulæ, non tabulam, & inquit Auer. si loquitur de potentia, uel de potentia in communi, demonstratio ergo Arist. non procedit ex prioribus, sed ex communioribus, sic de potentia intellectiua, ergo prius debuisset tractare de substantia intellectus, quàm de ipsa potentia, quia potentia specificatur ex obiecto, ponit Auer. euasionem & inquit, quòd Arist. non tractauit de subiecto potentiæ, quia illa potentia, sed confutat, quia potentia est alicuius subiecti potentia, ergo habet subiectum, secundo quia Arist. dicit ponam differentiam inter actum patiendi & intelligendi, & dicit unus fit in corpore, alius non utitur corpore, ideo ibi declarauit subiectum potentiæ intellectiuæ, sed ponit euasionem Alex. si expositores exposuerunt de intellectu pro substantia errauerunt. Dicit Auer. recte ipsi exposuerunt & recte dixerunt, quia talis de necessitate habet subiectum, & inquit laudando Arist. quod nisi Arist. declarasset subiectũ, & ideo dicit natura fecit hunc hominem tanquam regula in natura, & ut diximus, solertia ingenii pendet ex perfecta temperatura, ideo natura dedit Arist. perfectissimam temperaturam, & quia mediante temperatura perfecta, aliæ mensurantur, ita alia mensurantur in scientia, mediante Arist. & dixit Hieronymus, laudans Aristot. quia inquit Grande prodigeum, Grande miraculum in natura fuit Arist. & inquit aduersus Alexan. quòd tantum ipse fuit illius opinionis, omnes alij expositores posuerunt intellectum esse incorruptibilem, tempore nostro, quia propter magnam auctoritatem Alexandri sequuntur opinionem Alexandri, quia non erat philosophus nisi Alexandreus, & dicit & si Alpharabius fuit opinionis Alexandri, dicit, quod hic accepit ab Alex. & inquit quod Alpharabius addidit aliquid turpius, quod non potest esse nostra fœlicitas, quia non potest esse nobis illa clarior notitia substantiarum abstractarum, ideo dicunt philosophi nostro tempore facti sunt uitiosi, quia dixerunt animam esse mortalem, ut etiam primo physicorum dixit Aristot. sed dicit Auer. posuit tantum unam animam numero in omnibus hominibus, quomodo ergo potest habere perfectam notitiam illarum substantiarum abstractarum, & sic non est in nobis fœlicitas

tas

tas, dico quòd adhuc errauit Auer. sed fugit aliud absurdum, quia ipse posuit notitiam claram illarum substantiarum, quia intellectus separatus est, ideo ponit fœlicitatem quæ acquiritur mediantibus scientiis moralibus & speculatiuis, sed est dubitatio; quomodo substantiæ separatè simpliciter intelligant. Theologi quarto sententiarum dicunt, quòd substantia inferior intelligit superiorem, quia unus Angelus alloquitur alterum, & talis alloqutio est accidens, sed hæc opinio non sapit mentem philosophi, quia non est accidens in substantiis separatis simpliciter, ut 2. metaph. dixit philosophus, etiam quia tales substantiæ sunt simpliciter abstractæ, si ab ipsis abstrahetur accidens esset aliquod abstractius abstractæ, &c.

Ideo alij dicunt quòd secunda intelligit primam per sui notionem, itaque notio secundæ pro sui notione; deinde notio primæ, sed huic opinioni aduersatur Auer. Tertia distinct. dub. 15. quia inquit in substantiis separatis eadem est notio cum sui substantia; si ergo notio secundæ sit notio primæ ergo secunda erit substantia primæ, etiam quia hic dixit, quod aliæ substantiæ separatæ extra primam sunt composite ex actu, & potentia, ideo secunda recipit primæ notionem, quæ non est sui notio; ideò secundo cœli dixit Auer. est unus mundus tanquam omnes intelligentiæ sint colligatæ, per uinculum spirituale, quia potentia est inserta in omnibus, tanquam amor; in amantibus, ideo aliter dixit D. Thom. distinct. de ueritate, & Capreolus Gregorius Arimin. quod opinio philosophorum est quòd secunda intelligit primam, per notionem primæ, quæ est substantia, tanquam amans percipit amatum; & hæc est uerior opinio, & hic dicit Auer.

Lectio XXI.

DECLARABAM uobis quomodo substantiæ abstractæ intelligant se inuicem, & dixi quod intelligebant ut amans amantem, & ad hoc erat triplex modus dicendi. Theologi dicunt, quod illæ amor, illa notio erat accidens, & ideo cum Angelus unus alloquitur alterum, illa locutio est accidens, & in propria est allocutio, sed hæc opinio non sapit mentem Aristot. quia Arist. non ponit accidens in substantiis separatis; ideò aliter Scotus 8. distinct. primi disput. tertia & etiam in tertia quæstione quolibet, & dicit quòd Angelus inferior primo representat seipsum, secundò representat substantiam superiorem, sed ut dixi non est hæc mens Auer. quia in lib. destruct. dist. disput. 13. dubio tertio dixit, quod intelligentia inferior intelligebat superiorem, & in tex. quinto huius tertij, quod aliæ substantiæ materiales citra deum differunt essentia a notione superioris, bene sui notio est sui substantia, hic & in tex. 14. dicit, ideo Auer. dicit, quòd intelligentia inferior intelligit superiorem per substantiam superioris, quia notio superioris est substantia inferioris, & inferior percipit notionem superioris, ergo & eius substantiam, & ita dixit distin. 7. quæst. 2. Gregorius Arimin. Sed hic est dubitatio quia secundum Auer. substantia inferior intelligit superiorem, & non è contra. Dubitatur quomodo inferior intelligat superiorem, an superior sit actus inferioris substantialis, uel accidentalis, non substantialis; quia inferior habet substantiam ex sui natura nec est actus accidentalis, quia accidens non est in substantiis separatis ut 12. met. dixit Arist. dico quòd illæ actus est substantia ex sui natura, ut tamen est inferior habet modum accidẽtis, ut dicunt medici lapidẽ in uesica quã in se est substantia, est tamen accidens; quia se habet per modum accidentis, ita argumentum nullum, quia non est actus substantialis purus, nec accidentalis, &c.

Secunda dubitatio, quia prima substantia æqualiter est in omnibus, quia eadem est in omnibus, ergo eadem beatitudo est in omnibus, quod est falsum, quia maior beatitudo est in proxima parte; dico negando argumentum, quia & si substantia sit eadem omnibus, est tamen diuersitas respectu substantiarum ipsarum, quia ipsæ sunt diuersæ, ideo perfectius apprehendit altera minus, & hic est diuersitas, sicut idem lumen fundatum per aerem obscurum, & clarum & diuersitas est respectu aeris idem tamen lumẽ. Tertio quia effectus representat suam causam, causa inferior ut effectus superioris, ergo representat causam ut dicit Scotus, dico quod inferior non cognoscit superiorem, ut causa, nec ut finis, quia cognitio in abstractis est absoluta, quia si esset relatiua ibi esset compositio, & diuisio, quod negatur ab Arist. quia ubi diuisio & compositio potest esse errror, sed in ipsis non potest esse error, ergo ipsa cognitio est absoluta, & non relatiua, quia ipsa relatio non est nisi compositio, &c.

Textus XVI.

NON autem semper intelligendi causa conseruanda est. In habentibus autem materiam potentia solum unumquodque intelligibilium est. Quare quidem illis non inerit intellectus, sine materia enim potentia est intellectus talium, idem autem intelligibile erit.

Non autem semper intelligit. Dubitat hic Aristot. cum intellectus sit separatus, cur semper non intelligit, quod autem non semper intelligat quilibet experitur in se ipsum, inquit Arist. quod hæc quæstio est dimittenda, & reuertitur ad quar-

tam

tam quæstionem, quæ erat, an intellectus intelligat seipsum ut intellectus uel ut diuersus, & inquit si ut diuersus, sic intellectus esset compositus, oppositum fuit dictum, quod erat simplex, si ut intellectus, cum materialia intelliguntur, intelligunt ergo, quod est absurdum, dicit quòd intelligibile est duplex. Vnum ex sui natura intelligibile, & sic in his est intellectus, quia sunt formæ abstractæ. Aliquod est intelligibile opere alterius ut formæ materiales, & hic non est intellectus, sed dices cur Arist. omisit solutionem huius quæstionis & quæ nam sit solutio, dixit Ioan. quòd omisit solutionem huius quæstionis, quia erat clara, quia intellectus semper se ipsum non intelligit, quia diuertitur ab aliis rebus, ideo semper non intelligit se ipsum, sed dices oppositum dixit Plato, anima est terminus se ipsum semper mouens, dicit Ioan. quòd Plato dixit, quòd anima semper mouetur, id est semper uiuificat corpus & intelligit se ipsam, aliquando tamen apprehensio illa nobis non est manifesta.

Textus XVII.

QVONIAM autem sicut in omni natura est aliquid hoc quidem materia unicuique generi. Hoc autem est potentia omnia illa, alterum autem causa & factiuum quòd in faciendo omnia, ut ars ad materiam sustinuit, necesse & in animas has esse differentias.

Quoniam autem in omni natura. Agreditur Aristot. ad tractandum de intellectu agente, & probat, quod debet dari intellectus agens, & sic probat quod in omni genere entis si est aliquod quod est in potentia, debet esse aliquod quod ducat illam, potentiam in actu, quia si esset aliquod in actu quod non duceret illam potentiam in actu, frustra esset illa potentia, sed nulla potentia frustra est, sed debet aliquod actu, quia quod est in potentia non potest reduci in actum a se ipso, quia nihil patitur nec perficitur a se ipso, & probat maiorem duplici exemplo, quia in arte est aliquod quod est in potentia & etiam aliquod, quod est in actu, quod ducit illam in actum in naturalibus, quia est materia quæ est in potentia reducitur ad actum ab aliquo in actu, ut a forma sic patet maior, minor declaratur, quia in intellectu est aliquid quod est in potentia, quod ualet omnia recipere, ergo est aliquod in intellectu, quod debet omnia facere, si ergo intellectus sunt duæ partes. Vna potentia alia actu. Dat conditiones intellectus agentis, prima conditio est, quòd intellectus agens est omnia facere, quia intellectus potentia recipit omnia, non enim intellectus agens facit omnia absolute, quia hoc est dei, sed facit omnia intelligibilia actu quæ erant in potentia, secunda conditio est, quòd intellectus est ut habitus: & lumen intellectus potentiæ est ut habitus, quia est habitus primorum principiorum, & sicut habitus scientiarum non facit suam substantiam ita intellectus agens non facit simpliciter, intellectus potentia erit lumen, quia ut lumen non facit colorem absolute, sed quòd sit uisibile; ita lumen intellectus non facit naturalia, sed quòd sint actu intelligibilia. Tertia conditio est quòd sit substantia separata impassibilis simpliciter, quia sensus patitur, quo quomodo, &c.

Quarta conditio est quòd intellectus sit actu ens: Exponit Ioan. quòd sui intellectio est sui substantia, & declarat, quòd intellectus sit separatus, & impassibilis, & quod sui notio sit sui substantia & per hoc distinguitur ab intellectu potentiæ, quia sua intellectio est accidens & declarat hoc, quia quod est actu tale, est nobilius eo quod est potentia tale, sed intellectus potentia est impassibilis & separatus, ergo & intellectus agens, & quia dixit quod est actu tale nobilius est eo quòd est tale potentia, & dicit quòd est actu tale, nobilius est eo quod est tale actu, est duplex, unum sicut forma respectu materiæ, aliud est tale actu, ut agens respectu prudentis, & inquit de actu utroque modo uerificatur, dictum. Quinta conditio est, quod quicquid intelligit semper intelligit & actu intelligit, & per hoc differt ab intellectu potentiæ.

Textus XVIIII.

ET est intellectus hic quidem talis in omnia fieri, ille uero in omnia facere, sic ut habitus quidem & sicut lumen, quodam enim modo & lumen facit potentia existentes colores actu colores.

Textus XIX.

ET hic intellectus separabilis & impassibilis & immixtus substantia actu ens. Semper enim honorabilius est agens patiente, & principium materia. Idem autem est secundum actum scientia rei.

Intellectus potentia. Quia quicquid intelligit non semper intelligit & hoc Auer. in commento 18. diuiditur, primo ponit documentum unum, secundo adducit plures dubitationes, argumentum est hoc ex quo Arist. comparat intellectum agentem intellectus potentiæ sicut lumen comparatur ad colores, quia lumen non facit colores, sed facit ipsos esse uisibiles ita intellectus agens non facit res sensibiles, sed eas facit actu esse intelligibiles, & dat exemplum quod est accommodatum ut intellectus agens non facit res sensibiles, absolute, quia ipsæ præcedunt actum intelligendi, oportet enim intelligentem phantasmata speculari, & dicit quòd intellectus agens facit

facit ad actum intelligendi, quia inquit, sicut se habet sensibilia ad sensum, sic simulachra ad intellectum, sed sensibilia mouent sensum, sic & simulachra in phantasia mouent intellectum, & quia ipsa non ualent producere actum intelligendi, quia actus intelligendi est nobilior illis simulachris, ideo simulachra se sola non possunt producere illam notionem, quia ignobilius non potest producere nobilius, ideo requiritur intellectus agens, exemplum, sicut patre mortuo semen se solum non potest producere filium, sed producit in uirtute superiorum corporum, ita est de simulachris, quia ipsa non possunt producere se sola actum intelligendi, ideo requiritur intellectus agens & sic dicit Auer. exemplum est ad propositum, &c.

De lumine, quia inquit sicut lumen facit colores actu, ita intellectus agens facit res intelligibiles sed uerba Auer. uidentur falsa, si simpliciter intelliganrur, sunt falsa, quia supra dicit, quòd lumen non facit colores actu, dico quòd uerba ipsius sunt intelligenda hoc modo, quod lumen facit colores actu, id est actu uisibiles, non simpliciter. Dubitat Auer. & recte, quia non sequitur simulachra non possunt producere intelligendi actum, sed requiritur intellectus agens, ergo intellectus agens est pars animae, non sequitur, quia sicut non possunt colores producere sensum, nisi sit lumen, tamen lumen non est pars sensus, ita dicam de intellectu agente, dissoluit Auer. quòd nedum non necessario requiritur intellectus agens sed oportet quòd intellectus agens sit pars animae rationalis, uel potentia, ex hoc principio quia omnis operatio nostra ad libitum prouenit ex principio formali, sed intelligere est operatio ad libitum, quia intelligimus cum uolumus, dicebat supra Arist. cum ergo ad intelligere requiratur intellectus agens, erit ergo potentia animae rationalis, &c.

Sed dubitatur, quòd si est ut Auerroes dicit quod intelligimus cum uolumus, actus uoluntatis praecedit ergo actum intelligendi oppositum dicit philosophus, quia non uolumus nisi id quod cognoscimus, ut etiam dicebat August. dico quòd illa propositio erat etiam Arist. & intelligenda est hoc pacto, non quod actus uoluntatis praecedat actum intelligendi, sed intelligimus cum uolumus, si reseruata sint simulachra, amoto omni sensibili extrinseco, non autem sentimus cum uolumus, quia sensus fit a sensibili extrinseco, &c.

Dubitatur, quia simulachra erunt partes animae rationalis, quia intelligimus cum uolumus non possumus intelligere nisi sint illa simulachra, ergo ipsa erunt partes animae rationalis, quia sua est notio, dico quòd limitanda est ratio Auer. quod omnis operatio quae est ad libitum nostrum prouenit ex principio formali, sic est principium, primo modo simulachra non sunt prima principia, sed quod adiuuant intellectus agens est primum principium, & subdit Auer. quòd intellectus agens transfert res de ordine in ordinem quia ex quo erant sensibiles, factae sunt intelligibiles. Dubitat secundo Auerroes quia ex quo duplex potentia est actiua, scilicet agens & potentia cur definit animam per uirtutem passiuam, magis, quàm per actiuam, cum ex primo coeli omnis res definienda est per operationes perfectissimas, idem dicebat, secundo huius, quia cum definit uegetatiuam, definit per generationem tanquam per nobiliorem, debebat ergo definire animam rationalem per intellectum agentem, & non dicere intellectus est ut sensus, quia sensus est uirtus passiua, ergo & intellectus, dissoluit Auer. & inquit quod Alexan. hoc argumento inquit quod anima rationalis erat actiua simpliciter, Auer. autem partim concedit Alex. dicit tamen, quòd definit rationalem animam per intellectum potentiae, quia intellectio est nobis notior, quàm illa productio, ideo definit per potentiae intellectum, & non per agentem tanquam per notius. Tertia dubitatio est, quia uidetur superfluum intellectus agens cum notiones in mente diuina rerum sensibilium sint perpetue, sed dicit Plato, ergo intellectus agens non facit eas, dicit Auer. quòd falsum est, quòd ideae omnium rerum sint in mente diuina, etiam quia uidetur esse quoddam tãtum. Concedo quòd sint in mente diuina propter hoc tamen non sequitur quòd superfluat intellectus agẽs, quia adhoc ut intelligamus debent in nobis fieri notiones, non possunt autem fieri nisi mediante intellectu agente, ideo necesse est. Illae enim ideae in mente diuina non faciunt ad cognitionem nostram, ideo primo posteriorum dicit Arist. Valeant ideae Platonis, nihil enim faciunt ad cognitionem nostram, & si sint nihil nobis prosunt. In commento 19. inquit, quod Arist. probauit intellectum potentiae esse immixtum, quia intelligit omnia, ita arguit de intellectu agente, quia ipsa abstrahit omnes formas, materiales, & non potest abstrahere se ipsum a materia, ergo intellectus agens est in materialis. Et inquit Auer. quod differt, quia eodem pacto, arguam de intellectu potentiae, quòd sit mixtus, de intellectu agente & etiam arguitur aduersus Alexandrum quia intellectus potentia in propositione uniuersali comprehendit infinita, ergo est separatus, quia si mixtus posset tantum apprehendere finita, & per consequentiam in consequentiam opositionis non est conuersio, per compositionem, ut dicit Paulus, quia Aristot. non commemorauit in conuersionibus Arist. secundo topicorum appellauit illationem ex consequentia oppositionis, & hoc argumentum dicit, facit tantae efficaciae, quòd cogit auempacem

dicere quòd intellectus potentia non comprehendebat infinita numero, sed intellectus agens; quod autem apprehendatur infinita in propositione, ubi patet de hac propositione, omnis homo est animal. Hæc propositio uerificatur de omnibus & futuris, & præsentibus, & præteritis, sed dices non ne uisus apprehendit colores in corpore, quod est diuisibile in infinitum, & apprehendit omnes partes, tamen est immixtus materiæ, dicit Auer. quod propositio est intelligenda sic, quòd omnis uirtus apprehendens infinita eodem iudicio uniuersali, uisus autem non apprehendit partes iudicio uniuersali, quia tale iudicium tantum conuenit intellectui, & hoc patet, quia Alexander perperam exposuit intellectum potentiæ, per potentiam, & non per substantiam, non ne loquitur de intellectu agente, ut substantia, certum est quòd sic, ergo & de intellectu potentiæ pro substantia, & non pro potentia.

Textus XX.

QVAE uero secundum potentiam prior in uno est, omnino autem neque in tempore, sed non aliquando quidem intelligit, aliquando uero non intelligit. Separatus autem est solum hoc quod uere est, & hoc solum immortale & perpetuum est. Non reminiscimur autem, quia hoc quidem impassibile, passiuus uero intellectus corruptibilis, & sine hoc nihil intelligit anima.

Lectio XXII.

QVAE *uero secundum potentiam.* Nunc Arist. ponit conditiones intellectus potentiæ. Et sunt quattuor. Prima est quod in quolibet homine intellectus potentia præcedit tempore intellectum agentem simpliciter, tamen intellectus agens præcedit intellectum potentiæ, ex tertio metaphysicæ, quia omnis actus simpliciter præcedit potentiam. Sed dicetis intellectus potentia est æternus, intellectus agens est æternus, & sunt potentiæ animæ rationalis, quomodo igitur intellectus potentiæ præcedit intellectum agentem, Auer. liberauit, Arist. ab hac difficultate, & uos ita exponatis, quòd intellectus potentiæ est prior in hominibus tempore, quàm intellectus agens, sicut agens, quia in nobis intellectus potentiæ est prior, quàm intelligat, cum incipit intelligere hic agens incipit operari, & sic intellectus potentiæ, ut potentia intellectus præcedit tempore intellectum agentē, ut agentē. Secunda conditio est, quòd intellectus potentiæ aliquando intelligit, aliquando non intelligit, intellectus agens semper intelligit, & dicit Themistius. Ex quo intellectus semper intelligit habet solum notiones simplices non componit, nec diuidit, quia si faceret propositiones esset tunc intellectus potentiæ. Tertia conditio est, quod intellectus potentiæ, est minus proprie intellectus, quàm intellectus agens, qui est proprie intellectus, & ratio est, quia unumquodque denominatur, ab eo quod est actu tale, quia intellectus agens est actu intellectus, ergo proprie intellectus. Quarta conditio est quod intellectus potentiæ est immortalis & perpetuus, & dicit Io. quod non contentus fuit hoc uerbo, immortalis, nam dicebat ipsum non esse perpetuum, quia incepit esse, sed dices, nonne intellectus agens, est perpetuus. Dico quod est perpetuus, sed noluit dicere perpetuus, ut excluderet alias potentias sensitiuas, & uegetatiuas, non autem ut excluderet intellectum agentem.

Non reminiscimur autem, quia dixerat, quòd solus intellectus potentiæ erat immortalis exclusit enim potentias animæ, quæ non spectant ad animam rationalem, non tamen exclusit intellectum agentem, quia est nobilior intellectu potentiæ, dupliciter exponitur istæ tex. D. Thom. dicit, quod cum anima sit immortalis. & cum corrumpitur Soc. intellectus Socratis non recordatur, sed hæc expositio uana est, & non digna tanto uiro, quia dicit Arist. cur nos non reminiscimur, non dicit cur anima non reminiscitur post mortem. Vana ergo est quæstio de anima, si ipse dicat, quod loquatur de anima, ad huc uana est, quia quid scit Arist. quod non reminiscatur anima, quæstio debet esse certa, quomodo potest certa esse ista, ideo longe difficillima quæstio, credo tamen, quòd D. Thom. assequutus sit ueritatem, non tamen de mente Arist. talis expositio est, ideo Ioannes Grammaticus aliter exposuit, quia dixerat, quòd intellectus erat immortalis, præfuit ergo ante generationem cuiuslibet nostri, quia est perpetuus, semper fuit, & erit, ut primo cœli demonstrauit pluribus rationibus, cum ergo anima rationalis sit ante generationem Socratis, cur ergo intellectus Socratis non recordatur earū rerum, quas sciuerat ante generationem Socratis, quilibet enim in se ipso experitur, quod intellectus non recordatur earum rerum, quas sciuerat ante, tum quia perfectius non potuit in ocio stare per tantum tempus, cur ergo non recordatur harum notionum, quas sciuit ante. Respondit Arist. quod si intellectus nouit ante generationem Socratis, non nouit tamen sine sensu, quia oportet intelligentem phantasmata speculari, & quia sensus corrumpitur ante generationem Socratis, ideo intellectus in nobis non potest recordari earum rerum quas sciuerat ante, quia illæ notiones fuere corruptæ, quia non potest apprehendere sine sensu, & sensus corrumpitur, ergo & illæ notiones, & ideo intellectus non ualet uti illis notionibus quas sciuerat ante, & ex hoc sequitur quod

anima rationalis, ne dum a parte poſt, ſit immortalis, ſed etiam a parte ante fuit perpetua. Et ſi ueritas dicat oppoſitum, quia dicit quod anima fuit creata a Deo, infuſa cuilibet homini, & ſequitur ex hoc, quod idem intellectus numero poteſt eſſe in pluribus hominibus, ſucceſſiue, quia intellectus non intelligit ſine ſenſu, & ſenſus corrumpitur, ideo intellectus tranſit ad aliud indiuiduum, ideo uidetis quod Ariſtot. non poſuit alium ſtatum, quia poſuit animam non intelligere ſine ſenſu, ſi daretur alius ſtatus, non reſoluiſſet ita dubitationem, quia dixiſſet anima, non recordatur poſt mortem, quia dum erat in homine intelligebat cum ſenſu, & quia ſenſus eſt corruptus, ideo non recordatur, & in hoc depiat a Platone, ipſe enim poſuit Deum creaſſe animas ſub noſtro Zodiaco determinatas, & deinde infundere dicebat in homines, non autem ita dicit Ariſt. Sed dubitat Io. quia anima rationalis intelligit aliqua, quæ non dependent a ſenſu, uel cum intelligit ſe ipſam, conuertitur enim ſuper ſe ipſam, & cum intelligit ſubſtantias intelligit ſine ſenſu, cur anima non recordatur illis notionibus in generatione Socratis, dicit Io. & dat duas reſponſiones, & prima eſt, quod intelligunt aliqua ſine ſenſu, quod uerum eſt, non recordatur tamen illis ex uehementi mutatione corporis, ut contingit de morbo particulari, ut refert Tucidides, qui laborabat quodam morbo, & oblitus eſt omnium & ſui, & etiam Gal. refert Tertio de cau. ſimpt. ſecundo dicit quod rationalis anima non intelligit ſine phantaſma[illegible]cebas, intelligit ſe ipſam, & ſubſtantias a[illegible]ctas, quæ ſunt inſenſibiles, dicit quod illas non intelligit ſine ſenſu, quia phantaſia affigit ſibi phantaſmata, ideo nemo habet eundem conceptum de Deo, quia fugimus nos conceptus diuerſos, ideo dicit Plato, quod phantaſia eſt magnum malum, quia facit, quæ ſunt inſenſibilia percipi a ſenſu, ideo non recordatur his, quia ſenſus ante materiam conceptus fuit, ideo illæ notiones corruptæ ſunt, quia & ſi per ſe non cadant ſub ſenſu, quia eſt tanta colligantia phantaſiæ cum intellectu, quod neceſſe eſt quod intellectus intelligat cum ſenſu. Sed dices cum intellectus ſit perfectior ſenſu, & ſenſus reſeruat, ergo & intellectus, hic & in ipſo erit memoria. Dico quod eſt tanta colligantia ſenſus cum intellectu, quod oportet, quod intellectus utatur ſemper ſenſu, & ſic non requiritur memoria ex parte intellectus. Veritas tamen dicit oppoſitum, ſcilicet quod intellectus habet memoriam, quia inquit Auguſt. diſcamus in terris, & ea portemus in cœlis. Sed hic eſt dubitatio, Ioannis & Latinorum etiam, quia expreſſit intellectum agentem: Eſt dubitatio, quis nam ſit iſte intellectus agens, & qualis eſt ipſe intellectus.

Ad hoc ſunt tres modi dicendi. Duo extremi, & unus medius. Primus eſt Alexandri, quod intellectus agens ſit prima cauſa, & eſt illa quæ appellatur ab Ariſtotele ſecundo de generatione animalium cap. 3. quia extrinſecus aduenit, & quod ſit prima cauſa declarat, quia dicit intellectus agens omnia facit, ſemper intelligit, & ſui intellectus eſt ſui ſubſtantia, iſtæ conditiones competunt primæ cauſæ, quia eſt ipſa quæ omnia facit, & ſemper intelligit, & ſui intellectio eſt ſui ſubſtantia, ſed confutat Io. Alex. in primo textu huius. De parte animæ, qua ſapit & intelligit intellectus agens eſt pars animæ ſecundum Ariſt. non ergo prima cauſa.

Etiam quia dixit intellectus agens, eſt ſicut lumen, ideo eſt habitus intellectus & qualitas, ſed Deus non eſt in nobis, nec qualitas, etiam quia habitus admiſcetur potentiæ, dicit Ariſt. quod habet habitum ſcientiæ eſt in potentia ad ſciendi actum. Deus eſt purus actus, etiam quia Deus non aſſimilatur lumini, ſed ſoli. Etiam quia [illegible] eſt uerum de Deo, qui ſolus ſit immortalis, ſecundum Ariſt. quia aliæ intelligentiæ ſunt immortales. Confutat Them. hanc opinionem, & Auer. dicit taxando eos, qui dicunt intellectum agentem eſſe Deum. Ideo aliter Io. & cum ipſo ferè, omnes Latini dicunt, quod intellectus agens eſt potentia animæ rationalis, quia rationalis anima eſt ſimplex, & habet duas potentias, una eſt intellectus potentia, Altera intellectus agens, an illæ potentiæ ſint qualitates, uel non diſtinguantur a ſui ſubſtantia, dicemus poſtea infra.

Sed Io. inquit, uidetur quod talis expoſitio, non ſit uera, quia intellectus potentiæ non ſemper intelligit, intellectus agens ſemper intelligit, quomodo igitur eadem ſubſtantia ſemper intelligit, & non ſemper intelligit. Dico dicit Ioan. optime quod intellectus agens, ſemper intelligit ſecundum totam ſpeciem, quia ſi unus homo non intelligit, alius intelligit, non ſemper intellectus potentiæ intelligit, quo ad indiuiduum. Secundo dicit quia ſubſtantia intellectus agentis eſt ſui intellectio, ſubſtantia intellectus potentiæ non eſt ſui intellectio, quomodo ergo eſt poſſibile, quod eadem ſubſtantia ſit ſui intellectio, & non ſit, dicit Ioannes, quod ſui intellectio eſt ſui ſubſtantia, ſecundum ſuam ſcientiam, & ſua ſcientia eſt forma ipſius, ideo ſui ſubſtantia eſt intellectio, quoquo modo.

Sed puerilis eſt prima reſponſio, quod Ariſt. uult aſſignare differentiam inter intellectum agentem, & intellectum potentiæ, & dicit agens intellectus ſemper intelligit, ſi dicas, quo ad ſpeciem, nulla ergo differentia eſt.

Etiam ſecunda expoſitio uana, quia ſcientia cum ſit accidens, non poteſt appellari ſubſtantia intellectus agentis, quia primo phyſic. quod uere eſt, nulli accidit, etiam alia ratione, quia nihil agit in ſe ipſum, & hoc fundamento 8. phyſic. probauit

probauit secundam naturam in cœlo, sic ergo cũ intellectus agens sit idem cum intellectu potentiæ, quomodo potest agere in se ipsum, ideo intellectus agens, debet re distingui ab intellectu potentiæ.

Est secunda dubitatio, quia est opinio Themistij, quod intellectus agens sit una substantia separata ac distincta ab intellectu potentiæ, & ex intellectu potentiæ & agente sit anima rationalis, tanquam ex materia & forma sit unum, ideo dixit Themistius, quod intellectus agens uetius forma dicitur, quàm intellectus potentiæ, quia intellectus agens est ut forma, intellectus potentia ut materia, & sic soluitur illud atg. quòd nihil agat in se ipsum, quia est diuersitas in anima, quid ergo ad atg. Alex. qui dicebat conditiones, intellectus agentis conueniunt Deo. Primo enim erat omnia facere, sed hoc conuenit Deo, cum exposuimus quod agens non facit omnia absolute, sed facit omnia intelligibilia. Secundò quod agens semper intelligat, & sui substantia, & sui notio conuenit Deo, hoc falsum est apud Arist. quia omnes intelligentiæ semper intelligunt, quia sibi consistit sui fœlicitas, & etiam notio ipsarum est substantia sui, quia in substantiis separatis non est accidens, quod dicebat Io. quod Arist. dixit quod intellectus agens & potentia erit idem subito, id est re, dicatis quod Arist. non dixit, & nunquam potui uidere hoc apud Aristotelem, quod dixit Ioannes Grammaticus.

Erat dubitatio de substantia intellectus agentis, quæ nam esset, enumerauit duas opiniones. Prima est Alex. qui dicebat, quod erat Deus, quem Arist. 2. de generatione animalium appellauit extrinsecus adueniens. Confutauit Ioan. secunda opinio fuit Io. Gram. & fere omnium latinorum, quod nihil aliud erat intellectus agens quàm substantia animæ rationalis, quæ simplex est, quæ habet duas potentias. Vna quæ appellatur intellectus agens. Altera quæ appellatur intellectus potentiæ. Sed adduxi argumentum contra hanc opinionem, quia dixit Arist. agens intellectus semper intelligit intellectus potentiæ non semper intelligit, ergo non est eadem anima, quia si sic contradictoria uerificarentur de eodem, etiam quia dixi, notio intellectus agentis est sui substantia, & notio intellectus potentiæ non est sui substantia, ergo non est una anima simplex. adducebam tertium argumentum, quod fuit Arist. 7. & 8. physic. quia nihil idem agit in se ipsum, quomodo agens si esset idem cum intellectu potentiæ ageret in se ipsum. Totum dubium est de actu uoluntatis de quo alias dicemus.

Fuit alia opinio Marini philosophi, qui dicebat quod intellectus agens non erat intellectus diuinus nec noster, sed medius, inter nostrum, & diuinum, & appellatur Angelus, uel Demon, quòd non possit esse intellectus diuinus, patet ex argumentis factis contra Alex. Etiam non est uerum ex argum. factis contra Ioannem. Sed opinio non est uera, quia Aristoteles in principio tertii dixit de parte animæ, qua sapit & intelligit, & ibi loquitur de intellectu agente, & notauit Ioan. ergo non est medius. Etiam quia non esset uerum, quòd tantum illæ intellectus medius esset immortalis, quia aliæ intelligentiæ sunt immortales, uerificatur autem de intellectu potentiæ, & agente, quòd solum sint immortales, loquitur de potentiis, quæ ad nos spectant, ideo dicebam quòd erat duplex pars animæ rationalis, scilicet intellectus agens & potentiæ, & agens intellectus re distinguitur ab intellectu potentiæ, ideo nihil agit in se ipsum.

Sed est dubitatio, quia uidetur quod non sit necessarius intellectus agens, quia in sensitiuis non est necessarium ponere sensum agentem, non est ergo necessarium ponere intellectũ agentem, quia uisibile cum sit imperfectius imagine eius, per se non potest producere actum sentiendi, sed producit uirtute causatum uniuersalium, sicut semen mortuo patre non producit fœtum, nisi uirtute causarum uniuersalium, & maxime Solis, ita phantasmata, & si per se non possint producere actum intelligendi, uirtute tamen causarum uniuersalium possunt producere actum intelligendi, non debemus ergo ponere intellectum agentem.

Secundo ex 5. metaph. ex quo duplex operatio immanens & transiens. Transiens est illa, quæ transit ad materiam alienam, immanens est quæ immanet suo subiecto, ut sensatio & intellectus, sed intellectio immanet intellectui agenti, quia est ipsæ qui intelligit, ergo causas illas notiores & tertio, nulla forma agit in suum subiectum, sed agens intellectus est forma intellectus potentiæ non debet ergo agere in intellectum potentiæ, sed agit, ergo non debemus ponere eum. Propter hæc argumenta, Durandus & Io. Gram. dixere, quod nulla est necessitas ponendi intellectũ agentem, & ratio fuit, quia ubi est potentia, ibi est aliquid in actu deducens illud in actum, cum ergo sit intellectus potentiæ debet esse ergo intellectus agens, ideo dico ad argum. in oppositum. Cum dicis est necessitas ponendi intellectum agentem, falsum est, cum dicis non requiritur in sensibus sensus agens, ergo nec in intellectu, non requiritur intellectus agens. Dico quod non ualet, quia etiam si sensus agens non datur in sensibus, non ualet, ergo & ita intellectus, & ratio est, quia intellectus est nobilior sensibus, ideo dedit intellectum agentem ipsi, ob sui imperfectionem, non est autem necessitas intellectus agentis, quia sensus non est ita perfectus, ut intellectus, ideo non datur, si quis autem uellet

let protegere posset dicere, quòd intellectus agens non est necessarius, uel dicet dabitur ergo sensus agens.

De secundo dico, quòd operatio nocatur immanens, non quod immaneat subiecto suo, sed quia immanet suo operanti, & quia intellectus potentiæ operatur eam, ideo ei immanet, non quod causet illam intellectus potentiæ.

De tertia dico, quod nihil agit in proprium subiectum actione uniuoca, ut concludit argumentum, potest tamen agere actione æquiuoca, ut est in proposito, quia notio in intellectu agente & substantia in intellectu potentiæ, est qualitas, &c.

Est tertia dubitatio qualis sit illa necessitas intellectus agentis, fere omnes Latini ponunt species intelligibiles distinctas specie ab actu intelligendi, & dicunt quod primo producitur species intelligibilis deinde intellectio, & ponunt talem distinctionem ut cessante intellectione intellectus possit intelligere, quia reseruantur tales species, dicunt ergo isti ut dicit Thom. contra Gentiles, & Scotus quod intellectus agens cum simulachris producit species intelligibiles & ipsa simulachra cum intellectu potentiæ producunt notiones, ita est necessitas intellectus agentis ad producendas species intelligibiles Ioan. Gram. dicit, quòd e contra est quod dicit quod species intelligibiles producuntur a simulachris uirtute substantiarum abstractarum, intellectus agens producit notiones, Appollinaris dicit, quod intellectus agens producit species intelligibiles & notiones, Græci autem non patiuntur hanc difficultatem, quia dicunt quod species intelligibiles non distinguuntur ab ipsa intellectione, & nocant species intelligibiles respectu obiecti uocatur intellectus respectu intellectus potentiæ, & mihi placet hæc opinio, quia si essent tales species reseruatæ in intellectu in ipso esset memoria, quod tamen negauit Arist. quia in de somno & uigilia philosophus posuit omnem memoriam ex parte sensus, & dicit quod non recordamur uniuersale, sed quia reseruantur simulachra in memoria sensus, sic facit uniuersale, ita dico ad argumentum, quod operatio intellectus agentis est producere illas notiones in intellectu potentiæ, quia eadem est species intelligibilis & ipsa notio. Est ultima dubitatio in illis uerbis cur non reminiscimur & dixi, quòd expositio D. Thom. erat uana, quæ dicebat cur non recordamur post mortem, quid scit Arist. si post mortem recordamur Arist. enim proposuit quæstionem, sed expositio D.Thom. fuit expositio Themistij, quia inquit cur non reminiscimur post mortem. Et quia Themistius quærit. quia solus intellectus agens est pracipua pars animæ, est enim forma & est immortalis. Cur ergo inquit ipsæ intellectus agens non reminiscitur post mortem & soluit quæstionem secundum Aristotelem, & dicit, quòd intellectus agens modo intelligit sine phantasmatibus quia corrumpuntur talia phantasmata, ideo intellectus agens non recordatur, & est quæstio huius, quia dixit intelligere & speculari corrumpuntur quodam interius corrupto & dicit corrumpuntur ille notiones, quia uidere & sentire, quia sunt operationes totius, sic finiunt hanc quæstionem, Auer. etiam ita exponit, nedum Themistius, dico quod Auer. & Themist. recte loquuntur, quia apud Themistium unus est intellectus agens numero in omnibus, & exposuit de intellectu agente, hanc quæstionem Auer. de intellectu potentiæ, quod est unus numero in omnibus hominibus, & ita eadem est expositio illorum, sicut illa Ioan. & quòd apud Themistium intellectus agens sit unus numero in omnibus hominibus probauit ipse, quia est perpetuus non autem multiplicatus est, etiam quia omnes assentiuntur primis principiis, ut quod totum sit maius sua parte, non essentirentur antem, si non esset idem intellectus & præceptor docet discipulum, unum brutum non docet aliud, & hoc quia est idem intellectus agens, & Plato dicebat præceptorem docere discipulum, quia eis est quoddam commune, quasi dicat, quòd unus est intellectus, sed ponit argumentum leue aduersus suam opinionem quod dixit si esset unus numero assimilasset homini, sed soli, quia sol est unus numero, non autem lumen, quia uariatur secundum subiecti uariationem, dico quòd ibi non consistit similitudo, sed in hoc quia sicut lumen facit colores uisibiles, ita intellectus agens facit species intelligibiles actu res. Cum ergo unus sit intellectus agens numero etiam præcedit ante generationem nostram & hoc experitur, D. Thom. autem non potest defendi, quia non ponit intellectum præcedere generationem nostram, clarior tamen est expositio Ioan. quàm Themist. & illa Auer. & si eadem sit, uerum est quod Themist. format quæstionem de intellectu agente, Auer. autem dicit de intellectu potentiæ, ideo clara est quæstio de intellectu potentiæ, etiam quidam dicit intellectum agentem esse ultimam formam hominis, quod non uidetur uerum, quia homo includit discursum, qui est in intellectu potentiæ, ideo rectius dicemus quod tota anima composita ex intellectu potentiæ, cùm intellectu agente, sit ultima forma hominis circunscribens ipsum hominem, &c.

Lectio XXI.

SVPER hoc textu Auer facit longam digressionem & dicam tantum difficillima Auer. adducit tres expositiontiones. Vna Alexan. Altera Themistii. Altera sua in textu sunt

quattuor expositiones, & una dubitatio, non ego illam expositionem, legatis uos, prima expositio est Alexan. qui exponit propositiones partim de intellectu agente & partim de intellectu potentia, Themistius exponit illas partim de intellectu agente, & de intellectu potentiæ, & speculatiuo, non inuenietis autem hanc expositionem in Them. Auer. autem tantum exposuit de intellectu potentiæ, etiam Ioan. Gram. ideo facit quæstionē de intellectu potentiæ. Cur non reminiscimur, quia intellectus potentiæ est qui intelligit, agens autem producit notiones uniuersales ut diximus heri, & declarat solutionem quæstionis, quia inquit & si intellectus potentiæ sit incorruptibis, quia tamen non potest intelligere intellectu passibili, qui est corruptibilis, ideo illæ notiones corrumpuntur. Et Auer. nolens declarare solutionem quæstionis, quia inquit & si intellectus, quod triplex est, interior sensus, scilicet imaginatiua, cogitatiua, & memoria, non facit tamen mentionem de sensu communi, quia est eiusdem ordinis cum sensibus exterioribus, quia sicut ipsi non intelligunt nisi in præsentia sensibilium, ita sensus communis & inquit Auer. quid intelligit per possibilem intellectum, dicit quod intelligit cogitatiuam uirtutem, quia est quæ subministrat intellectui, sicut ars inferior subministrat superiori, ut dixit philosopus secundo physic. nocatur intellectus cogitatiuus, quia habet illas tres operationes, quas habet intellectus, quia sicut intellectus simplici apprehensione intelligit, componit, & discurrit, ita cogitatiua facit tres illas operationes, circa tamen singularia; & dicit quod tanta est colligantia cogitatiuæ, cum intellectu, quòd cum intellectus discurrit, discurrit & ipsa, cum componit, componit & ipsa, & cogitatiua tantum homini inest, in brutis correspondit existimatiua, quæ non discurrit, & inquit cogitatiuæ sunt duæ operationes. Prima est ea, quæ facit idola, & reponit ea in memoria. Secunda operatio est quæ separat idolum imaginatum ab indiuiduo, alias dixit ab intentione, idolum imaginatum appellat accidentia communia, & propria appellat indiuiduum, uel intentionem indiuiduam substantiæ, dicit ergo, quod hæc uirtus distinguit accidentia communia, & propria ab indiuiduo substantiæ, & comprehendit per se indiuiduum substantiæ, a quo recipit indiuiduum substantiæ, a sensibus exterioribus, quia dicit si recipiat substantiæ idolum ob eorum tamen imperfectionem, non apprehendunt, & dicit apud formationem, & per formationem intelligit apprehensionem Simplicium, habet aliam operationem, id est confundere omnia illa simulachra, & reseruare in memoria. Cum Arist. dicit intellectus potentiæ, nihil operatur sine intellectu possibili, intelligit cogitatiuam, quæ primo discernit intellectus, & cum distinctæ apprehendit non operatur intellectus, operatur, & cogitatiua, & inquit, quòd hæ duæ uirtutes se iuuantur in representando simulachra, quæ non dum nidentur, & si uidisset, idem dixit inde memoria & reminiscentia, & dicit hæc uirtus habet aliam operationem, quia anima rationalis constat ex intellectu potentiæ & intellectu agente, & sunt quodammodo unum, ita hic uidetis, quod intellectus agens secundum Auer. distinguitur ab intellectu potentiæ, & dicit sunt unum quodammodo, quia constituunt unum, scilicet animam rationalem, quia ex intellectu potentiæ, & agente fit unum, sicut ex materia & forma, sunt tamen duæ substantiæ, re distinctæ, ideo dixit, quod recte dixit Alex. assimilando animam igni, quia ignis habet duo opera. Primum est quod agat. Secundum cum agit in alia obiecta repatitur, ideo Auer. ponit actionem & reactionem in corpore naturali, & fuit dictum Arist. in secundo de partibus animalium cap. 4. & propter hoc debemus ponere reactionem, quia calculator negauit reactionem, & maxime illa ratione, quia idem moueret motibus duobus contrariis, quia cum aqua agit in ignem, residua pars ignis agit in ignem frigefactum, quoquomodo, & aquo frigefit ille ignis, Petrus Pomponius recte dixit, in sua quæstione, ita anima rationalis, quia intellectus agens facit formas naturales actu intelligibiles, etiam sic ignis repatitur, etiam intellectus agit, repatitur anima rationalis respectu intellectus potentiæ, quia eas recipit, & dixere plures expositores secundum Arist. & recte quòd intellectus speculatiuus, id est notiones sunt externæ, scire nostrum erat reminisci, quia cum intellectus sit unus numero semper habet rationes rerum sensibilim, hæc etiam est opinio, quòd possit uti illis notionibus. Socrates nuper genitus labore tamen suo potest uti illis notionibus, & sic expositores cum Aristot. debent assentiri, quoquomodo quòd scire nostrum sit reminisci differt tamen Plato ab Arist. quia Plato nolebat, quòd illæ notiones essent in intellectu, & eis non poterat uti ex dispositione sensus, aliter Them. dixit, sed cum inquit Them. quod notiones illæ, substantia intellectus agentis sunt, dicit Auer. cur si sint cur representat bouem non representat leonem, & hominem, inquit, quia representat simulachra bouis, ita intellectus agens agit illas notiones in intellectu agente, & sic tales notiones sunt perpetuæ, secundum Themistium, secundum Platonem fuere productæ, sed semper insunt intellectui perpetuo, fiunt nobis nouæ, cum adiscimus simulachra rerum, fit notio noua, & possumus uti ea, si dicas quod productum fuit non est æternum, dico, quòd non est uerum absolute, sed tantum uerum de substantia, non autem de accidente, quia lux Solis producit lumen, &

tale-

tale lumen est perpetuum, quia cum Sol sit perpetuus & lux, ergo & lumen, & tamen illud lumen fuit productum a luce Solis, si dicas supponatur quòd nullus homo intelligat lapidem & fiat, notio lapidis erit noua, non ergo omnes notiones sunt æternæ, dico ut dixi quod non repugnat ex parte intellectus quod habeat illas notiones perpetuas, potest tamen stare quod non sit aliqua notio in intellectu, & fiet noua ab intellectu agente, & dicit Auer. in hoc conuenio de intellectu agente cum Alex. non autem cũ Them. & ex hoc aliqui eliciunt quod apud Auer. intellectus agens est deus, quia ita dicebat Alexander, sed non est uerum, sed consentit de hoc, quòd substantiæ intellectus non sunt notiones sed productæ ab illo, non quòd dicat, quod intellectus agens sit intellectus diuinus, differt à Themist. quia ipse posuit quod notiones rerum sensibilium sint substantiæ intellectus agentis, quod non uult Auer. & de intellectu potentiæ consentit cum Themist. dissentitur ab Alex. quia Alex. posuit intellectum possibilem generabilem & corruptibilem, Them. posuit eum æternum, & subdit Auer. ubi est orta tanta diuersitas, de intellectu, dicit quod hæc non est eius intellectus, quia est unus numero æqualiter in omnibus, sed prouenit talis diuersitas ex cogitatiuis, ex modo diuersi exercitij, & ex diuerso usu, ut si quis sit consuetus audite Alex. dicit ut Alex. si consuetus audire Themist. ut Them. quod cogitatiua est generabilis & corruptibilis, uel intellectus agens, & sequitur hoc ex quæstione tacta ab Aristot. cur non reminiscimur post mortem, si cogitatiua sit æterna cum alijs duobus intellectibus cur non reminiscimur, ideo oportet quod cogitatiua sit corruptibilis, quia si non de necessitate intellectus potentiæ uel agens erit corruptibilis, & dicit quod non differunt homines tantum de uirtute cogitatiua, sed etiam de quattuor uirtutibus declaratis in topicis, sunt uarij modi exponendi. Aliqui exponunt de quattuor modis arguendi, aliqui intelligunt de quattuor generibus probabilium, sed tria, uel quinque ideo aliter expono, quod per quattuor uirtutes intelligit quattuor uirtutes cardinales quæ expressæ sunt ab Arist. incidenter in topicis.

Lectio XXIIII.

EXPONEBAM Auer. in calce digressionis quod ne dum uirtute cogitatiua in operatione differunt homines, sed etiam differunt penes quattuor uirtutes declaratas, ab Aristot. in topicis, ab Alpharabio in Elenchis, & exposuit per illas quattuor uirtutes quattuor uirtutes Cardinales, ex quo sequitur, ut dicit Arist. secundo ethicorum illæ quattuor uirtutes irrascuntur, ut sensus obedit rationi & illæ uirtutes secundum Platonem sunt habitus appetitus, intellectus, ita ergo si sensus obedit rationi, adipiscitur illas uirtutes, quia si intellectus recte dictat & sensus illa faciat acquiruntur illæ uirtutes, quia intellectus recte dictat & quod non obediat rationi est ex insolertia imaginatiuæ, ideo dixit omnis ignorans malus, & addit quartum Auer. quod cogitatiua in homine differt specie ab imaginatiua in brutis, quia si non differt imaginatiua brutorum coniuncta esset cum intellectu ut illa hominis, quod tamen falsum est, & inquit nedum cogitatiua differt a brutis homo, sed etiam unusquisque homo differt a se ipso, quia unus homo utitur intellectu speculatiuo, alius practico, hoc modo est ratione diuersitatis cogitatiuæ in homine.

Textus XXI.

INDIVISIBILIVM quidem igitur intelligentia in his est circa quæ non est falsum, in quibus autem & falsum iam & uerum est compositio quædam iam intellectuum est, sicut eorum, quæ unum sunt, quemadmodum empedocles dixit uere multorum quidem capita sine ceruice igitur mediauerunt, postea composita sunt concordia sic & hæc separata composita sunt ut asimetron & diametros.

Textus XXII.

SI autem factorum & futurorum tempore eo intelligens est & componens, falsum enim in compositione semper est, & nanque si album non albo, aut si non album albo componunt, contingit autem & diuidentem dicere omnia. Si ergo est non solum falsum, aut uerum, quòd albus deon est, sed & quod erat aut erit unum aut faciens, sic intellectus est unumquodque.

Textus XXIII.

INDIVISIBILE autem quoniam dupliciter dicitur, aut actu, aut potentia, nihil prohibet intelligere indiuisibile, cum longitudinem intelligat. Indiuisibilis enim actualiter est, & in tempore indiuisibili. Similiter enim tempus diuisibile, & indiuisibile longitudini est. Non igitur est dicere aliquid in medio intelligere utrunque, non enim esset nisi diuidatur, sed aut potentia seorsum, aut utrumque intelligens dimidiorum diuidit tempus, etenim simul, tunc autem est ut in longitudine, si uero est sicut ex utrisque, & in tempore est quod in utrisque.

Indiuisibilium, Dicit Ioan. quod prius agit de intellectu, modo agit de intelligibilibus, oppositum tamen fecit de sensu, quia in unoquoque sensu prius de sensibili egit, deinde de sensu, oppositum hic facit de intellectu, & huius ratio est

quia cum loquamur de sensu, sensibile erat nobis notius, quam sensus, ideo prius de sensibili intellectus autẽ & eius operatio est nobis notior, quàm intelligibilia, quia experimur in nobis notiones, sed ignoramus illa intelligibilia, quia multa comprehendit, quæ nobis ignota sunt, ideo incepit ab intellectu, & inquit Ioan. quod Arist. non dicit quod intellectus intelligat tantum indiuisibilia, quia intelligit etiam indiuisibilia apprehendit tamen illa ut diuisibilia apprehenduntur sub notione unitatis, & ut in instanti apprehenduntur, & etiam quia apprehenduntur ab anima rationali, quæ est indiuisibilis, ideo dixit sic Arist. sicut nostra intellectio est indiuisibilium, ideo dicit Arist. quod etit quintuplex intelligibile quia indiuisibile est quintuplex. Vnum est indiuisibile, in quod resoluitur propositio ut uox. Vox enim est in qua resoluitur propositio secundum indiuisibile, ut causa per se non diuiditur, in potentia tamen est diuisibilis ut linea. Tertium est indiuisibile, ut forma materialis. Quartum quod est indiuisibile actu & potentia, ut instans respectu temporis unitas respectu quantitatis discretæ. Et punctus respectu quantitatis continuæ. Quintum indiuisibile, quod per se actu & potentia est indiuisibile ut abstractum a materia ut sunt substantiæ abstractæ, dicit Ioan. ut reducamus omnia indiuisibilia ad summam, dicit omne indiuisibile, uel est in propositionibus, uel in rebus, in propositione est unum ut uox, si est in rebus, uel indiuisibile potentia & actu, uel est indiuisibile actu, potentia diuisibile per se, & sic est quantitas, uel est diuisibile potentia per accidens, & sic forma materialis, si indiuisibile actu & potentia, est bifariam, uel coniunctum materiæ, & sic, est instans, uel unitas, uel punctum, si est abstractum a materia, sic est intelligentia abstracta. Primo dubitat Ioan. quia inquit, omnia quattuor illa significata possunt exprimi simplici uoce, ergo comprehendentur sub primo significato, dicit Ioan. quod concedit quod possint exprimi unica uoce, sed distinguuntur ex hoc, quia unum est indiuisibile in propositione, aliud in rebus, & sic distinguuntur. Secundo dubitat, quia quantitas est forma materialis, quomodo ergo distinguit quantitatem a forma materiali, dicit Ioan. quòd distinguuntur ex hoc, quia omnes formæ materiales præter qualitatem reddunt corpus sensibile, & sic distinguuntur, cum ergo quintuplex sit genus indiuisibilium, ita ponit unumquodque intelligibile correspondens indiuisibili. Primum erat uox simplex, inquit huic correspondet intellectio simplicium terminorum, quæ fit sine falsitate, & addit quasi tria documenta, & inquit, quòd intellectus noster se habet in compositione sicut dicebat empedocles se habet amicitia, fuissent multa composita ita si non fuisset intellectus non fuisset compositio, & diuisio terminorum, & dicit quod apprehensio Simplicium est sine falsitate, quia omnis falsitas est cum positione, & inquit quod in compositione, id est in propositione una, quæ est ex parte prædicati, & temporis, exemplum cum dicimus est corpus est falsitas respectu prædicati, quia umbra non est corpus, etiam respectu temporis, si supponatur quod umbra non sit, alia est falsitas respectu prædicati tantum, ut si supponamus quod sit umbra & dicimus quod umbra sit corpus, & tam falsitas, respectu prædicati, reperitur. Tertio falsitas respectu temporis ut cum dicimus res Troianæ sunt, & inquit quod est falsitas respectu temporis, & prædicati simul, tamen potest reperiri in rebus naturalibus corruptibilibus, non autem in diuinis, quia ipsa non cadunt sub tempore, est tantum ibi falsitas respectu prædicati, ut cum dicimus esse deum expertem uita, addit tertiam quod ne dum negatio dicit compositionem ut termini sunt compositi dicitur diuisio, ut propositio resoluit, in simplices terminos, & ut cōponitur ex rebus simplicibus in negatione simpliciter est diuisio, quia diuidit terminos, est compositio quia constituit illos simul, dubitat Ioan. quomodo Arist. dixit quod intelligimus terminos simplices sine falsitate quia omnis falsitas consistit in compositione. Cur magis dixi quod intelligimus simplices terminos sine falsitate, quàm sine ueritate, quia omnis ueritas consistit in compositione, debuisset ergo dicere quod est sine ueritate & falsitate talis apprehensio, dicit Ioan. quod duplex est ueritas, & falsitas, est una falsitas & una ueritas quæ opponitur falsitati, & talis consistit in propositione, ut primo Periherm. dixit Arist. est ueritas quæ non opponitur falsitati, sed est ueritas suæ substantiæ, & de tali ueritate loquitur Arist. in metaph. quia cum dico aurum dico ueritatem substantiæ, & ita dicebat Arist. quod sensus non decipitur circa proprium obiectum, & loquitur de ueritate, quæ non opponitur falsitati, sed quod dicit Ioan. non est uerum, quia in simplici notione non tantum reperitur ueritas, sed etiam falsitas, quia dicebat sensus circa non propria sensibilia decipitur, est ibi falsitas, dico ergo quod est duplex ueritas, & falsitas, & talis ueritas est relatio, & ipsa falsitas, quia ueritas est cum est coformitas signi ad signatum, falsitas est deformitas signi ad signatum, dico ergo quod duplex est ueritas & falsitas sic duplex signum, aliquod simplex aliquod cōpositum, simplex est homo, complexum ut propositio, ideo dico quod duplex ueritas, una simplex, & sic est una falsitas simplex, & est, cum est conformitas signi ad signatum, etiam falsitas cum est deformitas, & de hac ueritate loquitur philosophus de sensu. Alia est ueritas, & falsitas

tas complexa, & hæc est de qua loquitur in primo periherm. & consistit in propositione talis ueritas, & est ueritas cum sit signi ad signatum, falsitas cum sit deformitas signi ad signatum, & sic omnis contradictio tollitur, &c.

Lectio XXV.

DECLARABAT nobis Arist. quomodo erant septem genera intellligibilium, quia omnia intelligibilia sunt indiuisibilia, & indiuisibilia sunt quinque genera, erat primum intelligibile apprehensio notionis simplicis in propositione, in qua notione non consistit falsitas, quia falsitas tantum est in compositione, & dixit, quòd erat triplex falsitas, aliqua ex parte temporis tantum, aliqua ex parte temporis & prædicati, aliqua ex parte prædicati tantum, & dicit quòd falsitas ex parte prædicati inuenitur etiam in diuinis. Est dubitatio, quia dixit quod intellectus facit propositionem falsam ex parte temporis, quia Entisbot in lib. de Phismatibus dicit quod in intellectu non potest esse propositio, de secundo adiacente, quia uerbum substantiuum, ut dicit Arist. primo periherm. significat unionem, unio est unibilium unio, ad minus ergo unibilia sunt duo, quomodo ergo potest esse propositio falsa ex parte temporis respectu intellectus, quia ipsum uerbum significat tantum conceptum, dico quod & si propositio secundi adiecentis non reperiatur in intellectu, reperitur tamen in uoce, ut cum dico homo est, etiam possum dicere quod repetitur talis propositio de secundo adiecente in intellectu, quia cum dico homo est, illud est, significat ibi ens, & sic significat homo est ens, uocatur tamen de secundo adiacente, quia prædicatum est de natura uerbi, eadem, ista autem homo est curens, est de tertio adiacente, quia prædicatum est diuersum natura a uerbo, inquit Arist. aliquod est indiuisibile actu diuisibile potentia, ut magnitudo, aliquod est actu diuisibile potentia indiuisibile, ut partes aquæ, quæ sunt actu diuisibiles, potentia tamen indiuisibiles, & inquit Arist. intelligimus intelligibile, quod est indiuisibile actu diuisibile potentia indiuisibile, scilicet in tempore indiuisibili, & ab anima rationali indiuisibili, quia inquit si intelligamus eam in duplici instanti diuidemus lineam, quia unam partem apprehendimus in uno tempore, aliam partem in alio tempore, & sic non intelligimus lineam, ut unam, nec ut indiuisibile, si debemus ergo intelligere ut una, oportet ergo ut percipiatur tempore diuisibili, id est in uno instanti indiuisibili. Sed est dubitatio, primo quia dicimus intelligimus lineam ut est una in tempore indiuisibili, id est in instanti, est dubitatio Aristot. inde memoria, & reminiscentia, quod nostrum intelligere est cum tempore continuo, non ergo in instanti, secundo dicit si diuidimus tempus diuidimus lineam, si diuidimus ipsam, diuidimus tempu non possumus ergo intelligere omnes partes lineæ simul tempore, quia si sit diuisa linea non diuideretur tempus. De primo dicatis quod intellectus non intelligit sine continuo, id est nostrum intelligere est cum quantitate, quia quæ intelliguntur intelliguntur per modum quantitatis, ideo dicit Ioan. cum intelligimus deum, intelligimus per conceptum diuisibilem, & habētem rationem, unitatis uel intelligere nostrum est cum tempore, ut componit & diuidit, quia ibi est uerbum, ideo fit cum tempore, non ut cum mensura, sed ut fit propositio per uerbum est, non tamen omne nostrum intelligere est cum tempore, quia ex quo caret contrario fit in instanti.

De secundo dicit D. Thom. prima parte quæst. 86. quod plura sub ratione unius, & in una intellectione potest apprehendere, & inquit, quod plura ut plura intelligimus in instanti temporis, & addit auctoritatem hic, & primo topicorum, quia dicit Aristoteles possumus plura scire, sed non plura intelligere in quarto metaphys. & addit rationem, quia formæ eiusdem generis non sunt composibiles, cum ergo linea diuiditur in plures partes, sunt incomposibiles, ideo in tempore diuerso apprehendit illas partes, sed Gregorius Ariminensis & ocham insteterunt contra D. Thom. quia inquiunt hæc conuenit sensui, ergo & intellectui, quia sensus simul apprehendit album & nigrum, quæ sunt diuersa, etiam quia sensus communis apprehendit plura per modum plurium in eodem instanti, quia apprehendit differentias diuersas genere, & diuersa sunt, ergo plura, etiam imaginatiua apprehendit indiuiduum substantiæ, & accidentia separatim ergo plura, nec ratio D. Thom. cogit cum inquit formæ eiusdem generis non sunt composibiles in intellectu aut loquitur de genere remoto, aut propinquo, si de remoto hoc est falsum, quia in eodem tempore possunt esse plures formæ eiusdem generis, remotæ ut odor sapor, & eiusdem generis proximi, etiam est falsum, quia sensus discernit inter album & nigrum quæ sunt causæ eiusdē generis, proximi uel possumus dicere, quod illæ notiones non sunt eiusdem generis proximi. Addo, quia omnis unio est unibilium, unio, intellectus non potest facere propositionem nisi habeat illas notiones, ergo prius apprehendit illas notiones ut diuersæ, ergo intelligit intellectus per modum plurium in eodem instanti, quia conuenit sensui, ergo & intellectui, cum dicebas, Aristoteles dixit diuisa magnitudine diuiditur tempus, non ergo possumus intelligere probatio per modum plurium, dico quòd illa uerba non sunt exponenda secundum

necesſitatem, ſed tantum contingentiam, ſcilicet quòd contingit quod apprehendamus plura in diuerſis temporibus, poſſumus tamen apprehendere illa in inſtanti, quod addit in Topicis, quod plura poſſumus ſcire non autem intelligere, dico, quod exponenda ſunt illa uerba hoc pacto, quod poſſumus plures habitus habere, quàm poſſumus intelligere, quia in nobis poſſunt eſſe plures habitus, repugnat tamen, quòd in actu omnes illos habitus intelligamus, quod dicebat. Quarto metaph. non intelligit intelligens, niſi uerum dicat, quia ſi intelligimus unum, unum intellegimus, ſi plura ergo ut unum, ratio eius fuit ſoluta.

Textus XXIIII.

QVOD autem non ſecundum quantitatem indiuiſibile eſt, ſed ſpecie intelligit indiuiſibili tempore, & indiuiſibili anima, ſecundum accidens autem, & non inquantum illa diuiſibilia, quod intelligit, & in quo tempore, ſed inquantum ſunt indiuiſibilia. Ineſt autem utique his aliquid indiuiſibile, ſed forte non ſeparabile, quod facit tempus unum & longitudinem, & hæc ſimiliter eſt in omni continuo & tempore & longitudine.

Quod autem non ſecundum. Tertium intelligibile, quod erat indiuiſibile, & eſt forma coniuncta materiæ, & eſt bifariam, uel accidentalis, uel ſubſtantialis, & talis forma, per ſe indiuiſibilis, per accidens tamen diuiſibilis; & dicit, quòd talis forma intelligitur a nobis, in inſtanti, quia intellectione, in inſtanti potentia indiuiſibili, & tempore indiuiſibili, quia talis forma, quæ eſt per accidens indiuiſibilis, dicit Io. dicimus nos, quòd erat per ſe indiuiſibilis Ariſt. dicit per accidens. Dico dicit Io. ſi conſideretur talis forma per ſe, ſic per ſe eſt intelligibilis ſi conſideratur ex parte ſubiecti, quia ſubiectum per accidens indiuiſibile eſt, ita etiam dicit quòd illa forma per accidens eſt indiuiſibilis, & conſiderauit illas formas, ut in ſubiecto, quia omnis intellectio noſtra eſt cum magnitudine, ideo illam conſiderauit ut in magnitudine. Sed forte, caſu ſeparabile, inquit Ioan. quòd ſecundum Ariſt. ſic intelligimus has formas cum forma quinta eſt imaginatiua, eadem ſui parte apprehendit has omnes formas, ideo apprehendit has indiuiſibiliter, quod has omnes apprehendat eadem ſui parte, & dixit forte, quia quis poſſet opinari, quod eſſet ſeparabilis, quia Ariſt. eam appellauit intellectum re uera tamen non eſt ſeparabilis. Et hoc ſimiliter exponit Ioan. & hoc id eſt, forma coniuncta materiæ, eſt in omni continuo, quia omne continuum, eſt forma coniuncta materiæ, hoc autem duplex, ſcilicet quantitas continua, ut magnitudo & ſucceſſiua, ut tempus.

Textus XXV.

PVNCTVM autem & omnis diuiſio, & ſic indiuiſibile monſtratur, ſicut priuatio, & ſimul ratio in alijs eſt ut quomodo malum cognoſcit, aut nigrum, contrario enim aliquo modo cognoſcit. Oportet autem potentia eſſe cognoſcens, & eſſe in ipſo. Si uero alicui non ineſt contrarium ipſum ſeipſum cognoſcit, & actu eſt ſeparabile.

Lectio XXVI.

PVNCTVM *autem*. hic explicat quartum genus indiuiſibilis, & inquit, hoc eſt duplex, uel eſt in continua quantitate, & ſic eſt punctum, uel inſtans, in diſcreta quantitate eſt unitas; & inquit hæc indiuiſibilia intelliguntur, ut alia indiuiſibilia, ſcilicet tempore indiuiſibili, intellectione indiuiſibili, & potentia indiuiſibili, & inquit, & apprehenduntur a nobis modo negationis, quia ſicut negationes intelliguntur, per priuationem, ita hæc indiuiſibilia, intelligitur unitas, ut negatio numeri, apprehenditur punctum, ut eſt negatio continui. Eſt dubitatio in ſuis dictis, quia dicit nigrum apprehenditur ſicut negatio, hoc eſt falſum, quia nigrum eſt poſitiuum, & per ſe ſentitur, ergo intelligitur. Secundo quia eſt continuatio continui, ut quarto phyſic. dixit Ariſt. Tertio quia dicit hæc tria. Vnitas, punctum, & inſtans, apprehenduntur, ut negationes per modum affirmationis, hoc uidetur falſum, quia affirmatio eſt negatione, numerus ergo erit prior Vnitate, quia eſt ut affirmatio, quod tamen eſt falſum, quia unitas eſt principium numeri. De primo, quod numerus apprehenditur, ut negatio, dicit Ioan. quòd per nigrum, non intelligit qualitatem, quæ opponitur nigredini, ſed tenebra, quæ eſt obſcuratio luminis, eſt illa negatio.

De ſecundo dicit, punctus, & omnis diuiſio, Dico ſi punctum per ſe conſideratur eſt indiuiſibile per ſe; ſi conſideratur, ut ſi intermittitur in partes lineæ, ſic habet rationem continuitatis, & diuiſio eſt diuiſio, quia diſtinguit partes lineæ, ad inuicem, appellatur continuatio, ut illas partes lineæ continuat, & ſic intelligit quarto phyſic. De tertio, quod numerus eſſet prior unitate. Dico, quòd poſſunt conſiderari hæc indiuiſibilia, ut indiuiſibilia, & ſic habet rationem negationis, poſſunt etiam conſiderari ut principia, & ſic ſunt priora ipſis magnitudinibus, quia ex fluxu ipſorum cauſatur magnitudo, ut imaginatur math. Eſt quarta dubitatio. Malum non cognoſcitur, niſi per cognitionem boni, intellectus diuinus non cognoſcit aliquid per accidens, ergo non cognoſcit malum, quod tamen uidetur abſurdum, dicit Io. concedo, quod non cogno-

cognoscat malum, quia si cognosceret malum faceret malum, quod inconuenit, quia Deus non operatur malum, iuxta illud dictum. Quæcunque uidet facit, & sic Io. non loquitur ut Christianus, sed nostri Christiani non audirent Io. quia dicunt nostri Theologi, quod duplex malum potest considerari, ut actus positiuus, ut actus furandi ad hunc actum concurrit Deus, & principalius, quàm homo, quia Deus est ille, qui facit omnia entia positiua, propter hoc intellectus diuinus non facit malum. Considerat peccatum, ut est priuatio boni, & est malum, quia est deforme legi diuinæ, & tale malum prouenit tantum ab homine, ideo dixit Aug. supra Io. in principio sine ipso factum est nihil, Exponit Aug. nihil. Peccatum quæro igitur a Io. an intelligat malum, ut est positiuum, uel priuatiuum, si ut positiuum ens sic dependet a Deo, & principaliter, si intelligat ut priuatio, sic etiam Deus cognoscit illud malum, quia uoluntate sua punitur malum, ergo cognoscit illud, quia uoluntas cadit super ea quæ cognoscit, etiam intellectus noster cognoscit malum, ergo & intellectus diuinus cognoscit malum, quia quicquid cognoscit uirtus inferior cognoscit & superior secundum Theologos, etiam errat Ioan. quia dicit non cognoscit malum, quia faceret illud, quia entia sunt in duplici differentia, ut inquit Ioan. Scotus, aliter possibilia esse. Alia esse possibilia esse possibilia ab intellectu, ideo multa indiuidua possent forè, quæ tamen pendent esse ipsorum pendet a uoluntate, sic male exponitur ab August. illud dictum. Quæ dixit, facta sunt, quia refertur ad uoluntatem, & non ad intellectum, ideo dixit, mandauit quæ creata sunt Ad arg. dico, quòd malũ positiuum cognoscit, ut priuatiuum, etiam cognoscit simplici ratione, per sui essentiam, quia tale malum punitur ab eius uoluntate, ergo cognoscit illud.

Declarat quintum genus intelligibilium, quia erat substantia abstracta, & facit suppositiones. Prima est quod intellectus, non est potentia illud quod suscipit, id est, intellectus potest suscipere simulachra eius, quod intelligitur, etiam quod intelligitur est in potentia intellectum a nobis, quia sunt corruptiua. Secunda, omne quod intelligitur ab intellectu nostro in est, intellectus non formaliter sed sicut cognitum est in cognoscente; & intellectus noster intelligit illas substantias abstractas multis rationibus. Prima quia caret contrariis, eo quòd ingenerabiles, & incorruptibiles, quia generatio prouenit ex contrario, & corruptio, & ideo omnis substantia generabilis & corruptibilis habet contrarium non substantialiter, sed secundum accidens, ideo cum forma abstracta sit perpetua, caret ergo contrario, quod sit perpetua probauit Aristot. 8. phys. 2. quod illæ animæ cœlestes se ipsas intelligant. Tertio quod ipse intelligant actu non potentia, id est, sui substantiæ sunt sui notiones, hæc non conuenit intellectui nostro, quia est potentia intellectus, ideo noster intellectus intelligit seipsum per accidens circumscriptione, intelliguntur, alio modo a nobis ut substantiæ abstractæ sunt simpliciter, ut declarauit 8. physic. noster autem intellectus, non est separatus, quia dependeat a materia per accidens, quia utitur corpore ut organo, ideo intellectus non intelligit sine sensu.

Textus XXVI.

EST autem dictio quidem aliquid de aliquo, sicut affirmatio uera, aut falsa omnis. Intellectus autem non omnis, sed qui est ipsius quid est, secundum quòd aliquid erat esse, uerus est, & non aliquid de aliquo, sed sicut uidere propria uerum est. Si autem homo albus aut non, non uerum semper, sic autem se habent, quæcunque sine materia sunt.

Est autem. Postquam Arist. declarauit partes animæ rationalis, uult declarare. Primo quomodo intellectus apprehendens simplicia differat a se ipso, ut componit, & dicit duo, quomodo intellectus agens differat ab intellectu potentia, & primo declarat, quomodo intellectus apprehendens simplicia differat a se ipso, ut componit & diuidit, inquit quod sicut sensus apprehendit propria accidentia, & etiam apprehendit obiecta per accidens ut cum apprehendit substantiam, inquit ergo intellectus apprehendens simplicia differt a se ipso componendo, ut sensus apprehendens propria sensibilia differt a se ipso apprehendente sensibilia per accidens, quia sicut sensus rarissime decipitur, & sensus apprehendens sensibile per accidens decipitur, ita intellectus ut componit, & diuidit, errat, & decipitur.

Sed quod est ipsum, quod est, quod, quid erat esse. Exponit Io. quod per quid est intelligit substantiam, & quia substantia tripartitur, alia est forma, alia est materia. Alia est subiectum, ideo addit, quòd quid erat esse, id est forma, quia eius substantia est forma, & primo intelligit formam, & hoc dicit, quia secundum Aristotelem substantia est primum obiectum intellectus.

Textus XXVII.

IDEM autem est secundum actum scientia rei. Quæ uero secundum potentiam tempore prior est in uno: omnino autem neque tempore fiunt enim ex actu ente omnia quæ fiunt.

Lectio XXVII.

IDEM *autem & secundum actum*. Ad maiorem intelligentiam declarabat Arist. quomodo differebat intellectus apprehendens simplicia ab ipso componendo, nunc uult ponere differentiam intellectus agentis ab intellectu potentia, & inquit quod intellectus potentia in uno indiuiduo tempore præcedit intellectum agentē, uniuersaliter tamen intellectus agens est prior intellectu potentia tempore, quod intellectus potentia particulariter sit prior in nobis, quàm sit agens, quia sumus in potentia ad intelligendum; & ne dum intelligimus cum agens producit notiones, ideo etiam intellectus agens est prior uniuersaliter intellectu potentiæ, quia antequam intellectus potentia intelligat notiones, agens producit notiones quas intelligit intellectus agens, & quia omne quod actu tale prius est quàm potentia tale ex octauo metaph. Secunda differentia est quod intellectus potentia est res intelligibilis in potentia, agens est res quam intelligit actus; quia uni substantia est sui intellectio, ideo semper intelligit, intellectus autem potentia, non semper intelligit, sed quandoque sic, quandoque non.

Textus XXVIII.

VIDETVR autem sensibile ex potentia existente sensitiuo actu agens. Non enim patitur neque alteratur; unde alia hæc species motus, motus enim imperfecti actus, simpliciter autem actus alter est qui perfecti. Sentire quidem igitur simile est ipsi dicere solum & intelligere. Cum autem delectabile aut triste, aut affirmans, aut negans prosequitur, aut fugit.

Textus XXIX.

ET est delectari, aut tristari agere, sensitiua medietate ad bonum, aut malum inquantum talia, & fuga aut appetitus, hæc quæ secundum actum, & non alterum appetitiuum, & fugitiuum, neque ab inuicem, neque a sensitiuo, sed esse aliud est.

Videtur autem sensibile. quia uult declarare hic. Tertio quomodo differat intellectus speculatiuus ab intellectu practico, ad huius declarationem, assumit quod prius dixit, quia assimilauit intellectu sensui; & inquit quòd passio sensus est perfectiue; & non passio propriè dicta, quia talis passio est imperfecti & entis in potentia, passio sensus est entis in actu, & perficit sensum, passio proprie dicta est corruptio subiecti & imperficit subiectum.

Sentire igitur. Ex hoc sumpto declarat differentiam intellectus speculatiui a practico. Prima differentia est a fine, quia practicus uersatur circa res, ut habet rationem boni, intellectus speculatiuus circa entia absolute. Secunda differentia est, quia practicus unitur appetitui sensitiuo, speculatiuus separatur ab appetitu sensitiuo, & declarat hoc, quia sensus aliquando recipit proprium obiectum absolute, aliquandò ut delectabile, & tristabile, ita intellectus cum percipit res absolute, tunc est intellectus speculatiuus, si eas res apprehendit sub ratione boni & mali, tunc est practicus, & ponit conuenientiam; quia inquit sicut in sensu si percipiat aliquod sub ratione boni, sequitur desiderium in appetitu sensitiuo, si sub ratione mali, sequitur tristitia in appetitu sensitiuo, id est, auersio illa in intellectu, cum ipse apprehendit res sub ratione boni, sequitur persecutio in appetitu intellectiuo, id est in uoluntate, id est sequitur desiderium, si percipiat res sub ratione mali sequitur fuga, & auersio, in uoluntate & sic est similitudo sensus cum intellectu.

Et non est aliud appetitiuum. Et subdit documentum, & citaui uobis locum supra, de potentijs autem; ut distinguuntur, & Arist. hic dicit quod non distinguuntur, nisi sola ratione, & aufugimus rem dicit Arist. Aliquis posset opinari quod essent duo appetitus seiuncti. Secundo, quòd illi duo appetitus differenta sensu, cuius sunt appetitus, quia cuiuslibet sensus est appetitus, dicit Arist. quod illi duo appetitus sunt idem subiecto, differunt sola ratione, & non differunt a sensu, nisi ratione, quia eadem est anima sensitiua, quæ secundum diuersa opera differt, quia ut sentit uocatur sensus, ut prosequitur appellatur appetitus.

Textus XXX.

INTELLECTIVAE autem animæ phantasmata aut sensibilia sunt, cum autem bonum aut malum affirmat, aut negat, & fugit aut prosequitur, propter quod nequaquam sine phantasmate intelligit anima.

Cogitatiuæ autem animæ. Ponit tertiam differentiam intellectus speculatiui a practico ratione obiecti, quia speculatiuus uersatur circa uniuersale, practicus circa particulare, ideo diximus supra quòd nniebatur appetitui sensitiuo, & sensui, ideo respectu sensui intelligit particularia, quia per se intellectus intelligit uniuersalia. Et inquit, & si speculatiuus circa uniuersalia uersetur, non potest tamen esse circa uniuersalia, nisi cum Phantasmatibus, ita quod colligantur sensui interiori; hæc ergo differentia est quod practicus colligatur sensui interiori, & exteriori; speculatiuus interiori tantum, & sic hæc est differentia, ex quo sequitur inquit philosophus

losophus quod non potest esse intellectus in nobis siue phantasia, quia nec practicus nec speculatiuus possent esse sine phantasia.

Textus XXXI.

SICVT enim aer pupillam huiusmodi fecit & ipsa altera alterum; & auditus similiter, sed ultimum unum & una medietas; esse autem ipsi plura, quo autem discernit quo differunt dulce & calidum, dictum est quidem & prius, dicendum autem & nunc. Est enim aliquid unum, sic autem & trinus.

Sicut enim aer huiusmodi pupillam facit. Vult hic declarare, sicut supra dixit quod erat unus appetitus sensitiuus, qui prosequebatur rem & auertebat, quòd erat unus appetitus & differebat tantum sola ratione, ita hic uult declare, quòd practicus intellectus & speculatiuus sint idem re, differunt sola ratione, & declarat hoc exemplo, qnia assimilauit intellectum sensui, quia sensus exteriores erant quinque, unusquisque apprehendebat sua obiecta & contraria sui generis & apprehendit differentias generis contrarij, ut albi & nigri, & ultra illos sensus est unus alius sensus communis, qui ponit differentias diuersorum sensibilium, & talis assimilabatur centro, quod sui natura, & subiecto, est unus talis sensus differt sola ratione; quia sicut est idem centrum subiecto, differt tamen & multiplicatur ut est terminus multarum linearum, ita sensus communis, & sicut est de sensu communi ita de intellectu, quia est idem subiecto intellectus sola ratione differt. Vocatur speculatiuus, & practicus, & sic hic patet, etiam quod potentia non distinguatur a subiecto.

Textus XXXII.

ET hoc in proportionali est numero ens unum habet se ad utrunque, sicut illa ad inuicem. Quo enim differt non homogenea iudicare aut contraria, ut album & nigrum. Sit igitur a. album ad b. nigrum. g. ad d. sicut illa ad inuicem. Quare quoniam & per mutanti sicut igit g. d. uni sunt existentia, sic habebunt sicut & a. b. idem quidem esse autem non idem, & illud similiter. Eadem autem ratio est si a. quidem dulce sit b. uero album, species quidem igitur talium in phantasmatibus intelligit.

Textus XXXIII.

ET sicut in illis determinatum est ipsi immutabile & fugiendum & extra sensum, cum in phantasmatibus fuerit mouetur ut sentiens fugibile, quia ignis contrarium cognoscit uidens quod mouetur quoniam impugnans est. Aliquando autem quæ sunt in anima phantasmatibus aut intellectibus tanquam uidens ratiocinatur & deliberat futura aut præsentia.

Lectio XXVIII.

ET hac autem est proportione & numero. Id est sensus communis est unus numero in se, est unus proportione, quia proportionatur sensibus exterioribus ut centrum lineæ, quod centrum est unus, plurificatur ratione ut terminus multarum linearum, & sicut se habent inuicem lineæ æqualiter differentes a centro, ita sensus exteriores se habent ad inuicem.

Quid enim refert. Hic uult declarare quomodo sit unus intellectus numero comprehendens omnia intelligibilia & utitur argumento a commutata proportione ut facit euclides sit a. b. id est album & nigrum uel dulce & dixit indifferenter, quia sensus communis differentiam comprehendit, ac discernit differentias albi & nigri, & etiam differentias, diuersorum sensibilium & diuersorum generum apprehendit & supponatur duo, quòd scilicet sit ratio talis uniuersalis ipsius albi d. ratio uniuersalis ipsius nigri, uel dulcis, ratio uniuersalis est notio eius, & sic arguit, sicut se habet a. ad c. a. b. ad d commutatus igitur sicut se habet a. ad b. ita c. ad d. & sicut a. & b. pertinent ad unum sensum re, sola ratione diuersus, ergo duæ notiones expectant ad unam uirtutem intellectus sola ratione differens, & sic idem esset intellectus re, quia apprehendit omnia intelligibilia sola ratione diuersa.

Intellectiuum autem sicut in phantasmatibus. Quia dixit supra quòd intellectus operatiuus semper unitur sensui uult declarare quomodo uniatur sensui, & dicit bifariam unitur, unitur aliquando sensui interiori, & exteriori, aliquando tantum phantasiæ, & dicit semper sicut in duplici sensu, id est interiori; & exteriori est delectatio & fuga, & ad hæc declaranda dat exemplum, quia intellectus operatiuus utitur duplici sensu ut cum ex facibus accensis indicat hostes uenientes, ibi est uisus qui uidit, est sensus interior qui deliberat, quia semper & intellectus est coniunctus phantasiæ quando autem Sola utatur phantasia, & est cum ex præsentibus præsentia deliberat uel futura, & in hoc sola phantasia interuenit, ut cum operatiuus intellectus ex hostibus præsentibus deliberat certare uel fulgere si erit opus, & sic tantum phantasia hic interuenit, &c.

Quod ignis communi, est duplex expositio. Vna quòd cognoscit illa communi, id est sensibili communi, expositio minime est bona, quia sensibile commune non cognoscit, ideo secunda expositio dicit istæ cognoscit communi, id est sensui communi & est ipsæ sensus, qui cognoscit sensibilia diuersorum generum. Et cum dixerit. Addit Arist. sicut intellectus utitur duplici

ſenſu, ſcilicet interiori & exteriori, habet paſſiones conſimiles duplici ſenſui, quia in ipſo eſt delectatio & triſtitia. Perſecutio & fuga, ſemper habet illas ſiue utatur duplici ſenſu ſiue phantaſia tantum.

Textus XXXIIII.

ET cum uiderit ut ubi letum, aut triſte, hoc fugit, aut imitatur, & omnino in actione & quòd ſine actione uerum & falsum in eodem genere cum bono & malo eſt, ſed in eo, quòd ſimpliciter differt & a quodam.

Et cum dixerit. Addit ſecundam differentiam intellectus ſpeculatiui ab operatiuo, quia ſpeculatiuus uerſatur circa uerum & falſum, operatiuus circa bonum & malum, quia inquit Ariſtoteles uerum & falſum ſunt in eodem genere, in quo ſunt bonum & malum, etiam bonum eſt duplex, ſimpliciter & ſecundum quid, ſicut uirtutes morales, quia ſunt bonum animæ, malum corporis, circa utrunque bonum uerſatur operatiuus, & illud dictum exponit Ioannes, quia inquit omne quod eſt uerum bonum eſt, quod falſum malum, & dixit hoc, &c.

Inquit Ioannes aduerſus Platonem, qui dicebat, quòd aliquod erat malum, & tamen non erat falſum, ſed uerum ut quod furenti ſitenſis eſt uerum, tamen eſt malum, dicit Ioanes ad hoc argumentum & ſi conſideratur illud ut uerum ſic eſt bonum, ſimpliciter tamen eſt malum, &c.

Textus XXXV.

ABSTRACTIONE autem dicta intelligit ſicut ſimum ſecundum quòd ſimum non ſeparatum, inquantum autem curuum ſi aliquod intellexit, actu ſine carne utique intellexit in qua curuum, ſicut mathematica.

Quæ uero abſtractione. Ioannes inquit reuertitur ad notitiam ipſius obiecti intelligibilis, quia ſupra dixit quod omne intelligibile erat indiuiſibile, hic ergo inquit quòd forma rei ſenſibilis primo intelligitur a nobis, & hoc eſt triplex, aliqua eſt omnino materialis, & hoc ſpectat ad philoſophum naturalem. Aliæ ſunt formæ, quæ ſimpliciter ſunt abſtractæ a materia, & hæc pertinent ad metaphyſic. & declarauit quomodo illæ formæ intelligebantur a nobis, quia indiuiſibiliter, ſcilicet tempore indiuiſibili, apprehenſione indiuiſibili, & potentia indiuiſibili, & ſunt aliæ formæ, quæ partim materiales, partim immateriales, & ſpectant ad mathematicam, uult declarare quomodo tales formæ intelligantur a nobis, & inquit, non intelliguntur ut naturales, & ſi partim materiales, ſed intelliguntur ut abſtractæ, & dicit non intelligimus ut ſimus, quia ipſum connotat ſubiectum, ſed intelliguntur ut cuius, quia ipſa intelligit ſeparata a natura, formæ mathemathicæ uocantur abſtractæ tanquam ex ablatione, id eſt ut ſi quis furet formas a materia. Non ſeparata, mathematicus, cum intelligit ea quæ non ſeparata ac ſi eſſent ſeparata, quia ſunt ſeparata ſecundum conſiderationem.

Textus XXXVI.

NON ſeparata tanquam ſi ſeparata ſint intellexit cum intelligat illud. Omnino autem intellectus eſt qui ſecundum actum res eſt intelligens, utrum autem contingat aliquem ſeparatorum intelligere ipſum exiſtentem non ſeparatum a magnitudine, aut non conſiderandum poſterius.

Omnino autem intellectus. Et inquit Ioannes infert nobis Ariſtot. quod intellectus potentia in nobis ſit ſeparatus a materia, quia cum intelligit materiam eaque cum ſint inſeparata intelligit, tamen ſeparata, & ſic deducitur quia omnis notio ſit per ſimile, quia actio in ſenſu in principio ſit a diſſimili in fine a ſimili, ita in intellectu, quia cum intellectus intelligit notiones erit ſimilis illis, ſed illæ notiones ſunt in materia & intelliguntur abſtractæ, ergo & intellectus potentia erit abſtractus. Verum autem contingat. Addit quæſtionem difficilem, & dicit Ioannes, cum dicit nobis, quòd intellexit formas coniunctas ut abſtractæ, oritur dubitatio, quia intellectus in nobis cum ſit in generatione, & eſt cum materia, quia ſit Socrates, quomodo ergo poteſt intelligere formas coniunctas materiæ ut abſtractæ quia & ipſe intellectus eſt cum materia, & inquit Ariſt. dicemus ſolutionem, & ſolutio erit in uerbis ſequentibus, Auerr. exponit textum deinde digreditur, & inquit quòd Ariſt. duas dubitationes proponit, & uidetis quomodo errat, quia eſt una quæſtio.

Lectio XXIX.

EST exponendum commentum Auerr. primo exponit text. 36. & inter initia dicit, quòd habebat falſum textũ, quia dicit, quòd illa propoſitio Ariſtot. quòd forma ſeparata a materia eſt intellectus, id eſt intellectio, & inquit quod hæc propoſitio habet duplicem ſenſum, quia inquit aliqua eſt forma ſeparata a materia per ſe, & talis per ſe eſt ſui intellectio, ſi per accidens ſeparata, per accidens erit intellectus hæc forma per accidens, ſed ut dixi hæc uerba non ſunt in textu, mouit modo dubitationem, quia inquit nunquid ſicut intellectus non intelligit

formas

formas causatas a materia, ita intelligit separatas simpliciter, sed hæc opinio non est tacta ab Aristot. secundum expositionem Ioannis Grammatici, ut diximus, & dicit Auer. quod talis quæstio est difficilis, quia inquit nunquid intelligimus substantias separatas simpliciter secundum sui naturam, & non secundum sui accidentia, Vel potest esse quæstio, nunquid intellectus, ut coniunctus corpori possit intelligere substantias separatas. Primam uidetur soluere Arist. quia inquit, intellectus noster intelligit secundum sui substantiam, quomodo tamen. Secundum an intellectus coniunctus nobis possit illas æternas substantias intelligere, & arguit, primo ad parte negatiuam, & primo inquit si supponatur secundum Alexandrum, quòd intellectus sit generabilis, & corruptibilis, quia si eas intelligeret corruptibile fieret æternum, & deducit illationem, quia si intelligit illas, ergo recipit eas, ergo sunt formæ ei, & forma & materia sunt eiusdem generis, & in eodem prædicamento, ut habetur octauo metaph. 12. ergo ambo erunt æterna, quia corruptibili & incorruptibili nihil uniuocum, secundo metaph. & deducit illationem longis uerbis, quia si intelligat substantias separatas, ergo eas recipit, quia inquit, quòd talis intellectio est noua ut patet si noua est, ergo hic aliqua transmutatio, uel ergo ex parte intellectæ rei, uel ex parte intelligibilis, non ex parte intellectæ rei, ergo ex parte intelligibilis, si transmutatio, ergo aliqua passio, & sic acceptio, ergo recipit eas, deducit secundo ex opposito consequentis, quia inquit si non est receptio non est aliqua transmutatio, ergo sicut prius non intelligebat ita intelligit nunc, quia non est transmutatio, & sic hæc est talis uis argumenti, quia si intellectus intelligit substantias separatas, ergo eas recipit, si recipit ergo erunt formæ ei, & forma & materia sunt eiusdem generis, ergo ambæ æternæ & substantiæ abstractæ, & intellectus. Et ostendit uim argumenti, quia hoc argumento Alexander sibi met contradicit, quia in libro de anima dixit, quòd tantum intellectus agens, qui est deus intelligebat substantias abstractas, intellectus potentia autem non intelligebat illas, hoc argumentum iminet Alexandro de homine, quia finis proprius homini est intellectio, & finis proprius est notio substantiarum abstractarum, ergo homo debet intelligete substantias astractas, quia nihil frustratur fine suo a natura, & homo non potest intelligere illos mediante intellectu potentiæ, quia agens producit notiones. Sed intellectus potentiæ eas intelligit, falsum ergo dixit Alexander, quod tantum intellectus agens intelligebat substantias abstractes, & aduertas quod sicut in nobis est duplex intellectus. Practicus & speculatiuus, ita duplex finis. Practicus & speculatiuus. Practicus est prudentia, ut dixit Aistoteles in Ethicis, speculatiui finis est ipsa intellectio, quia uersatur circa ens, ut uerum est, & addit alia uerba Alexander, quia assimilabat intellectum potentiæ uirtuti ambulandi, quia inquit, sicut uirtus ambulandi in principio imperfecta est perficitur, postea tempore propter sui temperaturam, ita intellectus potentia, in principio incipit addiscere illas res materiales, deinde metaphysicas, & mathematicas, & sic in ultimo intellectus agens unitur perfectæ intellectui potentiæ, & adnertatis, quòd dicit, quòd in principio partim unitur partim in fine perfecte, non, quod indiuisibiliter uniatur, quia est indiuisibilis, sed quòd in principio imperfectas notiones producit, deinde in fine perfectas, si ergo uult Alexander, quod intellectus potentiæ intelligat substantias separatas. Et inquit talia uerba habet Alex in alio loco, & sic patet. Contradictio in Alex. & subdit Auer. & inquit, dicamus ut rationi ueritas est, quod sit perpetuus, & quod intelligat eas, cuius oppositum omnes dicunt, quia talis beatitudo est æterna, dicit Auer. ponendo solutionem, quod potest considerari intellectus, ut actus primus, & actus secundus, & inquit, ut actus primus, quia perpetuus, & in tali actu non consistit beatitudo. Est actus secundus in quo consistit beatitudo, & sic Socrates non habet talem actum secundum, quia scit mediante phantasia, cum scit discernere accidentia ab indiuiduo substantiæ, inquit Auer. teplicando, quia inquit alio modo unitur intellectus agens intellectui potentiæ, quàm intellectus potentia nobis, quia intellectus agens unitur intellectui potentiæ, ut operatio, intellectus potentiæ unitur nobis, non ut operamus, sed ut actus primus, quia dat esse, & inquit ratione huius diuersitatis, non possumus faciliter addere. Si autem posuerimus, dicit Auer. quod ibi est angustia, an intellectus noster intelligat substantias illas abstractas, dicit Auer. quia dissoluit, inquit non dissoluit hanc quæstionem, dicit D. Thom. & si tu dicas decimo Ethicorum dixit, quòd nostra fœlicitas consistit in notione substantiarum abstractarum, dixit ipse quod non declarauit qualis esset illa notiò, quia an sit intuitio faciei ad faciem, an per notionem tantum, & inquit, quod debebat dissoluere illam quæstionem in metaphysica, qui libri non sunt completi, nel inquit, morte præuentus, non declarauit qualis esset illa notio, sed hoc uerũ non est, quia integros illos habemus nos libros. Etiam Arist. tractauit totam notitiam substantiarum abstractarum, in metaphysica, ideo dixit, debet dari unus princeps, D. Tho. tamen tertio metaph. in ultimo tex. inquit, non est ut cecitas, inquit, quòd nos intelligemus illas substantias separatas, difficulter tamen, ideo tertio libro contra gentiles, inquit,

quod

quod mens Aristot. est quòd nostra fœlicitas sit in cognitione substantiarū abstractarum, quæ per scientias adipiscitur, & credo quod opinio D. Tho. sit Arist. non autem quod dixit Auer. quòd fœlicitas nostra sit notitia substantiarum abstractarum intellecta a nobis, ut substantia, inquit ergo Auer. quæstio difficilis est, quia Aristot. non dissoluit quæstionem hanc, etiam quia Alpharabius in nicomach. id est de immortalibus multa dixit & sibi contradixit, etiam quia Them. probat, quòd intelligimus illas substantias separatas, quia uirtus apprehendens imperfectiora apprehendit perfectiora etiam ex quo intellectus noster intelligit imperfectiora, intelligit ergo & substantias separatas, quæ sunt perfectæ; dicit Auer. quod argumentum hoc nullum est, quia inquit Auer. supponamus, quòd intellectus sit generabilis uirtus, aut perpetuus, si generabilis falsa est illa propositio, quia uirtus apprehendit colores; non potest tamen apprehendere lumen Solis, si perpetuus semper in nobis erit fœlicitas, & sic cum Socrates erit genitus erit fœlix, ut habebit beatitudinem, quod tamen est falsum, ideo ponit aliud argumentum Alexandri, quia inquit Alex. operatio uirtutis generabilis, uel actiua, uel passiua, sic augumentatur ad augumentationem totius, quia a calore naturali consumitur humidum, sed anima rationalis est uirtus actiua, & passiua, quia passiua respectu intellectus potentiæ. Actiua respectu intellectus agentis, ergo cum augetur homo acquirit omnes eius operationes, sed operatio hominis est notio substantiarum separatarum, & materialium, ergo intelligit substantias separatas, dicit Auer. quod ratio nulla est illa Alex. primo quia inquit Alex. deberet probare, quod tum notio substantiarum abstractarum, tum materialium esset operatio hominis. Tantum; aliud argu. procedit, etiam. Secundò quia si anima rationalis est uirtus tum actiua, tum passiua, passiua respectu intellectus potentiæ. Actiua respectu intellectus agentis, anima ergo conficitur ex intellectu agente, & potentiæ, & sic agens erit perpetuus, & potentia intellectus, quia forma; & materia sunt eiusdem generis. Etiam addit, quia si intellectus est uirtus generabilis, cum perficitur generatione, perficitur perfectione, & talis operatio est notio substantiarum abstractarum, hoc est falsum, & debet probari, quia sequeretur, quod perpetuum in sui operatione ageret generabili, quod est falsum, quia aliquando esset perpetuus sine sui operatione, quod hoc sequatur deducit Auer. quia intellectus agens non potest habere notiones substantiarum abstractarum, sine intellectu potentia, & intellectus potentia est corruptibilis, & agens æternus, ergo perpetuum indiget generabili in sui operatione.

Lectio . XXX.

AVEMPACE multum loquebatur Tertio loco sequitur ratio Auempace, & eius rationem ponit ad ostendendum, quod intellectus intelligat substantias abstractas, & duobus rationibus. Prima ratio, omnis intellectus apprehendens quidditatem multiplicatam numero. Apprehendit per se substantias abstractas, sed intellectus potentia apprehendit talem substantiam, ergo, maior declaratur, quia quidditas, quæ est in multiplicata per se numero est ipsa substantia abstracta, quia si esset multiplicata corruptibilis esset, minorem declarat Auer. quòd intellectus potentia apprehendit, quidditatem equi in uniuersali, quæ per se in multiplicata est; quia per accidens est multiplicata, quia notio equi, in Socrate alia est, quàm in Platone, quia talis notio uniuersalis recipitur in diuersis phantasmatibus, quæ sunt diuersa numero per se, tamen est multiplicata numero, quia ut scitis 15. tex. dicebat notiones uniuersales esse in phantasmatibus, & phantasia illis notionibus actuata, dicebat esse intellectum, uideatis, quod figmentum est hoc. Si dicetis Auer. tanti facit hanc rationem, tamen est Sophistica; quia dices, falsum est quod notio uniuersalis sensibilium sit substantia abstracta de qua loquimur, quia substantia abstracta de qua loquimur est forma cœlestis, & non sequitur intelligimus uniuersale, quod est separatum, ergo intelligimus substantias separatas, dico, quantum suo, quod Auer. dicit quod eadem ratione, qua intellectus intelligit uniuersale, cum sit multiplicabile, eadem ratione intelligit formam abstractam cœlestem, cum ipsa sit immultiplicata. Secunda ratio est apprehendens quidditatem simplicem apprehendit substantiam abstractam, sed intellectus potentia apprehendit simplicem substantiam, Arabes multum utuntur hoc uerbo quidditatis. Aliquando tamen Arist. utitur, sed non ita sæpe, maior est manifesta, quia ut dixit Auer. simplex quidditas nihil aliud est quàm substantia cœlestis, quia dicebat quòd omnes substantiæ abstractæ præter primam sunt compositæ, quodam modo, sic maior manifesta est, minor probatur, quia intellectus abstrahit quidditatem quidditate; id est, abstrahit uniuersale ab uniuersali, exemplum, intellectus ab indiuiduo abstrahit hoc uniuersale homo deinde ab homine abstrahit conceptum magis uniuersalem, & corpus & substantia, & in talibus conceptibus non possumus procedere in infinitum, quia talis conceptus differunt specie, & in speciebus omnino est processus tum in indiuiduis eiusdem speciei successione quadam. Et quia Arist. 3. physicorum dixit cum abundemus ne sit processus in infinitum debemus abscindere in principio,

cipio, cum igitur in talibus conceptibus, non sit processus in infinitum, sequitur quod datur status quæro an talis status sit pura quidditas, an composita, nel neutrum, si pura quidditas habet intentum, si composita non potest dici, quia intellectus abstrahit compositum in simplici, nec potest esse neutrum, quia talis est priuatio, ideo status terminatur ad quidditatem. Sed dicit Auer. utitur quidditate, proprie dicta, & uniuoce de omnibus, quod non est uerum, quia quidditas est in forma proprie, etiam quia, cum conceptus abstrahitur ab alio conceptu, non est abstrahere quidditatem a quidditate, quia cum abstrahitur quidditas a quidditate, est abstractio formæ a materia, sed conceptus uniuersalis non est forma proprie generis proximi. Errat secundo quia non declarauit, qualisnam esset talis scientia substantiarum abstractarum. Tertio, quia ipse sibi met contradicit, quia inde continuatione intellectus dixit, quod non possumus habere notiones talium substantiarum, nisi Deus nobis uniatur, hic autem concedit propria potentia naturali, quòd homo possit apprehendere illas substantias abstractas, ideo ponit Auer. suam opinionem, & inquit, quod intellectus non apprehendit illas substantias abstractas, quia inquit, si non posset apprehendere, uel esset ex parte principiorum, quæ ducunt ad talem cognitionem uel ex parua exercitatione philosophantium, nel ex natura hominis, sed non potest esse ex parte principiorum, sicut diximus de arte Alchimicha quæ est possibilis, non habemus tamen, quia principia a nobis ignorantur, & principia sunt uel sulphur, uel argentum, & est disputatio quidnam sit, etiam de causa efficienti, quia debet esse calor proportionatus, & illæ non bene innenitur. Et Aristot. quarto metheororum dixit, metalla fiunt a calido in principio, complentur tamen a uehementi frigiditate, sic dixi, quòd errarunt illi, qui faciunt metalla tantum ex calido, sed dices, dicit Auer. quòd talis ars sit possibilis, quia Egidius, tertio quolibet, & D. Tho. dicunt, quòd talis ars sit impossibilis, quia inquiunt metalla requirunt determinatum locum, sicut homo requirit uentrem mulieris, quomodo ergo talia metalla possunt fieri supra terram. Alias disputaui in principio primi metheororum, & dixi, quòd utraque opinio poterat defendi, dixi tamen uerior est illa quæ dicit, quòd talis ars sit possibilis, quia si ars imitatur naturam, & natura inuenit materiam dispositam, & agens ita etiam ars, nec ualet ratio Egidij, quia falsum est, quòd requiratur locus determinatus, & talis propositio tantum uera est de perfectis animalibus. Vnde nidemus, quod tunc generantur, ubique ibi sunt principia, si teneremus opinionem Egidij, diceremus, quòd Auer. loqueretur secundum opinionem nulgi, dicit ergo Auer. non potest esse ex parte principiorum, quia sumus philosophi perfecti, ideo scimus causas omnium rerum, ideo scimus eorum causas, etiam non potest dici ex parte naturæ hominis, quia homo esset homo equiuocæ, quia non posset consequi suum finem sicut oculus pictus, non est nisi æquiuoce, quia suum finem non potest consequi. Et inquit nunquid immediate homo intelligebat illas, dixit minime, sed mediate, scilicet mediantibus scientiis, sicut Theologi dicunt, quod beantur mediantibus meritis. Philosophi uero dicunt mediantibus scientiis, & quomodo declarat, & facit suppositiones. Prima est, quod anima rationalis habeat duas operationes. Vna quæ est abstrahere, & hæc est intellectus agentis. Alia est recipere, & talis est intellectus potentiæ. Sed dubitauit Auer. quia cum duæ sint operationes una actiua, altera passiua, dico dicit Auer. Anima debet denominari ab actiua, tanquam a nobiliori, tamen Arist. dixit passiua, dico, dicit Auerroes, quod si talis actio esset nobis notior, quàm illa receptio fieret denominatio. Sed quia notior est receptio, ideo dixit passiua, si quis tamen uellet dicere animam partim esse actiuam, partim passiuam. Secunda suppositio est, quod illæ notiones non sunt substantiæ ipsius animæ, ut dicebat Themistius, sed ut Alexander, quod non sunt substantiæ ipsius intellectus agentis, sed producuntur ab intellectu agente, & sunt in uoluntate nostra tales actiones, & Auerroes concedit Alexandro, dixit tamen quòd intellectus agens, & potentia sunt partes animæ rationalis. Tertia suppositio est, quod aliquæ sunt propositiones notæ natura, aliquæ notæ ex artificio, notæ naturaliter sunt, quæ sunt notæ lumine intellectus, & hæ sunt prima principia ut omne totum maius est sua parte, hæc propositio nota fit nobis, ex notione terminorum, & non ex alio, sunt propositiones uoluntariæ, & conclusiones, quæ fiunt ascensu principiorum, & uocantur uoluntariæ, quia fiunt discursu, ideo in diuinis non est libertas, quia non est discursus, & talis discursus dicit imperfectionem, quia potentiam, & tales propositiones fiunt notæ ex duplici causa, ex causa particulari, scilicet & intellectu agente, ex causa particulari, ut ex notitia præmissarum. Quarta suppositio est, quod cum ibi sint duæ causæ, scilicet causa uniuersalis, quæ est intellectus agens, & particularis, quæ est notio præmissarum. Vniuersalis est nobilior particulari, & cum ad eundem effectum concurrant duæ causæ, nobilior habet rationem formæ, ignobilior rationem materiæ, sicut cœlum concurrit ad generationem hominis, ut uniuersaliter idea ut forma, homo ut materia, ex his sequitur, quod

intelligentia sit forma in nobis, quia unitur, & repręsentat alias substantias, ideo nobis unitur substantia abstracta; & cetera.

Lectio XXXI.

DECLARABAT Auerroes quomodò esset in nobis fœlicitas, quomodo intellectus potentia intelligat substantias abstractas, & maxime intellectum agentem; quia in ipsó sunt insertę omnes notitię aliarum substantiarum abstractarum, quia ipsę cognoscit omnes, quia inferior intellectus plura intelligit, & dicebam, quod ascensus conclusionis pendebat a duabus causis, id est, a notitia pręmissarum, & ab intellectu agente, dicebam; quòd cum concurrebant duę causę ad eundem effectum, perfectior se habet ut forma; imperfectior ut instrumentum, & ex quo intellectus agens est perfectior est forma, notitia pręmissarum imperfectior, ideò est instrumentum; sed dubitat Auerroes, quomodo notitia pręmissarum est ut materia, uel ut instrumentum intellectus agentis, quia nullum ęternum habet materiam generabilem, nec instrumentum corruptibile; quia aliquando esset sine sui operatione. Respondet Auerroes, quòd notitia pręmissarum corruptibilis est, ideo non est uera materia, nec uerum instrumentum intellectus agentis, sed habet proportionem, ut materia, uel instrumentum, subiungit aliam dubitationem, qualis nam sit illę respectus intellectus agentis ad intellectum potentię, dicit; quod Alexander non potest soluere dubitationem, quia ipse ponebat intellectum potentię generabilem, & corruptibilem quomodò est materia potentię intellectus, quia materia & forma sunt eiusdem generis, generabili & ęterno; nihil uniuocum, & Themistius, non potest soluere, quia dicebat, quod notiones essent substantię intellectus agentis; imminet ei maxima dubitatió, quia notiones essent ęternę; cum intellectus agens ęternus; quod tamen est falsum; quia in nobis experimur, quod non habemus aliquam rationem. Sed ut dixit philosophus, non dicit hoc, dicit Auerroes talis est propositio intellectus ad notitiam principiorum; quia cum duę causę concurrunt ad eundem effectum; nobilior est ut forma, ignobilior ut materia, sed intellectus agens est nobilior, ideo nobis est forma, & nobis unitur, & ipsi intellectui insertę sunt omnes alię substantię abstractę, & sic fit fœlicitas in nobis, & uult Auerrroes, quòd sicut secunda substantia recipit primam, ita intellectus agens recipit omnes illas substantias abstractas, ut amor in amato, cognoscens incognito. Et declarat illam propositionem; cum duę concurrant ad eundem effectum, quod perfectior sit ut forma extrinseca, quia sicut dicimus ex parte aeris, qui recipit duo, in uisione colorum, quia recipit lumen, & imaginem colorum, ideo lumen est ut forma colorum; imagines se habent ut instrumentum, ita est de intellectu agente respectu ascensus conclusionis, & ideo inquit sensitiua superior est, ut forma; sensus communis. Sed dicta Auerroes, non carent dubitatione, quia ex octauo physicorum; cum tamen perfectior est ut forma; & si non sint in eodem subiecto. Secunda, quia dicit quòd imaginatiua est ut forma sensus communis, uidetur falsum; quia distinguuntur subiecto secundum Auerroem. Tertio Auerroes non ostendit, quòd intellectus agens sit forma intellectus potentię; sed ostendit, quod est ut forma respectu notitię pręmissarum. Quarto, quia dicitur ex parte aeris sunt duo, lumen, & imagines colorum; lumen est ut forma, oppositum dictum est, quia lumen disponit aerem, se habet ergò ut natura; imaginationes ut forma, quia introducuntur in aere illuminato.

De primo dico, quòd figmentum est illud Auerrois; quod duę causę, & si non sint in eodem subiecto concurrant ad eundem effectum. Possumus tamen dicere, quòd talis conditio uerificatur in his causis, quę habent idem subiectum principaliter.

De secundo dico; quod imaginatiua, & sensus communis sunt In eodem subiecto quia in corde secundum sententiam philosophi, &c.

De tertio dico, quòd consideratur lumen; ut dispositio, & sic habet rationem materię, potest considerari simpliciter, & quia est forma perfectior; quàm imagines colorum, & sic se habet ut forma.

De alió, quòd non ostendit intellectum agentem esse formam intellectus potentię. Dico quòd re uera est figmentum, & illa notio nihil ostendit; inferius forsitam ostendet.

Est alia dubitatio, quia notitia pręmissarum est causa principalis & origo ascensus conclusionis; ut dicit Lincon. oppositum tamen hic dicit Auerroes, quòd si simpliciter, & absolutę consideretur talis ascensus, sic notitia est causa principalis cum euidentia tamen, quia ascensus conclusionis pendet ex notitia pręmissarum, & ab euidentia ipsarum, si considerantur tamen respectu intellectus agentis est causa instrumentalis, sicut pater est principalis causa filij, semen ut instrumentum; si consideratur tamen ut est causa instrumentalis filij; ipse pater, & inquit Auerroes ex his declarabimus, quomodo possibilis in nobis sit fœlicitas, quia primo declaratum est a nobis, quòd intellectus agens

agens sit ut forma intellectus potentiæ duabus rationibus. Primo, quia si duæ causæ concurrant ad eundem effectum nobilior causa est, ut forma, ideo intellectus agens cum sit nobilior, est ut forma intellectus potentiæ, sicut dixi hoc non sequitur, sed quod sit ut forma notitiæ præmissarum. Ideo addit secundam rationem, quia ex supra declaratis intelligimus res sensibiles cum uolumus, si reseruatæ fiant imagines in memoria, & talis intellectus est ab anima nostra, quia a uoluntate nostra, ideo ab anima, & ad istam intellectionem concurrunt duæ actiones, productio, quæ est intellectus agentis, & receptio. Et est intellectus potentia, & ideo cum sint duæ partes constituunt unam animam per se, una ut forma, altera ut materia, sed intellectus potentia, non est ut forma, quia imperfectior, ergo intellectus est ut forma concludit hoc argumentum, & sic ex hoc patet, inquit Auerroes, quòd in principio Socrates non habet fœlicitatem, & si intellectus agens uniatur materiæ, quia talis fœlicitas fit mediantibus scientiis, quæ scientiæ & notiones in nobis noue sunt, ideo fœlicitas non fit in principio, bene fœlicitas est respectu intellectus in se, sed non est respectu Socratis, quia debent esse illæ notiones, & ex hoc uerificantur dicta expositorum, & primum dictum Themistij, quia dicebat hominem esse persimilem Deo, quia in homine, id est, in intellectu agente est Deus. Inhæret sicuti albedo parieti, & sicut Deus est omnia, quodammodo, & intelligit omnia sicut homo, dixit quodammodo est omnia, quia Deus formaliter non est omnia, quia non est lapis, sed imminenter est omnia, & perfectiori modo, ut in deo, quàm in se ipso, sicut aurum continet argentum perfectiori modo, quàm se haberet, intelligit omnia quodammodo, quia secundum Auerroem nihil distincte intelligit, nisi se ipsum, ut apprehendit omnia, ut in se ipso relucent, & dicit istæ gradus est mirabilis, quia facit hominem similem Deo, dixit est extraneus, quasi quod facit talis gradus, quod unus homo differt ab alio homine, uerificatur dictum Alexandri, quia dicebat, quòd intellectus agens unitur nobis, ideo apprehendimus, non ex quo apprehendimus intellectus agens unitur nobis, quia intellectus agens est ut forma, dicit secundo uerificantur dicta de fœlicitate, & primo cur in principio non sit fœlicitas in nobis, quia in principio unitur intellectus agens intellectui potentiæ, ergo intellectus potentiæ semper est beatus, dicit Auer. quòd semper intellectus potest esse beatus, sed dicitur quod non est beatus respectu Socratis, quia non habet scientiam, ideo in fine uitæ est fœlicitas, & dicit cum habemus scientiam in potentia, sumus beati in potentia, & si habemus scientiam actu, etiam actu sumus beati, si partim potentia, partim actu habemus scientiam beati partim, potentia partim actu sumus. Secundo declarant, qualis nam sit talis notitia, an scientia, si scientia, uel speculatiua, uel practica, dicit quod non est scientia. Sed est intuitiua notitia, sicut ponunt Theologi in alio statu esse cognitionem dei intuitiuam, dicit tamen quod talis notitia dependet a scientia speculatiua, sed quærit an talis notitia indigeat scientia practica, inquit, Auerroe in prologo physicorum, & Simplicius, quòd ad felicitatem requiritur uirtus moralis, quæ præsupponit scientias practicas, dico ut Auer. quod scientiæ speculatiuæ sunt tres, est mathematica, quæ non facit ad talem felicitatem, quia non est de rebus naturalibus ut naturalia sunt, est naturalis scientia & mathematica, & ista requiruntur ad talem fœlicitatem, uirtus autem moralis per accidens requiritur, quia ex principiis rectis naturalibus, sequuntur tales uirtutes morales & sic per accidens requiruntur ad fœlicitatem, ut fluunt ex philosopho & sic patet error Alexandri, inquit, qui dicebat intellectum potentiæ esse corruptibilem, quia si sic intellectus agens non erit forma intellectus potentiæ, quia forma & materia sunt eiusdem generis. Etiam patet error Alpharabij, qui negabat talem fœlicitatem, quia intellectus agens unitur nobis ut forma & in ipso sunt insertæ omnes substantiæ abstractæ, & sic fit fœlicitas & quod fundamentum Auer. est hoc, quod sicut substantiæ cœlestes intelligunt substantiam superiorem, quia secundum Aristotelem in superioribus non est aliquod accidens, & ita est secundum rei ueritatem de corporibus cœlestibus ita fingit quòd sit in intellectu agente, an uerum sit dicemus quando dicit ut Simplicius.

Lectio XXXII.

DIXIMVS quod Auerroes posuit talem beatitudinem in anima rationali, qualis est in anima cœlesti, de qua fœlicitate loquar in prologo physicorum, sed dices nunc, quæ differentia est inter hanc beatitudinem, & illam quam ponunt Theologi, qui uolunt quòd talis cognitio, & amor sit accidens, secundum Auer. est sui subiecta. Secundo quia Auer. pònit felicitatem in statu isto, Theologi in alio statu. Tertio quia illa beatitudo secundum Theologos datur mediantibus meritis, & cum plura sint merita plura respicit talis anima, secundum philosophos datur per scientias, & maximæ per mathematicas & physicas. Quarto quia secundum legem talis beatitudo resultat in se ipso, secun-

dum Auer. non resultat in nobis, quia aut talis beatitudo cum labore, aut fine labore, & dicunt Theologi, quòd quattuor sunt dotes prima impassibilitas. Secunda immortalitas. Tertia agilitas, quia affatim mouetur de uno loco ad alium, quarta est claritas illius, & si quattuor illæ dotes non sint est miraculum, sicut in Christo, ideo dixit. Cur me dereliquisti, idest cur beatitudo non redundat, quia patiebatur, sed dices conuenit hæc opinio legi nostræ, dixit præceptor quod sic, & etiam magister sententiarum, & est cum manemus in caritate, quia qui manet in caritate, manet in Deo, iuxta illud Pauli, sed hæc opinio non potest defendi, secundum philosophos, quia beatitudo potest acquiri secundum Auer ex puris naturalibus, sic possemus ex puris naturalibus comprehendere atticulos fidei, tamen est falsum, quia fuit reuelatū a Christo etiā quum dicit magister sententiarum dixit Spiritus sanctus assistit in nobis cum charitas sit, dico quod reprobatur a Theologis. Tertio dubitatur in quali nam homine fuit talis habitudo, quæ maximæ debuisset esse in Arist. sed non fuit, quia errauit ut de ordine corporum cœlestium, de habitatione terre, de circulo lacteo, de coloribus frigidis, & tertio cœli de corporibus replentibus ut demonstrauit, ideo dico cum dicit Arist. 10. ethic. quod fœlicitas sit in substantiis abstractis, dico quod Arist. non uult intelligere quod nos intueamur deum facie ad faciem, ut fingit sibi Auer. sed talis beatitudo est ex demonstratione ut ex scientiis metaphysicis & naturalibus, & ex illis per discursum acquiritur omnis cognitio quam potest habere ut dicit D. Thom. ideo opinio Auer. repugnat legi nostræ, & credo & quod non sit opinio Aristotelis, dicam tum alias.

Textus XXXVII.

NVNC autem de anima dicta recapitulantes dicamus iterum, quòd omnia ea quæ sunt quodammodo est anima, aut enim sensibilia quæ sunt, aut intelligibilia, est autem scientia quidem scibilia quodammodo, sensus autem sensibilia.

Textus XXXVIII.

QVALITER autem hoc fit oportet inquirere. Secatur igitur scientia & sensus in res, quæ quidem potentia est in ea quæ sunt potentia, quæ uero actu in ea quæ sunt actu, animæ autem sensitiuum & quod scire potest, potentia hæc sunt hoc quidem scibile illud autem sensibile. Necesse autem est aut ipsas aut species esse, ipsa quidem igitur non sunt, non enim lapis in anima est, sed species. Quare anima sicut manus est. Manus enim est organum organorum, & intellectus species specierum, & sensus species sensibilium.

Nunc autem. Cum Arist. egit de uegetatiua, sensitiua, & rationali, de rationali declarauit, quòd sunt duæ partes, scilicet intellectus potentiæ & agens, & potentia erat speculatiuus & Practicus, & declarabat, quomodo in nobis fiebat intelligere, & declarabat, quod non esset intelligibile, & dixit quod est indiuisibile. Hic in ert conclusionem omnibus uirtutibus comprehensiuis animæ, sequitur quòd anima sit quodammodo omnia, quia omnia entia, uel sunt sensibilia, uel subilia, id est intelligibilia sensibilia aliqua actu, aliqua potentia sensibilia, & sic intelligibilia aliqua actu, aliqua potentia intelligibilia, ita anima eadem ratione diuiditur, quia diuiditur per sensum & intellectum, & sensus aliquando est actu, aliquando potentia, ita de intellectu, aliquando est actu, aliquando potentia, & sic sensus potentia est sensibilia potentia, sensus actu sensibilia actu est, ita intellectus actu, est intelligibilia actu, intellectus potentia est intelligibilia potentia, & quia aliquis posset dicere anima erit lapis, quia lapis est sensibilis dicit Arist. quod anima est quodammodo omnia, dixit quodammodo, quia non est omnia formaliter, sed accipit simulachrū lapidis, nec anima est simulachrū lapidis sed talis species est in sensu, ita de intellectu, quia differenter intelligit uniuersalia & particularia, ideo est quodammodo omnia, Plato dicebat quod simulachra omnium rerum erant concreata in ipsa anima, Arist. dixit quod illa simulachra sunt in potentia in anima nostra & non actu, ideo dixit, anima est sicut tabula rasa, ex hoc infert Arist. quod manus est pars instrumentaria, & data est manus ut utatur omnibus artibus, quia artes inuentæ sunt ab homine, ideo manus est organum, quia est instrumentum, quo utitur omnibus aliis instrumentis ita anima nostra est forma formarum, id est recipit omnes rerum formas.

Textus XXXIX.

QVONIAM autem neque res nu'la est præter magnitudinem sicut uidentur sensibilia separata in speciebus sensibilibus intelligibilia sunt, & quæ abstractione dicuntur, & quæcunque sensibilium habitibus & passiones, & ob hic neque non sentiens nihil utique addiscet neque intelliget. Sed cum speculetur necesse simul phantasma aliquod speculari, phantasmata autem sicut sensibilia sunt præter quòd sunt sine materia. Est autem phantasia alterum a dictione & negatione. Compositio enim intellectuum est uerum aut falsum, primi autem intellectus quidem differunt ut non

phantas-

phantasmata sint, aut neque alij phantasmata, sed non sine phantasmatibus.

Quoniam autem res nulla. Dicit Ioan. longa interposita parentesi reuertitur ad dubitationem & est locus in quem dissoluit D. Thom. dicebat quod ratio dissoluit, arguebatur quod intellectus noster non poterat intelligere substantias abstractas, quia intellectus non est in generatione, & materia, ideo non intelligit abstracta, quia modus operandi correspondet modo essendi, & Aris. addit hic tres rationes ad hoc probandum. Prima est illa, multæ sunt res separatæ a materia non ergo intellectus potest illas apprehendere, assumptum probat, quia inquit, omnes res sunt magnitudine, quia si aliquæ essent separatæ a materia, essent mathematicæ, sed illæ non sunt, quia & si separantur cogitatione non autem sunt cum materia, quia eadem est linea considerata a mathematico, & philosopho, a philosopho, ut terminus corporis, a mathematico, ut linea est, secundo quia intellectus non apprehendit nisi illa, quæ cadunt sub sensu, quia omnis nostra notitia est cum sensu, quia deficiente sensu, deficit notitia illius sensus, ergo omnis nostra notitia est cum sensu, sed illa separata a materia non cadunt sub sensu, ergo non apprehenduntur a nobis. Tertio quia intellectus est eadem uirtus phantasiæ, sed phantasia tantum apprehendit singularia, ergo & materiæ coniuncta, ergo & intellectus tantum intelligit coniuncta materiæ, quod intellectus sit idem phantasiæ, declarat Arist. quia sicut intellectus prima operatione intelligit sine compositione, & diuisione, ita phantasia apprehendit sine compositione Arist. dissoluit hanc rationem, & inquit, quod hæc intellectio non est eadem phantasiæ, sed dicit Ioannes, quid dicendum ad quæstionem, an intellectus possit apprehendere substantias abstractas. Possemus dicere quod sic, quia Aristot. supra dixit quod intelligibile erat indiuisibile. Etiam enumerauit substantiam abstractam, ergo intellectus intelligit illas, ideo soluit tertiam rationem ut nobis inueret partem affirmatiuam esse ueram, quid dicendum ad rationem, dico faciliter, cum dicebatur intellectus est cum generatione, dico quod non est intellectus cum generatione, intrinsece, sed extrinsece, & per accidens, quia cum disponitur materia induitur sensus, deinde induto sensu introducitur anima rationalis, idē dico, quod intellectus per se abstractus ideo potest intelligere abstractum, sicut in generatione hoc est per accidens, quia coniunctus sensui qui per se est in generatione. De secundo quod non dantur formæ abstractæ, dico quod falsum est, & Arist. disputatiue loquitur, cum dicis si darentur essent formæ mathematicæ falsum est, quia dantur simpliciter abstractæ, ut dicimus esse æternum & motorem æternum, sic abstractū. De tertio quia omnis nostra cognitio oritur a sensu, dico quod illa propositio intelligitur de rebus sensibilibus, non autem uerum est de substantiis abstractis, nel secundo, quia illa cognitio ut dicit Ioan. est etiam ab imaginatiua, quia ex scientiis deducitur in cognitionem dei, ut ex ipsa imaginatione tertio dicit Io. quod illa propositio est uera in omnibus, quod cognitio nostra dependet a sensu, quia tanta est colligantia istarum uirtutum quod intellectus non potest intelligere sine sensu, & intellectus apprehendit cum quantitate ut dixit philosophus, in de memoria & reminiscentia, ideo concurrit sensus, ideo unus homo non imaginatur deum, sicut Alius homo, ideo intellectus potest apprehendere substantias abstractas & recapitulamns, quia hic quasi est finita declaratio de anima, quia declarauit animam in communi, cuius scilicet sunt potentiæ scilicet negetatiua sensitiua, & apprehendere secundum locum motiuum ei intellectum de omnibus tractauit præterquam de uirtute motiua, dicit Ioan. Arist. sibi met uidetur contradicere quia semper dixit ex communibus præcedendnm est, cum ergo uirtus motiua est communior quàm intellectus, quàm in pluribus est quàm in homine, ergo peruertit ordinem, dicit Ioan. quòd peruertit coactus, quia uirtus motiua resultat ex appetitu sensitiuo, & intellectiuo, ideo requiritur cognirio intellectus ad cognitionem uirtutis motiuæ, in ultimo loco reprobat Platonem, quia diuisit animam in suas partes, sicut lignum diuiditur in suas partes, quia debebat diuidere in suas potentias.

Secundo quia Plato non enumerauit omnes potentias animæ, quia diuisit appetitiuam, & secundum locum motiuam.

Tertio quia Plato distrahit appetitiuam, qnia posuit. Animas seiunctas loco, quia uegetatiua in epate, sensitiua in corde, intellectiua in cerebro, appetititus sensus in corde, quomodo ergo ex mistione illorum fit motus localis, sed dicit Ioan. possunt dissolui illæ.

De primo dico, quod anima potest considerari ut genus, & sic diuiditur in partes ut totum, si considteratur ut substantia sic diuiditur in potentia, ideo non est dinersitas.

De secundo dico, dicit Ioan. quod Plato non ignorauit alias potentias in Theet. sed in de repub. enumeranit tantum tres, nt ex illis resultent omnes respub. qnia inquit uel dominatur ratio & sic fit resp. rationalis, si sensitiua sequitur respub. domestica familiaris, si concupiscibilis, uel uersatur circa dinitias, & talis est mala resp. uel uersatur circa uoluptates, & sic bifariam, uel circa uoluptatem bonam & sic sequitur resp.

 bona,

bona, si circa uoluptates malas respub. mala.

De tertia quaestione dicit, quod appetitus non destruitur, quia ubi appetitus rationalis, ibi est appetitus sensitiuus & sic ex eorum mistione fit motus localis, uel dominatur potentia rationalis, & sic oritur Aristrocratia, id est optimus status, uel dominatur irrascibilis, & sic oritur Democratia, id est popularis status, aut dominatur concupiscibilis, & sic oritur diuersus status, aut oritur concupiscentia circa diuitias & sic oritur oligarchia, si utamur circa uoluptates, uel legitimas, uel prauas, si circa legitimas oritur Aristodemocratia, id est optimus popularis status, si uero circa prauam uoluptatem, oritur Tyrannus.

FINIS.

VENETIIS,
Apud Ioan. Baptistam Somascum, & fratres.
M D L X V I.